QVENTILIANI
INSTITVTIONVM



4P 1663

13 M

Signature de Jean Rey, né à Bugue, en Périgord, à la fin du XVIe siècle, mort en 1645.

Il était médecin, mais en même temps physicien et chimiste. C'est le précurseur de la chimie pneumatique. Il correspondait avec divers savants, dont le Père Mersenne, et a publié en "Essai .... sur l'étain de la pierre ..." Bugue 1630. in 8°

Le Manuel de Brunet (Tome IV. p. 1025) dit de ces éditions de Colline:
"... ces éditions qui font tant d'honneur à la typographie parisienne ..."

p. l. lib. 9. cap. de margua



eclipse







M. Fabij Quintiliani oratoriarvm institvtionvm lib. XII. Castigati ad fidem optimorum exemplarium, insignitáq; lectionis distinctione, & additis in marginem adnotationibus percõmodè illustrati.



PARISIIS
APVD SIMONEM COLINAEVM,
1541.

M. Fabij Quintiliani vita.

MArcus Fabius Quintilianus Romæ natus est. Quibus cõsulibus, aut quo imperãte Cæsare non legi. Verissima cõiectura adducor, vt fidẽ libris tẽporũ nõ habeã, vbi legitur, Quintilianus Calagura vrbe Hyspaniæ oriundus. Nam M. Valerius Martialis Calaguritani agri alumnus cum Iberos memoria dignos suis epigrammatibus inserat, nullam de Quintiliano mentionem fecit, sed eum separatim cum veneratione nominat,

Quintiliane vagæ moderator summe iuuentæ,
Gloria Romanæ Quintiliane togæ.

Et ipse dicit, se, cum esset adolescentulus, cognouisse Domitium Afrum & Senecã: Qui ambo sub Nerone periere. Seneca in libro sexto diuisionũ, Quintiliani Declamatoris meminit, cuius adhuc extãt multæ Declamationes acutæ & breues stylo aliquantulũ remissiore. Is auus fuit M. Fabij Quintiliani, qui Romæ multis annis Rhetoricen cũ summa laude docuit. Et ipse rursus Quintilianus mẽtionẽ facit patris qui causidicus fuit apud Principem. Neq; notitia, neq; gratia caruit. Domitiani enim Cæsaris nepotũ cura ei delegata fuit. Disciplinæ eius castigatissimæ plenissimũ testimoniũ Caius Cælius affert. Qui sub tali præceptore tantum profecit, vt sui tẽporis oratores facile superauerit. Duxit vxorem ex nobili familia, ex qua liberos suscepit, quæ acerbissima fatorum sorte in primo iuuentutis flore rapta fuit. Alterum ex liberis quum librum de causis corruptæ eloquentiæ edidisset, amisit: postea cum Rhetorices libros scriberet, Marcellum vnicum parentis lumen ac solatium rogo dedit. Testis & ipse infelix senex suarum lachrymarum est. Eius filiola ex alia (vt credo) vxore Tutilij equitis Romani filia genita, nupsit Nouio Celeri, viro claro. Quo tẽpore decesserit affirmare nõ audeo, quoniam is qui tradit, fide caret.

INDEX SERIE LITERA-rum diligenter collectus.

Abusio uerborum 160
Accentuum regulæ apud Latinos 12
ἄκυρον uitiosum 147
Affectuum diuisio 115
Affectus etiam mouentur rebus 112
Affectus in narrando 79
Affectus in peroratione 111
Affectuum mouendorū summa præceptio 116
Agēdi ratio quadripartita ī omni causa &c. 56
Alexandri Mag. de arte friuola iudicium 42
Allegoria 161
Altercationis usus in iudicio 124
Amplificatio in nomine 154
Anastrophe 162 Analogia 14
Animorū uitia 59 Anœconomatum 152
Antanaclasis 178 Antinomia 141
Anticategoria 65 Antonomasia 160
ἀφελείᾳ 154 Apodixis 90
Apophasis 170 Appellatio 9
Aposiopesis 170 Apostrophe 169
Apte dicere, & quid in eo obseruandum 209
Argumentum 28 & 90
Argumenta à fictione 96
Argumenta non solum inuenienda &c. eodem
Argumentorum dispositio 101
Argumentatio in narratione 79
Arte non omnia tradi posse 143
Aschematon 152
Attentio 69 Auersio 169
Autores optimi quique quomodo legendi 192
Autoritas dicentis in narrando. 80
Barbarismus 10
Barbarismi species eodem
Beneuolentia unde ducatur 67
Boni consulere 16 βραχυλογίᾳ 155
Cacophaton 151
Cacosyntheton 152 Cacozelon eodem
Causa 51
Causa iniqua, etiā cū susceperis deserenda 240
Ceratinæ & Crocodilinæ ambiguitates 20
Canismos 152
Chironomia 24
Chriarum genera 20
Ciceronis prudentia 126
Ciceronis immodica iactatio 210
Clausula 157
Confirmatio & destructio narrationum 29
Coniectura 53
Coniect. animi 135
Coniecturæ diuisio &c. 131
Coniectura in iudicijs &c. eodem
Coniecturæ tractatio &c. 133
Communicatio 168
Communia optime refutantur 104
Compositionis commendatio 181
Compositionis diuisio 182
Cornelia Gracchorum mater 3
Contemnenda quædam in refutando 104
Contra declamatores 80
Contra imperitos 25
Continens caussarum 66
Critici 8 Cultus oratoris 228
Damnas, pro damnatus 143
De Cicerone & Demosthene 232
Declamandi ratio quando primū extiterit 31
Defendere quàm facere reos præstat &c. 239
Διάνωσις 154 Dialysis 163
Diligentia nimia nocet 145
Dispositio 126 Dispositio actoris 127
Dispositio pro reo eodem
Discentibus à Græco auspicandum 3
Discentis animus quomodo tractandus 7
Diuisio 126 Docilitas 69
Dubitatio 168
Duo in omni actu spectanda 36
Egressio 64
Egressionum materia 81
Egressio quid, & quàm late pateat eodem
Egrediendi locus in dicendo eodem
εἰκότα 89 Elocutionis diuisio 145
Elocutio narrationis 79
Eloquentiæ laus 40
Eloquentia naturalis 245
Eloquentia occultanda 242
Emphasis 171

Enthymema 90. & 157
Enthymema & syllogiſmus 108
Enumeratio in peroratione 110
ἐνέργεια 154 Epanalepſis 151
ἐπεξεργασία eodē Epicherema 90
Epicherematis partes 107
Epicherema quomodo refellatur 108
Epiphonema 157. Epitheton 161
Ephorus & Theopōpus diuerſis ingenijs 33
Eſſētia, & Entia 37 ἔκτεσις 175
Ethopœia 170 Etymologia 16
Euphonia 10 Exantlare 16
Exemplum proprie dictum &c. 98
Exemplis adijcitur autoritas 100
Exēpla fabuloſa 99 ἐξεργασία 154
Exordiēdi modus 71 Exordiorum uitia eodem.
Exordiorum figuræ eodem
Exordium ex aduerſarij actione optimum 70
Exordio quæ elocutio conueniat, & quæ actio. 71
Fabula 28
Facultas difficilis paratu 207
Facundia Latina Græcæ minime par 245
Figura 163. & 164.
Figuræ genus non unum &c. eodem
Figuratæ controuerſiæ 171
Figuræ græcanicæ 175
Figuras non eſſe plurimas 165
Figuris quomodo utendum 181
Finis in ſuaſorijs 59
Finitio quid ſit & ubi adhibenda 135
Finitiuarum quæſtionum ſpecies 135
Ficta imaginatio 169
Formularij 238 Frugalitas 16
Geometria perutilis oratori 22
Genus epicœnum 9
Genus dicendi uarium 243
Genera dicendi tria 244 & 247
Geſtus in amictu quis ſeruandus 228
Geſtus in pronunciando 223
Gloſſemata 19 Gradatio 178
Grāmatices diuiſio, & q̄ lata eius profeſ. 8
Græci in componendo feliciores 14
Hebetudo contra naturam 3
Hiſtoria 28 & 189
Homœologia 151
Homœoptoton 179 Homœoteleuton eodem
Hyperbole 162 Hyperbatō 162 & 175
Hypotypoſis 169
Imitatio utilis, & quid in ea obſeruandum 199
Inanes hiſtoriæ 19
Indecorum eſt quicquid nimium eſt 215
Infantia quomodo tractanda 4
In refutando duo intuenda 102
Interrogandi & reſpondendi figuræ 167
Interfatio in narrando 75 Ironia 162
Inſinuatio quæ, & quando ea utendum 70
Inſinuationis præcepta eodem
Inſinuationis cauſæ ex perſona iudicis eodem
Iſocolon 179 Iudicatio 65
Iudicium quid diſtet à conſilio 125
Iudicialium cauſarum partes 64
Laus deorū 58 Laus hominum eodem
Licentia 168
Legum laus & uituperatio 30
Locus quid, & eius diuiſio 89
Loci factorum &c. 90
Loci rerum 91
Loci cōmunes ubi adhibendi 106
Loci perſonarum 89
Loci communes teſtium & argumentorum 30
Luſus puerorum 7
Materiæ declamationum ueriſimiles 34
Memoria & imitatio ingenij ſigna 7
Memoriæ commendatio 215
Memoriæ uis eodem
Memoriæ exempla 218
Memoriæ confirmandæ artificium 216
Memoriæ artificioſæ inuentor simonides eodem
Merces quatenus à præcep. accipienda 240
Metaphora 158
Metaphoræ ſpecies 159
Metalepſis 158 & 161 Metabole 176
Metabaſis eodem
Metonimia ſiue Hypallage 160
Mioſis 151
Modus diſcendi & ſcribendi 246

Narratio quid, & uaria eius diuiſio 72
Narratio breuis 75
Narrandi ratio 74 Narrandi ordo 77
Narratio quomodo tractanda 78
Narratio aperta 74 Narrationis initiũ 80
Narratio quas figuras recipiat 79
Narrationum duæ ſpecies 73
Narratio quando neceſſaria 72
Narrationis locus in dicendo 73
Narratio credibilis 75
Narrationibus lõgioribus quomodo medẽdũ 75
Narrationum præexercitamenta 28
Narrationes fictæ 78 Narratio repet. 80
Narratio quæ contra nos eſt, quomodo tractanda. 76
Narrandum interdum ſæpius 77
Narrationis finis 80 Negocium 51
Neſcire aliqua utile 20
Noema 157 Nomen 9
Nominum origines 9 Nothus 57
Numerus & Rhythmus 184
Numeri duplices 22
Obſcuritas 147
Oeconomia in dicendo 48
Onomatopœia 60 Orator uir bonus 1
Oratori non una aliqua ſecta, ſed optima quæque amplectenda. 236
Oratoris ſeneſcentis officia 248
Ordo ſimilium quæſtionum 128
Ordo diſſimilium quæſtionum eodem
Ornatus dicendi proprius oratoris 148
Ornatus qualis eſſe debeat 149
Partes orationis apud grammaticos 9
Paradiaſtole 178 Paranomaſia eodem
Pariſon 179 Partitio 126
Partitione non ſemper utendum 82
Partiendi modus 84
Partes an opera rhethoricæ ſint appellanda 48
Parode 169 Πάθος 115 & 160
Periergia 152
Periphraſis 162 Periſſologia. 162 & 172
Permiſſio 168 φαντάσια 154 & 207
Philoſophiæ cognitio oratori neceſſaria 235
Philoſophia rationalis, moralis, naturalis eodem
Poetæ quomodo legendi 192
Poetica themata quomoda tractanda 34
Polyptoton 176 Polyſyndeton 177
Pleonaſmus 152 Ploce 177
Pragmatici 237
Prælectio authorum 31
Præceptis catholicis nõ ſemp inſiſtẽdũ &c. 37
Præcocia ingenia 7 Præſumptio 167
Probationum diuiſio 88
Proœmiũ unde dictũ 67 Proœmij uſus eodem
Proœmij uis &c. 72 Proœmij finis &c. eodẽ
Pronuntiatio quomodo formanda 5. & 221
Pronuntiatio in uoce & geſtu 216
Pronuntiatio ad partes cauſæ accõmod. 229
Pronunciatio apta 223
Pronunciatio ad uerba accommod. 230
Pronunciationis commendatio 219
Pronunciatio ad rem accommodanda 229
Propoſitio multiplex 82
Propoſitione quando utendum eodem
Propoſitio non ſeparatur à cõfirmat. &c. 81
Proſapia 16 Proſopopœia 168
Pudor in dicendo obſtat oratori. 238
Puerorum docilitas 25
Qualitas generalis 137
Qualitas iuridicialis eodem
Quæſtio 65
Quæſtiones quomodo reprehendendæ 129
Ratio 65 Refutatio 64 & 121
Reſpondendi figuræ 167
Retractatores 55
Rhetorice quid ſit 39
Rhetorice eſt uirtus 42
Rhetorice actiua ſcientia eſt 41
Rhetoricæ origo 47
Rhetoricæ quinque partes 48
Rhetoricæ & dialecticæ differentia 42
Rhetorices materia 43 Rhetoric. diuiſio 48
Rhetorices inſtrumentũ 44 Riſus 117
Ridiculi nomina uaria 118
Ridiculũ unde petendũ cũ in alios dicimus 119
Ridiculum in ſeipſum 122
Ridiculum in reſpondendo 121
Ridiculum ex rebus 120

shemata λέξεως 174
scribendi ratio 201
scribendi argumenta quæ proponenda 5
scriptores rhetoricæ 44
sensus communis 6
sententia quid significet 156
sententiæ uitiosæ 157
sententiæ quatenus adhibendæ in dicendo 158
sermocinatio 168
serium triplex 125
sextus & septimus casus 10
signa necessaria 89
signa non necessaria eodem
similitudo 160
similitudo & eius species 99
simulatio 168
solœcismus 12
solœcismi species eodem
solœcismus uno in uerbo & in gestu 13
status quid & quot sint 51
status negocialis 55
status legalis eodem
status in suasorijs 60
statu quo utendum, cum plures fieri possint 57
suadenti uel dissuadenti tria spectanda 60
suasoriæ proœmium eodem
Συνοικείωσις 178
synecdoche 159
Tapinosis 151
Tautologia eodem
Τεμάχιον 89
Testimoniorum tractatio 86
Testimonia diuina 88
Testimonia desiderata. eodem
Testamētorū causæ quomodo tractandæ 141
Testium duo genera 86
Timotheus musicus 27
Tropus 163
Troporum diuisio 158
Tropi & figuræ quid conueniant 163
Verborum consuetudo 16
Verborum autoritas eodem
Verba propria & translata 14
Verba latina & peregrina 13
Verba uetusta 16 Verba simplicia 10
verba composita 14 Verba impersonal. 10
Verborū idem significantiū uarietas 191
Verborum idem ualentium uarietas eod.
Verborum copia legendo paranda eod.
Verecundia interim aduersa oratori 238
Veterum poemata 19
Vocabulum 9 vox uiua 27
Vox quomodo curanda 220
Vox ad orationem accommodanda 220
Vituperatio hominum 59
Vrbium laudes. eodem

INDEX CAPITVM INstitutionum oratoriarum Quintiliani.

LIB. I.

Epistola ad Tryphonem. fo.1
Proœmium totius operis fo.eodem
Quam spem de filio recens nato præcipiat pater, &c. cap.1 fo.3
Quales præceptores ac pædagogi esse debeant &c. cap.2 fo.eodem
Vtrum utilius domi an in schol. erud. cap.3 fo.5
Qua ratione in paruis ingenia dignoscantur, &c. cap.4 fo.7
De grammatica. cap.5 fo.8
De literis & earum potestate, & orationis partibus. cap.6 fo.eodem
Declinare in primis nomina & uerba scire oportere pueros, & genera ac casus nosse. cap.7 fo.9
De uerbis & uerborum appellationibus cap.8 fo.10
de uirtutibus, & uitijs orationis. ca.9. fo.eo.
De uerbis proprijs & translatis, usitatis & nouis, & de quatuor quibus sermo constat. cap.10 fo.14
De uetustis uerbis, & quibus uerbis sit utendum ca.11 fo.16
De consuetudine. cap.12 fo.17
De orthographia. cap.13 fo.eodem
De electione pueri. cap.14 fo.18
De officio grammatici, & quæ primordia sint

dicendi.cap.15 fo.20
An oratori futuro neceſſaria ſit pluriũ artium ſcientia.cap.16 fo.20
De muſice & eius laudibus.cap.17 fo.21
Cõmodã geometriã oratori eſſe.cap.18 fo.22
De prima pronunciatione & geſtus inſtitutione.cap.19 fo.23
An prædicta diſcenda ſint eodem tempore. cap.20 fo.24

LIB. II.

Quando Rhetoricæ tradẽdus puer.ca.1 fo.26
De moribus & officijs præcep.cap.2 fo.eodem
An protinus præcep.optimo. ſit utẽ.ca.3 fo.27
De primis apud Rhetorem exercitationibus cap.4. fo.28
De lectione oratorum & hiſtoricorũ apud rhetorem.cap.5 fo.31
Qui primi legendi.cap.6 fo.32
De Diuiſione & parencheſi.cap.7 fo.eodẽ
De Ediſcendo.cap.8 fo.33
An ſecundum ſui quiſque ingenij docendus ſit naturam.cap.9 fo.eodem
De officio diſcipulorum.cap.10 fo.34
De utilitate & ratione declamãdi.ca.11 fo.eo.
An artis neceſſaria cognitio ſit.cap.12 fo.35
Quare ineruditi ingenioſiores uulgo habeantur. cap.13 fo.eodem
Quis modus ſit habendus in arte.ca.14 fo.36
Rhetorices etymus & totius operis diuiſio. cap.15 fo.37
Quid ſit rhetorice,& quis eius fin.ca.16 fo.eo.
An utilis ſit rhetoricæ.cap.17 fo.40
An rhetoricæ ſit ars.cap.18 fo.41
Generalis diuiſio artium, & ex quibus ſit Rhetoricæ.cap.19 fo.eodem
Vtrum plus conferat eloquentiæ ars , an natura.cap.20 fo.42
An uirtus ſit rhetoricæ.cap.21 fo.eodem
Quæ ſit materia Rhetoricæs.cap.22 fo.43

LIB. III.

De ſcriptoribus artis Rhetoricæ.cap.1 fo.44
Quod initium Rhetoricæs.cap.2 fo.47
Quinque eſſe partes rhetoricæ.cap.3 fo.48
Tria eſſe genera cauſarum.cap.4 fo.49
Quibus contineatur omnis rõ dicendi.ca.5 fo.50
Quid ſit ſtatus.cap.6 fo.51
Vnde ducatur ſtatus,& reus an actor ſtatũ faciat.cap.7 fo.52
Quot & qui ſtatus.cap.8 fo.53
De demõſtratiuo, quod conſtat laude & uitupe ratione.cap.9 fo.58
De ſuaſoria ſeu deliberatiua & proſopopœia. cap.10 fo.59
De partibus cauſarum iudicialiũ.ca.11 fo.64
De generibus iudicialium controuerſiarum. cap.12 fo.eodem
Quid,& quæ ſit quæſtio,ratio,iudicatio,continens,& quatenus neceſſaria.cap.13 fo.65

LIB. IIII.

Prologus fo.67
De Exordio.ca.1 fo.eo.
De Narratione.cap.2 fo.72
De Egreſſione.cap.3 fo.80
De propoſitione.cap.4 fo.81
De Partitione.cap.5 fo.82

LIB. V.

Prologus fo.84
De Probationũ Diuiſione.cap.1 fo.eodem
De Præiudicijs.cap.2 fo.85
De Rumore & fama.cap.3 fo.eodem
De Tormentis.cap.4 fo.eodem
De Tabulis & ijs quæ contra tabul.ca.5 fo.eo.
De Iureiurando.cap.6 fo.eodem
De Teſtibus.cap.7 fo.86
De probatione artificiali.cap.8 fo.88
De Signis.cap.9 fo.89
De Argumentis.cap.10 fo.eodem
De Exemplis.cap.11 fo.98
De Vſu argumentorum.cap.12 101
De refutatione.cap.13 fo.102
Quibus conſtet epicherema, & quomodo refellatur.cap.14 fo.106

LIB. VI.

Proœmiũ,in quo de fortuna ſua queritur Quintilianus. fo.109
De Concluſione ſeu peroratione.cap.1 fo.110
Rurſus de affectibus mouendis.cap.2 fo.112
De Diuiſione affectuũ,& quomodo mouẽdi ſunt. cap.3 fo.114

De Risu.cap.4 fo.117
De altercatione.cap.5 fo.124
De Iudicio & consilio.cap.6 fo.125

LIB. VII.

De Diuisione in uniuersum, seu de parenchiresi. cap.1 fo.126
De dispositione facienda.cap.2 fo.eodē
De coniectura.cap.3 fo.131
De Finitione.cap.4 fo.135
De Qualitate.cap. 5 fo.137
De Actionis quæstione.cap.6 fo.140
De Statu ex scripto & qualitate.cap.7.fo.eodē
De Contrarijs legibus.cap.8 fo.141
De Syllogismo seu ratiocinatione. cap.9 fo.142
De Ambiguo, seu Amphibolog.cap.10 fo. eodem
Quæ sit inter status cognatio, & quæ diuersitas.cap.11 fo.143

LIB. VIII.

Proœmium. fo.144
Quæ in elocutione spectanda.cap.1. fo. 145
De perspicuitate.cap.2 fo.147
De Ornatu.cap.3 fo. 148
De amplificatione.cap.4 fo.154
De Generibus sententiarum.cap.5 fo.156
De Tropis.cap.6 fo.158

LIB. IX.

In quo differant figuræ à Tropis.cap.1.fo. 163
De figuris sententiarum.cap.2 fo.166
De figuris uerborum.cap.3 fo.174
De compositione.cap.4 fo.181

LIB. X.

De Copia uerborum.cap.1 fo.191
De Imitatione.cap.2 fo. 199
Quis modus scribendi sit.cap.3 fo. 201
De Emendatione.cap.4 fo.203
Quæ scribenda sunt præcipue.cap.5 fo.204
De Cogitatione.cap.6 fo.206
Quemadmodum extemporalis facultas paretur & contineatur.cap.7 fo.eodem

LIB. XI.

De Apte dicendo.cap.1 fo.209
De memoria.cap.2 fo.215
De pronunciatione.cap.3 fo.219
De uocis natura & cura fo.220
De gestu pronunciationis fo.223
Quid cuiq; parti & sententijs & uerbis fo.eo.
Et quid quenque deceat.cap.eodem. fo.228

LIB. XII.

Proœmium fo.231
Non posse orat. esse nisi uirum bonum. cap.1 fo.eodem
Cognoscenda esse oratori quibus mores formentur.cap.2 fo.235
Necessariam esse iuris ciuilis scientiam oratori.cap.3 fo.237
Necessariam oratori cognitionem historiarum. cap.4 fo.238
Quæ sint oratoris instrumenta.cap.5 fo.eod.
Quod tempus sit idoneum incipiendi agere causas.cap.6 fo.239
Quæ in suscipiendis causis oratori obseruanda sint.cap.7 fo.eodem
Quæ in discendis causis oratori obseruanda sint. cap.8 fo.240
Quæ in agendis causis oratori seruanda sint. cap.9 fo.241
De genere dicendi.cap.10 fo.243
Quæ post finem agendi sint oratori studia. cap.11 fo.248.

FINIS.

M. FABIVS QVINTILIANVS Triphoni bibliopolæ S.

Causa edendi operis.

EFflagitasti quotidiano conuicio, vt libros quos ad Marcellum meum de institutione oratoria scripserã, iam emittere inciperẽ. Nam ipse eos nondũ opinabar satis maturuisse, quibus componendis (vt scis) paulo plus q̃ biennium tot alioqui negotijs districtus impendi: quod tempus non tam stylo, quàm inquisitioni instituti operis, propè infiniti, & legẽdis authoribus, qui sunt innumerabiles, datum est. Vsus deinde Horatij consilio, qui in Arte poetica suadet ne præcipitetur editio, nonúmq; prematur in annum, dabam ijs ocium, vt refrigerato inuentionis amore, diligentius repetitos tanquam lector perpẽderem. Sed si tantopere efflagitãtur, quàm tu affirmas, permittamus vela ventis, & oram soluentibus bene precemur. Multũ autem in tua quoque fide ac diligentia positum est, vt in manus hominũ quàmemendatissimi veniant.

M. F. Quintiliani in oratoriæ institutionis librum primum, ad Marcellum Victorium Procœmium.

Causa cõdendi operis.

PRost impetratã studijs meis quietẽ, quæ per XX. annos erudiẽdis iuuenibus impenderã, cum à me quidam familiariter postularẽt, vt aliquid de oratione dicendi cõponerem, diu sum equidem reluctatus: q̃ authores vtriusque linguæ clarissimos non ignorabam, multaq; ad hoc opus pertinerẽt, diligentissimè scripta posteris reliquisse. Sed qua ego ex causa faciliorẽ mihi veniã meæ deprecationis arbitrabar fore, hac accendebãtur illi magis, q̃ inter diuersas opiniones priorũ, & quasdam etiã inter se contrarias difficilis esset electio: vt mihi si nõ inueniẽdi noua, at certe iudicandi de veteribus iniungere laborẽ non iniuste viderẽtur. Quãuis autẽ non tam me vinceret præstãdi quod exigebatur fiducia, quàm negandi verecundia, latius se tamen aperiente materia, plus quàm imponebatur oneris sponte susceпi: simul vt pleniori obsequio demererer amantissimos mei, simul ne vulgarẽ viam ingressus alienis demũ vestigijs insisterem. Nam cæteri ferè, qui artẽ orandi literis tradiderũt, ita sunt exorsi, quasi perfectis omni alio genere doctrinæ summã in eloquen-

tia manũ imponerent: ſiue contemnentes tanquam parua, quę prius diſcimus ſtudia, ſiue non ad ſuum pertinere officiũ opinati, quando diuiſæ profeſſionũ vices eſſent: ſeu, quod proximum vero, nullam ingenij ſperantes gratiã circa res, etiam ſi neceſſarias, procul tamen ab oſtentatione poſitas: vt operũ faſtigia ſpectantur, latent fundamenta. Ego cum exiſtimẽ nihil arti oratoriæ alienum, ſine quo non fieri poſſe oratorem fatendum eſt, nec ad vllius rei ſummam niſi præcedentibus initijs perueniri: ad minora illa, ſed quæ ſi negligas, nõ ſit maioribus locus, demittere me nõ recuſabo: nec aliter, quàm ſi mihi tradatur educandus orator, ſtudia eius formare ab infantia incipiam. ¶ Quod opus Marcelle Victori tibi dicamus, quẽ cum amiciſſimũ nobis, tum eximio literarum amore flagrantẽ, non propter hæc modo (quanquã ſunt magna) digniſſimũ hoc mutuæ inter nos charitatis pignore iudicabamus: ſed q̃ erudiendo nato tuo, cuius prima ætas manifeſtum iter ad ingenij lumen oſtendit, nõ inutiles fore libri videbantur: quos ab ipſis dicẽdi velut incunabulis per omnes (quæ modo aliquid oratori futuro conferant) artes, ad ſummã eius operis perducere deſtinabamus. Atque eo magis, quòd duo iam ſub nomine meo libri ferebãtur artis Rhetoricę, neque ẽditi à me, neque in hoc comparati. Nanque alterum ſermone per biduum habito, pueri quibus id præſtabatur, exceperant: alterum pluribus ſanè diebus, quantum notando conſequi potuerant, interceptum boni iuuenes, ſed nimium amantes mei, temerario editionis honore vulgauerant. Quare in his quoque libris erunt eadem aliqua, multa mutata, plurima adiecta, omnia verò copoſitiora, & quàm nos poterimus elaborata. ¶ Oratorem autem inſtituimus illum perfectũ, qui eſſe niſi vir bonus non poteſt: ideóque non dicendi modo eximiã in eo facultatẽ, ſed omnes animi virtutes exigimus. Neque enim hoc cõceſſerim, rationem rectæ honeſtæque vitæ (vt quidam putauerũt) ad philoſophos relegandã: cum vir ille vere ciuilis, & publicarum priuatarúmque rerum adminiſtrationi accommodatus, qui regere conſilijs vrbes, fundare legibus, emendare iudicijs poſſit, non alius ſit profecto quàm orator. Quare tametſi me fateor vſurum quibuſdam, quę philoſophorũ libris continentur, tamen ea iure veréque contenderim eſſe operis noſtri, proprieq; ad artem oratoriam pertinere. An ſi frequentiſſimè de iuſtitia, fortitudine, temperantia, cæteríſque ſimilibus ſit diſſerendũ: & adeo

Orator vir bonus.

vt vix vlla possit causa reperiri, in qua nõ aliqua quęstio ex his incidat, eaque omnia inuentione atque elocutione sint explicanda, dubitabitur vbicũque vis ingenij, & copia dicendi postulatur, ibi partes oratoris esse præcipuas? Fuerũtque hæc, vt Cicero apertissimè colligit, quemadmodum iuncta natura, sic officio quoque copulata, vt ijdem sapientes atque eloquentes haberẽtur. Scidit deinde se studium, atq; inertia factum est, vt artes esse plures viderentur. Nam vt primum lingua esse cœpit in quæstu, institutúmque eloquentiæ bonis male vti, curã morum qui diserti habebantur, reliquerunt. Ea verò destituta, infirmioribus ingenijs velut prædæ fuit. Inde quidam contempto bene dicendi labore ad formandos animos, statuendásque vitæ leges regressi, partem quidem potiorem (si diuidi posset) rẽtinuerunt, nomen tamen sibi insolentissimum arrogauerunt, vt soli sapientiæ studiosi vocarẽtur. Quod neque summi imperatores, neque in consilijs rerum maximarum ac totius administratione Reip præclarissimè versati, sibi vnquam vendicare sunt ausi. Facere enim optima q̃ promittere maluerunt. Ac veterum quidẽ sapientiæ professorũ multos & honesta præcepisse, & vt præceperunt etiam vixisse, facile concesserim, nostris vero tẽporibus sub hoc nomine maxima in plerisque vitia latuerũt. Non enim virtute ac studijs vt haberentur philosophi laborabãt, sed vultũ & tristitiam, & dissentiẽtẽ à cæteris habitũ pessimis moribus prætẽdebant. Nunc autẽ quæ velut propria philosophiæ asserũtur, passim tractamus omnes. Quis enim modo de iusto, æquo, ac bono, non, & vir pessimus loquitur? quis non etiam rusticorum aliqua de causis naturalibus quærit? Nam verborũ proprietas ac differentia omnibus, qui sermonem curæ habent, debet esse communis. Sed ea & sciet optime, & eloquetur orator, qui si fuisset aliquando perfectus, non à philosophorum scholis virtutis præcepta peterentur. Nunc necesse est ad eos aliquando authores recurrere, qui desertam (vt dixi) partẽ oratoriæ artis, meliorem præsertim, occupauerunt, & velut nostrum reposcere, non vt illorum vtamur inuentis, sed vt illos alienis vsos esse doceamus.

¶ Sit igitur orator vir talis, qualis vere sapiens appellari possit: nec moribus modo perfectus (nam id mea quidem opinione, quanquam sint qui dissentiãt, satis non est) sed etiam scientia & omni facultate dicendi, qualis adhuc fortasse nemo fuerit. Sed non ideo minus nobis ad summam tendendum est,

Lib. 3. de ora.

quod fecerunt plerique veterum: qui etsi nondum quenquam sapientem repertum putabant, præcepta tamen sapientiæ tradiderunt. Nam est certe aliquid consummata eloquentia, neque ad eam peruenire natura humani ingenij prohibet: quod si non contingat, altius tamen ibunt, qui ad summa nitentur, quàm qui præsumpta desperatione quo velint euadendi, protinus circa ima substiterint. ¶ Quo magis impetranda venia erit, si ne minora quidem illa, verùm operi quod instituimus necessaria, præteribo. Nam liber primus ea, quæ sunt ante officium rhetoris, continebit. Secundo, prima apud rhetorem elementa, & quæ de ipsa rhetoricæ substantia quærūntur, tractabimus. Quinque deinceps inuentioni (nam & huic dispositio subiūgitur) quatuor elocutioni, in cuius partem memoria ac pronuntiatio veniunt, dabūtur. Vnus accedet in quo nobis orator ipse informandus est, vt qui mores eius, quæ in suscipiendis, discendis, agendis causis ratio, quod eloquētiæ genus, quis agendi debeat esse finis, quæ post finem studia, quantum nostra valebit infirmitas, disseramus. His omnibus admiscebitur, vt quisque locus postulabit, dicendi ratio: quæ non eorum modo scientia, quibus solis quidam nomen artis dederūt, studiosos instruat, & (vt sic dixerim) ius ipsum rhetorices interpretetur, sed alere facundiam, vires augere eloquentiæ possit. Nam plerumque nudæ illę artes nimiæ subtilitatis affectatione frangunt atque concidunt quicquid est in oratione generosius, & omnem succum ingenij bibunt, & ossa detegunt: quæ vt esse & astringi neruis suis debent, sic corpore operienda sunt. Ideóque nos non particulam illam (sicut plerique) sed quicquid vtile ad instituendum oratorem putabamus, in hos duodecim libros contulimus, breuiter omnia demonstrando. Nam si quantum de quaque re dici potest, prosequamur, finis operis non reperietur. ¶ Illud tamen in primis testandum est, nihil præcepta atque artes valere, nisi adiuuante natura. Quapropter ei cui deerit ingenium, non magis hæc scripta sunt, quàm de agrorum cultu sterilibus terris. Sunt & alia ingenita cuique adiumenta, vox, latus patiens laboris, valetudo, cōstantia, decor: quæ si modica obtigerunt, possunt ratione ampliari, sed nonnunquam ita desunt, vt bona etiam ingenij studiique corrumpant, sicut & hæc ipsa sine doctore perito, studio pertinaci, scribendi, legendi, dicendi multa & continua exercitatione, per se nihil prosunt.

Totius operis diuisio.

¶ Quam ſpem de filio recens nato præcipiat pater, & à quali nutrice, & inter quos collactaneos educandum curet. Caput I.

IGitur nato filio pater ſpem de illo primũ quamoptimam capiat, ita diligẽtior à principijs fiet. Falſa enim eſt querela, pauciſſimis hominibus vim percipiendi quæ tradantur eſſe cõceſſam, pleroſque vero laborem ac tempora tarditate ingenij perdere. Nam contrà plures reperias & faciles in excogitando, & ad diſcendum promptos. Quippe id eſt homini naturale: ac ſicut aues ad volatum, equi ad curſum, ad ſæuitiam feræ gignuntur, ita nobis propria eſt mentis agitatio atque ſolertia: vnde origo animi cęleſtis creditur. Hebetes verò & indociles non magis ſecundum naturam hominis edũtur, quàm prodigioſa corpora, & monſtris inſignia. Sed hi pauci admodum fuerũt. Argumentũ, quòd in pueris elucet ſpes plurimorum: quæ cum emoritur ætate, manifeſtum eſt non naturam defeciſſe, ſed curam. [Præſtat tamẽ ingenio alius alium, concedo: ſed vt plus efficiat aut minus. Nemo tamen reperitur, qui ſit ſtudio nihil conſecutus. Hoc qui perſpexerit, protinus vt erit parẽs factus, acrem quammaxime curam ſpei futuri oratoris impẽdat. ¶ Ante omnia ne ſit vitioſus ſermo nutricibus, quas (ſi fieri poſſet) ſapientes Chryſippus optauit: certè quantum res pateretur optimas eligi voluit. Et morum quidem in his haud dubiè prior ratio eſt, rectè tamen etiam loquantur. Has primum audiet puer, harum verba effingere imitando conabitur. Et natura tenaciſſimi ſumus eorum quæ rudibus annis percipimus, vt ſapor quo noua imbuas durat: nec lanarum colores, quibus ſimplex ille candor mutatus eſt, eluipoſſunt. Et hæc ipſa magis pertinaciter hærent, quæ deteriora ſunt. Nam bona facilè mutantur in peius, nunc quando in bonum verteris vitia? Non aſſueſcat ergo, ne dum infans quidem eſt, ſermoni qui dediſcẽdus ſit. ¶ In parẽtibus verò quã plurimum eſſe eruditionis optauerim. Verũm nec de patribus tantum loquor. Nam Gracchorum eloquentiæ multũ contuliſſe accepimus Corneliam matrem, cuius doctiſſimus ſermo in poſteros quoque eſt epiſtolis traditus. Et Lælij filia reddidiſſe in loquendo paternam eloquentiam elegantiorem dicitur. Et Q. Hortenſij filiæ oratio apud Triumuiros habita legitur, non tantum in ſexus honorem. Nec tamen ij quibus diſcere ipſis non contigit, minorem curam docendi liberos ha-

Hebetes contranaturam.

Cornelia Gracchorum mater.

beant, sed sint propter hoc ipsum ad cætera magis diligentes. De pueris inter quos educabitur ille huic spei destinatus, idem quod de nutricibus, dictum sit.

¶ Quales præceptores ac pædagogi esse debeant, & à quo sermone, & qua ætate auspicandum sit. Cap. II.

DE pædagogis hoc āplius, vt aut sint eruditi planè, quā primā esse curā velim: aut se non esse eruditos sciant. Nihil enim peius est ijs, qui paulum aliquid vltra primas literas progressi falsam sibi scientiæ persuasionem induerunt. Nam & cedere præcipiendi peritis indignantur, & velut iure quodam potestatis, quò ferè hoc hominū genus intumescit, imperiosi atq; interim sæuientes stultitiā suam perdocēt. Nec minus error eorū nocet moribus. Siquidē Leonides Alexādri pædagogus (vt à Babylonio Diogene traditur) quibusdā eum vitijs imbuit, quæ robustū quoq; & maximū regē ab illa institutione puerili sunt persecuta. Si cui multa videor exigere, cogitet oratorē institui, rem arduam, etiā cum ei formando nihil defuerit, præterea plura ac difficiliora supereſſe. Nam & studio perpetuo, & præstantissimis præceptoribus, & pluribus disciplinis opus est. Quapropter præcipiēda sunt optima, quę si quis grauabitur, nō rationi defuerit, sed oneri. Si tamen non continget quales maxime velim habere nutrices, pueros, pædagogos, at vnus certe sit assiduus dicendi non imperitus: qui, si qua erūt ab his præsente alumno dicta vitiosē, corrigat protinus, nec insidere illi sinat, dum tamen intelligatur id, quod prius dixi bonū esse, hoc remediū. ¶ A sermone græco puerū incipere malo, quia latinus, qui plurib⁹ in vsu est, vel nobis nolentibus se præbet, simul quia disciplinis quoque græcis prius instituendus est, vnde & nostræ fluxerunt. Non tamē hoc adeo superstitiosè velim fieri, vt diu tantum loquatur græcè aut discat, sicut pleriſq; moris est. Hinc enim accidunt, & oris plurima vitia in peregrinū sonū corrupti, & sermonis, cui cū græcę figuræ assidua cōsuetudine hęserint, in diuersa quoq; loquēdi ratione pertinacissimē durāt. Non lōge itaq; latina subsequi debent, & cito pariter ire. Ita fiet, vt cum æquali cura linguam vtranq; tueri cœperimus, neutra alteri officiat. ¶ Quidam literis instituendos, qui minores septem annis essent, non putauerunt, quòd per illa primum ætas, & intellectum disciplinarum capere, & laborem pati non possit. In qua sentētia Hesiodum esse plurimi tradūt, qui ante grāmaticum Aristophanem fue-

A Græco auspicandum.

Etiam ante septimum annū incipiendum.

runt. Nam is primus περὶ δίκαιου, in quo libro ſcriptum hoc inuenitur, negauit eſſe huius poetæ. Sed alij quoq; authores, inter quos Eratoſthenes, idem præceperunt. Melius autẽ qui nullum tẽpus vacare cura volũt, vt Chryſippus, nam is, quãuis nutricibus triennium dederit, tamen ab illis quoq; iam formandam quamoptimis inſtitutis mentẽ infantium iudicat. Cur autem nõ pertineat ad literas ætas, quæ ad mores iam pertinet? Neq; ignoro toto illo (de quo loquor) tẽpore vix tantũ effici, quantum cõferre vnus poſtea poſſit annus. Sed tamen mihi qui id ſenſerunt videntur non tam diſcentibus in hac parte, quàm docentibus peperciſſe. Quid melius alioqui facient, ex quo loqui poterũt? Faciãt enim aliquid neceſſe eſt. Aut cur hoc quantulũcunq; eſt vſq; ad ſeptẽ annos lucrũ faſtidiamus? Nam certe quãlibet parum ſit quod cõtulerit ætas prior, maiora tamen aliqua diſcet puer eo ipſo anno, quo minora didiciſſet. Hoc per ſingulos annos prorogatũ in ſummam proficit, & quantum in infantia præſumptũ eſt tẽporis, adoleſcentię acquiritur. Idem etiam de ſequẽtibus annis præceptũ ſit. Ne quod cuiq; diſcendũ eſt, ſerò diſcere incipiat. Nõ ergo perdamus primũ ſtatim tempus, atq; eo minus q̃ initia literarũ ſola memoria cõſtãt: quæ non modo iam eſt in paruis, ſed tum etiã tenaciſſima eſt.

Infantia quomodo tractãda.

¶ Non ſum adeò ætatũ imprudens, vt inſtandũ teneris protinus acerbe putẽ, exigendámq; plenã operã. Nam id in primis cauere oportebit, ne ſtudia qui amare nondũ poteſt, oderit: & amaritudinẽ ſemel perceptã, etiã vltra rudes annos reformidet. Luſus hic ſit, etiã rogetur & laudetur, & nõnunq̃ ſciſſe ſe gaudeat. Aliquando ipſo nolente doceatur alius, cui inuideat: contẽdat interim, & ſæpius vincere ſe putet: præmijs etiã quę capit illa ætas, euocetur. ¶ Parua docemus inſtituendũ oratorẽ profeſſi: ſed eſt ſua etiã ſtudijs infantia, & vt corporũ mox fortiſſimorũ educatio à lacte cuníſq; initiũ ducit, ita futurus eloquentiſſimus edidit aliquãdo vagitũ, & loqui primum incerta voce tentauit, & hæſit circa formas literarum. Nec ſi quid diſcere ſatis non eſt, ideo neceſſe non eſt. Quòd ſi nemo reprehendit patrẽ qui hæc non negligẽda in ſuo filio putet, cur improbetur, ſi quis ea quæ domi ſuæ rectè faceret in publicum promit? Atq; eo magis, q̃ minora etiã facilius minores percipiunt: & vt corpora ad quoſdã mẽmbrorũ flexus formari niſi tenera nõ poſſunt, ſic animos quoq; ad pleraq; duriores robur ipſum facit. An Philippus Macedonum rex Alexandro filio

ſuo prima literarum elemẽta tradi ab Ariſtotele ſummo eius ætatis philoſopho voluiſſet, aut ille ſuſcepiſſet hoc officium, ſi non ſtudiorũ initia, à perfectiſſimo quoq; tractari, pertinere ad ſummã credidiſſet? Fingamus igitur Alexãdrũ dari nobis, impoſitũ gremio, dignum tãta cura infantem (quãquam ſuus cuiq; dignus eſt) pudeat ne me ſtatim in ipſis elemẽtis etiam breuia docendi monſtrare cõpendia? ¶ Neq; enim mihi aliud ſaltẽ placet, quod fieri in plurimis video, vt literarũ nomina & contextum, prius q̃ formas paruuli diſcant. Obſtat hoc agnitioni ætatum earum non intendentibus mox animũ ad ipſos ductus, dum antecedentẽ memoriam ſequuntur. Quæ cauſa eſt præcipientibus, vt etiam cum ſatis affixiſſe eas pueris recto illo quo primũ ſcribi ſolent contextu videntur, retroagãt rurſus, & varia permutatione perturbent, donec literas qui inſtituuntur, facie norint nõ ordine. Quapropter optime, ſicut hominum, pariter & habitus & nomina edocebuntur. Sed quod in literis obeſt, in ſyllabis non nocebit. Non excludo autem id quod eſt notum, irritande ad diſcendum infantiæ gratia eburneas etiã literarũ formas in lusum offerre, vel ſi quid aliud, quo magis illa ætas gaudeat: inueniri poteſt, quod tractare, intueri, nominare, iucũdum ſit. ¶ Cũ verò iam ductus ſequi cœperit, nõ inutile erit, eas tabellæ quãoptime inſculpi, vt per illos velut ſulcos ducatur ſtylus. Nam neque errabit quẽadmodum in ceris (continebitur vtrinq; marginibus) nec extra præſcriptũ poterit egredi, & celerius ac ſæpius ſequẽdo certa veſtigia formabit articulos, neque egebit adiutorio manũ ſuam manu ſuperimpoſita regentis. Non eſt aliena res, quæ ferè ab honeſtis negligi ſolet, cura bene ac velociter ſcribendi. Nam cum ſit in ſtudijs præcipuum * quóq; ſolo verus ille profectus & altis radicibus nixus paretur, ſcribere ipſum, tardior ſtylus cogitationem moratur, & rudis & cõfuſus intellectu caret: vnde ſequitur alter dictandi, quæ ex his trãſferenda ſunt, labor. Quare cum ſemper & vbique, tum præcipue in epiſtolis ſecretis & familiaribus delectabit, ne hoc quidẽ neglectũ reliquiſſe.

De literis.

De ſcribẽdo.

De ſyllabis.

¶ Syllabis nullũ compẽdium eſt, perdiſcẽdæ omnes, nec vt fit plerunque, difficillima quæque earum differenda, vt in nominibus ſcribendis deprehẽdantur. Quinimo ne primæ quidem memoriæ temere credendum: repetere & inculcare diu fuerit vtilius, & in lectione quoq; nõ properare ad continuãdam eam vel accelerandã, niſi cũ inoffenſa atq; indubitata literarũ

inter se cõiunctio suppeditare sine vlla cogitandi saltẽ mora poterit: tunc ipsis syllabis verba complecti, & his sermonem connectere incipiat. Incredibile est quantũ moræ lectioni festinatione adijciatur. Hinc enim accidit dubitatio, intermissio, repetitio, plusquã possunt audentibus: deinde cũ errarunt, etiam ijs quæ iam sciunt diffidẽtibus. Certa sit ergo in primis lectio, deinde coniuncta, & diu lentior, donec exercitatione cõtingat emendata velocitas. Nã prospicere in dextrũ (quod omnes præcipiunt) & prouidere, non rationis modo, sed vsus quoque est, quoniã sequentia intuenti priora dicenda sunt: & quod difficillimũ est, diuidenda intentio animi, vt aliud voce, aliud oculis agatur. ¶ Illud non pœnitebit curasse, cũ scribere nomina puer (quemadmodum moris est) cœperit, ne hanc operã in vocabulis vulgaribus & forte occurrentibus ponat. Protenus enim potest interpretationem linguæ secretioris, id est, quas Græci Glossas vocant, dum aliud agitur, ediscere: & inter prima elementa cõsequi rem postea propriũ tempus desideraturã. Et quoniã adhuc circa res tenues moramur: ij quoque versus, qui ad imitationem scribendi proponentur, non ociosas velim sententias habeant, sed honestum aliquid monentes. Prosequitur hæc memoria in senectutem, & impressa animo rudi vsq; ad mores proficiet. Etiam dicta clarorũ virorum, & electos ex poetis maxime (nãque eorũ paruis cognitio gratior est) locos ediscere inter lusum licet. Nam & maxime necessaria est oratori (sicut suo loco dicam) memoria: & ea præcipuè firmatur atque alitur exercitatione: & in his de quibus nunc loquimur ætatibus, quæ nihil dum ipsæ generare ex se queunt, propẽ sola est quæ iuuare cura docentium possit.

Quæ in scribendo proponenda.

¶ Non alienũ fuerit exigere ab his ætatibus, quo sit absolutius os & expressior sermo, vt nomina quædã versusque affectatæ difficultatis ex pluribus asperrimè coeuntibus inter se syllabis catenatos, & velut confragosos quamcitatissimè voluant: χαλεπωθι græcè vocantur, res modica dictu, qua tamen omissa, multa linguæ vitia, nisi primis eximuntur annis, inemendabili in posterum prauitate durentur.

Pronuntiatio quomodo formanda.

¶ Vtrum vtilius domi an in scholis erudiãtur. Cap. III.

SEd nobis iam paulatim accrescere puer & exire de gremio, ac discere seriò incipiat. Hoc igitur potissimũ loco tractanda quæstio est, Vtilius ne sit domi atque intra priuatos parietes studẽtem cõtinere: an frequentiæ scholarũ,

& velut publicis præceptoribus tradere. Quod quidē cum ijs, à quibus clarissimarum ciuitatum mores sunt instituti, tum eminētissimis authoribus video placuisse. Nō est tamen dissimulandū esse nonnullos, qui ab hoc propē publico more priuata quadam persuasione dissentiant. ¶ Hi duas præcipuè rationes sequi videntur: vnam q̄ moribus magis consulant fugiendo turbam hominū eius ætatis, quæ sit ad vitia maximè prona: vnde causas turpium factorum sæpe extitisse vtinam falsō iactaretur. [Alteram, q̄ quisquis futurus est ille præceptor, liberalius tempora sua impensurus vni videtur, q̄ si eadē in plures partiatur. ¶ Prior causa prorsus grauis. Nam si studijs qnidem scholas prodesse, moribus autem nocere constaret, potior mihi ratio viuendi honeste, q̄ vel optimè dicendi videretur. Sed mea quidē sententia, iuncta ista atq; indiscreta sunt. Neque enim esse oratorē nisi bonum virū iudico, & fieri etiam si posset nolo. De hac re igitur prius. Corrūpi mores in scholis putant: nam & corrūpuntur interim, sed domi quoq;: & sunt multa eius rei exempla, tam læsæ hercle, q̄ cōseruatæ sanctissimæ vtrobiq; opinionis. Natura cuiusque totū curáque distat: da mentem ad peiora facilē, da negligentiā formandi custodiendíq; in ætate prima pudoris, non minorem flagitijs occasionē secreta præbuerint. Nam & esse potest turpis domesticus ille præceptor, nec tutior inter seruos malos, q̄ ingenuos parum modestos conuersatio est. At si bona ipsius indoles, si non cæca ac sopita parentū secordia est, & præceptorē eligere sanctissimū quēq;, cuius rei præcipua prudentibus cura est, & disciplinam quæ maxime seuera fuerit, licet: & nihilominus amicum grauē virum, aut fidelē libertum lateri filij sui adiungere, cuius assiduus comitatus etiā illos meliores faciat qui timebātur. Facile erat huius metus remediū. Vtinā liberorū nō strorū mores nō ipsi perderemus. Infantiā statim delicijs soluimus. Mollis illa educatio, quam indulgentiā voca mus, neruos omnes & mentis & corporis frangit. Quid nō adultus concupiscet, qui in purpuris repit? Nondū prima verba exprimit, & iam coccum intelligit, iam conchyliū poscit. Antè palatum eorum q̄ os instituimus. In lecticis crescūt: si terrā attigerint, è manibus vtrinq; sustinentiū pendēt. Gaudemus si quid licētius dixerint. Verba ne Alexandrinis quidē permittenda delicijs, risu & osculo excipimus. Nec mirum. nos docuimus, ex nobis audierunt, nostras amicas, nostros concubinos vident.

Profert opiniones cōtrarias, & ordine soluit.

Confutatio.

Contra parentes.

Omne conuiuium obſcœnis canticis ſtrepit, pudenda dictu ſpectantur. Fit ex his cõſuetudo, deinde natura diſcunt hæc miſeri antequam ſciant vitia eſſe. Inde ſoluti ac fluentes non accipiunt ex ſcholis mala iſta, ſed in ſcholas afferunt. [Verũ in ſtudijs magis vacabit vnus vni. Ante omnia nihil prohibet eſſe iſtum neſcio quẽ vnum etiam cum eo, qui in ſcholis eruditur. Sed etiamſi iungi vtrumque non poſſet, lumen tamen illud conuentus honeſtiſſimi, tenebris ac ſolitudini prætuliſſem. Nam optimus quiſque præceptor frequentia gaudet, ac maiore ſe theatro dignum putat. At ferè minores ex conſcientia ſuæ infirmitatis hærere ſingulis, & officio fungi quodammodo pædagogorum non indignantur. Sed præſtet alicui vel gratia, vel amicitia, vel pecunia, vt doctiſſimũ atque incomparabilem magiſtrum domi habeat, non tamen ille totum in vno diem conſumpturus eſt. Haud poteſt eſſe vlla tam perpetua diſcentis intentio, quæ non vt viſus oculorum obtutu continuo fatigetur, cum præſertim plus ſecreti temporis ſtudia deſiderent. Neque enim ediſcenti, ſcribẽti, & cogitanti præceptor aſſiſtit, quorũ aliquid agentibus cuiuſcunq; interuentus impedimento eſt. Lectio quoque non omnis nec ſemper præeunte, vel interpretante eget. Quando enim tot authorum notitia contingeret? Ergo modicum tempus eſt, quo in totum diem velut opus ordinetur. Ideóque per plures ire poſſunt etiam quæ ſingulis tradenda ſunt. Pleraque verò hanc conditionem habent, vt eadem voce ad omnes ſimul perferantur. Taceo de partitionibus & declamationibus rhetorum, quibus certe quantuſcũque numerus adhibeatur, tamen vnuſquiſque totum feret. Non enim vox illa præceptoris, vt cœna, minus pluribus ſufficit: ſed vt ſol, vniuerſis idem lucis caloriſq; largitur. Grammaticus quoque ſi de ratione loquendi diſſerat, quæſtiones explicet, hiſtorias exponat, poemata enarret: tot illa diſcent, quot audient. [At enim emendationi prælectioníque numerus obſtat. Sit incõmodũ, nam quid ferè vndique placet? mox illud cõparabimus commodis. Nec ego tamen eò mitti puerum volo, vbi negligatur. Sed neq; præceptor bonus maiore ſe turba, q̃ vt ſuſtinere eam poſſit, onerauerit. & in primis ea habenda cura eſt, vt is omnino fiat nobis familiariter amicus, nec officium in docendo ſpectet, ſed affectũ: ita nunquã erimus in turba. Nec ſanè quiſquã literis ſaltem leuiter imbutus, eũ in quo ſtudiũ ingeniũq;

Obiectio ſecunda & cõfutatio.

Alia obiectio.

perſpexerit, nõ in ſuam quoq; gloriã peculiariter fouebit. Sed vt fugiendæ ſint magnæ ſcholæ (cui ne ipſe quidẽ rei aſſentior, ſi ad aliquem meritò cõcurritur) non tamen hoc eò valet, vt fugiendæ ſint omnino ſcholæ. Aliud eſt enim vitare eas, aliud eligere. Et ſi refutauimus quæ cõtrà dicuntur, iam explicemus quid ipſi ſequamur. ¶ Ante omnia, futurus orator, cui in maxima celebritate, & in media Reipub. luce viuendũ eſt, aſſueſcat iam à tenero non reformidare homines, neque illa ſolitaria, & velut vmbratili vita palleſcere. Excitanda mens & attollenda ſemper eſt, quæ in huiuſmodi ſecretis, aut langueſcit, & quendã velut in opaco ſitum ducit, aut contrà tumeſcit inani perſuaſione. Neceſſe eſt enim ſibi nimiũ tribuat, qui ſe nemini cõparat. [Deinde cum proferenda ſunt ſtudia, caligat in ſole, & omnia noua offendit, vt qui ſolus didicerit, quod inter multos faciendũ eſt. [Mitto amicitias, que vſque ad ſenectutem firmiſſimẽ durant, religioſa quadam neceſſitudine imbutæ. Neq; enim eſt ſanctius, ſacris ijſdem q̃ ſtudijs initiari. [Senſum ipſum, qui communis dicitur, vbi diſcet, cum ſe à cõgreſſu, qui nõ hominibus ſolum, ſed multis quoque animalibus naturalis eſt, ſegregarit? Adde quòd domi ea ſola diſcere poteſt, quæ ſibi præcipientur: in ſchola, etiam quæ alijs. Audiet multa quotidie probari, multa corrigi, proderit alicuius obiurgata deſidia, proderit laudata induſtria, ipſe excitabitur laude, æmulatione: turpe ducet cedere pari, pulchrũ ſuperaſſe maiores. Accendunt omnia hæc animos, & licet ipſa vitium ſit ambitio, frequenter tamen cauſa virtutũ eſt. [Non inutilem ſcio ſeruatum eſſe à præceptoribus meis morem, qui cum pueros in claſſes diſtribuerant, ordinẽ dicendi ſecundum vires ingenij dabant, & ita ſuperiore loco quiſq; declamabat, vt præcedere profectu videbatur. Huius rei iudicia præbebantur, ea nobis ingens palmæ cõtentio: ducere vero claſſem multo pulcherrimũ. Nec de hoc ſemel decretum erat, triceſimus dies reddebat victo certaminis poteſtatẽ. Ita nec ſuperior ſucceſſu curam remittebat, & dolor victum ad depellendã ignominiam cõcitabat. Id nobis acriores ad ſtudia dicendi faces ſubdidiſſe, q̃ exhortationes docentiũ, pædagogorũ cuſtodiã, vota parentũ, quantũ animi mei cõiectura colligere poſſum, contenderim. [Sed ſicut firmiores in literis profectus alit æmulatio, ita incipientibus atque adhuc teneris, cõdiſcipulorum q̃ præceptorum iucundior, hoc ipſo q̃ facilior imitatio

Sententia authoris, quam multis rationibus confirmat.

Senſus communis.

est. Vix enim se prima elementa ad spem tollere effingendæ quam summam putant, eloquentiæ audebunt, proxima amplectũtur magis, vt vites arboribus applicitæ inferiores prius apprehendendo ramos in cacumina euadunt. Quod adeo verum est, vt ipsius etiam magistri (si tamen ambitiosis vtilia præferet) hoc opus sit, cum adhuc rudia tractabit ingenia, non statim onerare infirmitatem discentiũ, sed temperare vires suas, & ad intellectũ audientis descendere. Nã vt vascula oris anguſti superfusam humoris copiã respuunt, sensim autẽ influentibus, vel etiam instillatis cõplentur: sic animi puerorũ quantum accipere possint, videndum est. Nam maiora intellectu, velut parum aptos ad percipiendũ animos nõ subibunt. Vtile igitur est habere quos imitari primũ, mox vincere velis: ita paulatim & superiorũ spes erit. [His adijcio præceptores ipsos nõ idẽm mentis ac spiritus in dicendo posse concipere singulis tantum præsentibus, quod illa celebritate audientiũ instinctos. Maxima enim pars eloquentiæ constat animo: hũc affici, hunc concipere imagines rerum & transformari quodã modo ad naturam eorum de quibus loquimur, necesse est. Is porrò quo generosior celsiórq; est, hoc maioribus velut organis cõmouetur: ideóq; laude crescit, & impetu augetur, & aliquid magnũ agere gaudet. Est quædã tacita dedignatio, vim dicendi tantis comparatam laboribus ad vnum auditorẽ demittere, pudet supra modum sermones attollere. Et sanè cõcipiat quis mente, vel declamantis habitum, vel orantis vocem, incessum, pronũciationem, illũ deniq; animi & corporis motum, sudorẽ (vt alia præteream) & fatigationem audiente vno, nónne quiddam pati furori simile videatur? Nõ esset in rebus humanis eloquentia, si tantũ cum singulis loqueremur.

¶ Qua ratione in paruis ingenia dignoscantur. & quomodo tractanda sint. Cap. IIII.

Memoria & imitatio, ingenij signa.

TRadito sibi puero docendi peritus ingenium eius in primis, naturãque perspiciat. Ingenij signũ in paruis præcipuũ memoria est. Eius duplex virtus: facilè percipere, & fideliter cõtinere. Proximum imitatio. Nam id quoq; est docilis naturæ, sic tamen vt ea quæ dicit effingat, non habitũ fortè & incessum, & si quid in peius notabile est. Nõ dabit mihi spem bonæ indolis, qui hoc imitandi studio petet, vt rideatur. Nam probus quoque in primis erit ille verè ingeniosus: alioqui peius duxerim tardi esse ingenij q̃ mali. Probus

autē ab illo ſegni & iacēte plurimū aberit. Hic meus quæ tradentur nō difficulter accipiet, quædā etiā interrogabit, ſequetur tamē magis q̄ præcurret. Illud ingeniorū velut præcox genus, non temerè vnq̄ peruenit ad frugem. Hi ſunt qui parua facilè faciunt, & audacia prouecti, quicquid poſſunt, ſtatim oſtendunt: poſſunt autem id demum, quod in proximo eſt, verba continuāt, hæc vultu interrito nulla tardati verecūdia proferunt: non multū præſtant, ſed cito: non ſubeſt vera vis, nec penitus immiſſis radicibus nititur: vt quæ ſummo loco ſparſa ſunt ſemina, celerius ſe effundunt: & imitatæ ſpicas herbulæ, inanibus ariſtis ante meſſem flaueſcunt. Placent hæc annis comparata, deinde ſtat profectus, admiratio decreſcit.

Præcocia ingenia.

¶ Hæc cum animaduerterit, perſpiciat deinceps quōnā modo tractandus ſit diſcentis animus. ſunt quidam, niſi inſtiteris remiſſi: quidā imperia indignantur: quoſdam cōtinet metus, quoſdam debilitat: alios cōtinuatio extundit, in alijs plus impetus facit. Mihi ille detur puer, quem laus excitet, quē gloria iuuet, qui victus fleat, hic erit alendus ambitu, hunc mordebit obiurgatio, hunc honor excitabit, in hoc deſidiā nunq̄ verebor. Danda eſt tamen omnibus aliqua remiſſio, nō ſolum quia nulla res eſt quæ perferre poſſit cōtinuū laborem (atque ea quoque, quæ ſenſu & anima carent, vt ſeruare vim ſuā poſſint, velut quiete alterna * retinentur) ſed q̄ ſtudiū diſcendi, voluntate, quæ cogi non poteſt, conſtat. Itaque & virium plus afferunt ad diſcendum renouati ac recentes, & acriorem animum, qui ferè neceſſitatibus repugnat. ¶ Nec me offenderit luſus in pueris, eſt & hoc ſignum alacritatis, neque illum triſtem, ſemperquē demiſſum ſperare poſſim erectæ circa ſtudia mentis fore, cum in hoc quoque maxime naturali ætatibus illis impetu iaceat. Modus tamen ſit remiſſionibus, ne aut odium ſtudiorum faciant negatæ, aut ocij conſuetudinem nimiæ. Sunt etiam nōnulli acuendis puerorū ingenijs non inutiles luſus, cum poſitis inuicem cuiuſcunque generis quæſtiunculis æmulantur. Mores quoque ſe inter ludendum ſimplicius detegunt, modo nulla videatur ætas tam infirma, quæ non protinus quid rectum prauūmque ſit, diſcat: tum vel maximè formanda, cum ſimulandi neſcia eſt, & præcipientibus facillimè cedit. Frangas enim citius q̄ corrigas, quæ in prauum induruerunt. Protinus ergo ne quid cupidè, ne quid improbè, ne quid impotenter faciat, monendus eſt puer. Ha-

Animus diſcentis quomodo tractandus.

*Retendūtur.

De luſu puerorum.

bendúmque in animo ſemper illud Vergil. Adeo in teneris cõſueſcere multum eſt. ¶ Cædi vero diſcipulos, quanq̃ id receptum ſit, & Chryſippus non improbet, minime velim. Primum, quia deforme ac ſeruile eſt, & certe quod conuenit, ſi ætatem mutes, iniuria. [Deinde, quòd ſicui eſt mens tam illiberalis vt obiurgatione non corrigatur, is etiam ad plagas, vt peſſima quæque mancipia, durabitur. [Poſtremo, quòd ne opus erit quidem hac caſtigatione, ſi aſſiduus ſtudiorum exactor aſtiterit. Nunc ferè negligentia pædagogorum ſic emendari videntur, non vt pueri facere quæ recta ſunt cogantur, ſed cur non fecerint puniantur. [Denique cum paruulum verberibus coegeris, quid iuueni facias, cui nec adhiberi poteſt hic metus, & maiora dicẽda ſunt? [Adde q̃ multa vapulãtibus dictu deformia, & mox verecundiæ futura ſæpe dolore vel metu accidũt, qui pudor refringit animũ & abijcit, atque ipſius lucis fugã & tædiũ dictat. [Iam ſi minor in eligendis cuſtodum & præceptorũ moribus fuit cura, pudet dicere in quæ probra nefandi homines iſto cædendi iure abutantur, quam det alijs quoque nõnunquã occaſionẽ hic miſerorum metus. [Non morabor in parte hac, nimiũ eſt quod intelligitur. Quare hoc dixiſſe ſatis eſt, in ætatem infirmam & iniuriæ obnoxiã nemini debere nimium licere. Nunc quibus inſtituendus ſit artibus qui ſic formabitur, vt fieri poſſit orator, & quæ in quaque ætate inchoanda, dicere ingrediar.

¶ De grammatica. Cap. V.

PRimus in eo qui legendi ſcribendíque adeptus erit facultatẽ, grãmaticis eſt locus: nec refert de Græco an de Latino loquar, quanq̃ Græcũ eſſe priorẽ placet. Vtrique eadem via eſt. Hæc igitur profeſſio cum breuiſſimè in duas partes diuidatur, rectè loquendi ſcientiam & poetarũ enarrationẽ, plus habet in receſſu q̃ fronte promittit. Nam & ſcribendi ratio cõiuncta cũ loquendo eſt, & enarrationẽ præcedit emẽdata lectio, & mixtũ his omnibus iudicium eſt. Quo quidẽ ita ſunt ſeuerè vſi veteres grammatici, vt non verſus modo cenſoria quadam virgula notare, & libros, qui falſò viderẽtur inſcripti, tanq̃ ſubditicios ſummouere familia permiſerint ſibi: ſed authores alios in ordinẽ redegerint, alios omnino exemerint numero. Nec poetas legiſſe ſatis eſt, excutiendũ omne ſcriptorũ genus, non propter hiſtorias modo, ſed verba quæ frequẽter ius ab authoribus ſumũt. Tũ nec citra muſicen

Grãmatices diuiſio, & quam late pateat eius profeſſio.

Critici.

grãmatice poteſt eſſe perfecta, cum ei de metris rhythmíſq; dicẽdum ſit. Nec ſi rationẽ ſyderũ ignoret, poetas intelligat: qui (vt alia omittã) toties ortu occaſũq; ſignorũ in declarãdis temporibus vtuntur. Nec ignara philoſophiæ, cũ propter plurimos in omnibus ferè carminibus locos, ex intima quæſtionum naturaliũ ſubtilitate repetitos, tum vel propter Empedoclea in Græcis, Varronẽ ac Lucretium in Latinis, qui præcepta ſapientiæ verſibus tradiderunt. Eloquentia quoq; non mediocri eſt opus, vt de vnaquaq; earum quas demonſtrauimus rerum dicat propriè & copioſe. Quo minus ſunt ferendi, qui hanc artem vt tenuem ac ieiunam cauillãtur: quæ niſi oratoris futuri fundamenta fideliter iecerit, quicquid ſuperſtruxeris corruet: neceſſaria pueris, iucunda ſenibus, dulcis ſecretorum comes, & quæ vel ſola omni ſtudiorum genere plus habet operis q̃ oſtentationis.

¶ De literis & earũ poteſtate, ac orationis partibus. Cap. VI.

NE quis igitur tanq̃ parua faſtidiat grãmatices elementa, non quia magnæ ſit operæ cõſonantes à vocalibus diſcernere, ipſáſq; eas in ſemiuocaliũ numerũ, mutarũq; partiri: ſed quia interiora velut ſacri huius aꝺeũtibus apparebit multa rerũ ſubtilitas, quæ non modo acuere ingenia puerilia, ſed exercere altiſſimã quoque eruditionẽ ac ſcientiã poſſit. An cuiuſlibet auris eſt exigere literarum ſonos? non hercule magis q̃ neruorum. At grammatici ſaltem omnes in hanc deſcendent rerum tenuitatem, deſint ne aliquæ nobis neceſſariæ literæ, non cum græca ſcribimus (tum enim ab ijſdẽ duas mutuamur) ſed propriè in Latinis, vt in his, ſeruus & vulgus, æolicum digamma deſideratur. Et medius eſt quidam u & i literæ ſonus. Non enim ſic optimũ dicimus, vt opimum, & in here, neque e plane neque i auditur. [An rurſus aliæ redundent, præter illam aſpirationis ⊦, quæ ſi neceſſaria eſt, etiam contrariã ſibi poſcit ⊧. Et q, quæ & ipſa quorundã nominũ nota eſt: & lz, cuius ſimilis effectus ſpeciéſq;, niſi q paulũ à noſtris obliquatur, lzappa apud Græcos, nunc tantum in numero manet: & noſtrarum vltima x qua tamen carere potuimus, ſi non quæſiſſemus. [Atque etiam in ipſis vocalibus grammatici eſt videre, an aliquas pro conſonanti vſus acceperit: quia iam ſicut tam ſcribitur, & vos vt cos. Atque vt vocales iungantur. aut enim vnam longam faciunt, vt veteres ſcripſere, qui geminatione earum velut apice vtebantur: aut

duas,niſi quis putat etiã ex tribus vocalibus ſyllabã,quod nequit fieri ſi nõ aliquæ officio cõſonantiũ fungantur. [Quæret etiã hoc, quomodo duabus demũ vocalibus in ſeipſas coeũdi natura ſit,cum conſonantiũ coeat nulla niſi alteram frangat. Atqui litera i,ſibi incidit. Conijcit enim eſt ab illo iacit. Et u, quomodo nunc ſcribitur vulgus, & ſeruus. Sciat etiam Ciceroni placuiſſe aijo maijámq; geminata i,ſcribere. Quod ſi eſt, etiam iungetur vt conſonans.[Quare diſcat puer quid in literis proprium, quid cõmune,quæ cum quibus cognatio: nec miretur cur ex ſcamno fiat ſcabellum,aut à pinna(quod eſt acutũ)ſecuris vtrinq; habens aciem, bipennis:ne illorum ſequatur errorẽ,qui quia à pẽnis duabus hoc eſſe nomẽ exiſtimant,pennas auiũ dici volunt.[Neq; has modo nouerit mutationes quas afferunt declinatio aut præpoſitio,vt ſecat ſecuit, cadit excidit,calcat exculcat,& ſic à lauãdo lotus,& inde rurſus illotus, & mille alia: ſed & quæ rectis quoque caſibus ætate tranſierunt. Nam vt Valeſij & Fuſij in Valerios Furióſque venerunt: ita arbos, labos, vapos, etiam & clamos ac laſes ætatis fuerunt. Et hæc ipſa s litera, ab his nominibus exclu-ſa,in quibuſdam ipſa alteri ſucceſſit: nam mertare atque pultare dicebant: quin fordeum fœdúſque, pro aſpiratione,u ſimili litera vtentes: nam contrà Græci aſpirare ſolent,vt pro Fundanio Cicero teſtem, qui primam eius literam dicere nõ poſſet, irridet. Sed b quoque in locum aliarum dedimus aliquando, vnde proprium Byrrhus, & Bruges, & Belena. nec non eadem fecit ex duello bellum, vnde duellios quidam dicere bellios auſi. Quid ſtlatum, ſtlitéſque? Quid d literæ cum t quædam cognatio? Quare minus mirum ſi in vetuſtis operibus vrbis noſtræ, & celebribus templis legantur Alexanter, & Caſſantra. Quid o atque u permutatæ inuicem? vt Hecoba, & notrix. Culchides, & Pulyxena ſcriberentur: ac ne in Græcis id tantum notetur, dederont, ac probaueront,ſicut ὀδυσεὺς, quẽ ὀυδυσεία fecerunt Aeoles, ad Vlyſſem deductus eſt. Quid? non e quoque i loco fuit, vt Menerua, & leber, & mageſter, & deioue victore, pro deioui victori? Sed mihi locum ſignare ſatis eſt. Non enim doceo, ſed admoneo docturos. Inde in ſyllabas cura tranſibit,de quibus in orthographia pauca annotabo. ¶ Tum videbit ad quem hoc pertinet,quot & quæ ſint partes orationis:q̃q̃ de numero parũ conuenit. Veteres enim, quorum fuerunt Ariſtoteles atque

Laſes pro laſer, quod in alijs codicibus expunctum fuit.

De partibus orationis.

Theodectes, verba modo & nomina, & conuinctiones tradiderunt: videlicet quòd in verbis vim sermonis, in nominibus materiam, quia alterũ est quod loquimur, alterũ de quo loquimur: in conuinctionibus autem eorũ complexũ esse iudicauerunt: Quas cõuinctiones à pleri sque dici scio, sed hæc videtur ex syndesmo magis propria translatio. Paulatim à philosophis maximè Stoicis auctus est numerus, ac primũ conuinctionibus articuli adiecti, post præpositiones, nominibus appellatio, deinde pronomen, deinde mixtum verbo participium, ipsis verbis aduerbia. Noster sermo articulos non desiderat, ideóque in alias partes orationis sparguntur. Sed accedit superioribus interiectio. Alij tamen ex idoneis authoribus octo dumtaxat partes secuti sunt, vt Aristarchus, & ætate nostra Palæmon, qui vocabulum, siue appellationẽ nomini subiecerunt tanq̃ species eius. At ij qui aliud nomen, aliud vocabulum faciunt, nouẽ. Nihilominus fuerunt qui ipsum adhuc vocabulum ab appellatione diducerent, vt esset vocabulum corpus visu tactúque manifestum, domus, lectus: Appellatio, cui vel alterum deest, vel vtrumque, ventus, cælum, deus, virtus. Adijciebant & assecurationem, vt heu: & attractionem, vt fasceatim: quæ mihi non approbantur. Vocabulum an appellatio dicenda sit προσηγορία, & subijcienda nomini nec ne, quia parui refert, liberum opinaturis relinquo.

Nomen.
Vocabulum.
Appellatio.

¶ Declinare in primis nomina & verba scire oportere pueros: & genera nosse, ac casus. Cap. VII.

NOmina declinare & verba in primis pueri sciant, neque enim aliter peruenire ad intellectum sequentium possunt. Quod etiam admonere superuacuũ erat, nisi ambitiosa festinatione plerique à posterioribus inciperent: & dum ostentare discipulos circa speciosiora malunt, compendio morantur. At si quis & didicerit satis, & (quod non minus deesse interim solet) voluerit docere quæ didicit, non erit cõtentus tradere in nominibus tria genera, & ea quæ sunt duobus, omnibúsve communia. Nec statim diligentem putabo, qui promiscua (quæ epicœna dicuntur) ostenderit: in quibus sexus vterque per alterum apparet, aut quæ fœminina positione mares, aut neutrali fœminas significant, qualia sunt murena, & Glyceriũ. ¶ Scrutabitur mille præceptor acer atque subtilis origines nominum, vt quæ ex habitu corporis Rufos Lõgósq; fecerũt. Vbi erit aliquid secretius, vnde Syllæ,

Genus epicœnum.

Origenes nominum.

Burri, Galbæ, Planci, Panſæ, Scauri, taliáq;: & ex ca ſu naſcentium, hinc Agrippa & Opiter, & Cordus, & Poſthumus erunt: & ijs quæ poſt natos eueniunt, vnde Vopiſcus. Iam Cotta, Scipiones, Lenates, Serani, ſunt ex varijs cauſis. Gentes quoque ac loca, & alia multa reperias inter nominum cauſas. In ſeruis iam intercidit illud genus, quod ducebatur à domino, vnde marcipores, publipores. Quærat etiam, ſit ne apud Græcos vis quædam ſexti caſus, & apud nos quoque ſeptimi. Nam cum dico, haſta percuſſi, non vtor ablatiui natura: nec ſi idem græce dicam, datiui, τῷ δορὶ.

Sextus & ſeptimus caſus

¶ De verbis & verborum appellationibus. Cap. VIII.

SEd in verbis quoque quis eſt adeo imperitus, vt ignoret genera, & qualitates, & perſonas, & numeros? Literarij penè iſta ſunt ludi, & triuialis ſcientiæ. Iã quoſdam illa turbabunt, quæ declinationibus non tenẽtur. Nam & quædam participia, an verbi appellationes ſint: dubitari poteſt: quia aliud alio loco valent, vt lectus, & ſapiens. Quædam appellationibus ſimilia, vt fraudator, nutritor. Iam, Itur in antiquam ſyluam, nónne propriæ cuiuſdam rationis eſt? Nam quod initium eius inuenias? Cui ſimile, fletur. Accipimus aliter, vt Panditur interea domus omnipotentis olympi. aliter, vt Totis vſqueadeo turbatur agris. Eſt etiam quidam tertius modus, vt vrbs habitatur, vnde & campus curritur, mare nauigatur. Pranſus quoque atq; potus diuerſum valent q̃ indicant. Quid? q̃ multa verba non totum declinationis ordinem ferunt. Quædam etiam mutantur, vt fero in præterito. Quædam tertiæ demum perſonæ figura dicuntur, vt licet, piget. Quædam ſimile quiddam patiuntur vocabulis in aduerbium tranſeuntibus. Nam vt noctu & diu, ita & dictu & factu. Sunt enim hæc quoque verba participialia quidẽ, non tamen qualia dicto factóque.

Verba imperſonalia.

¶ De virtutibus & vitijs orationis. Cap. IX.

IAm cum oratio tres habeat virtutes, vt emendata, vt dilucida, vt ornata ſit: quia dicere aptè (quod eſt præcipuum) plerique ornatui ſubijciunt: totidem vitia, quæ ſunt ſupradictis contraria, emendatè loquendi regula (quæ grammatices prior eſt pars) examinet. Hæc igitur verbis aut ſingulis, aut pluribus. Verba nũc generaliter accipi volo: nam duplex eorum intellectus eſt: Alter qui omnia per quæ ſermo nectitur ſignificat, vt apud Horatium, Verbáque prouiſam

Hora. de arte poetica.

rem non inuita sequentur. Alter in quo est vna pars orationis, lego, scribo. Quam vitantes ambiguitatem quidam dicere maluerunt, voces, dictiones, locutiones. Singula sunt aut nostra aut peregrina, aut simplicia aut composita, aut propria aut translata, aut vsitata aut ficta. ¶ Vni verbo vitium sæpius q̃ virtus ineſt. Licet enim dicamus aliquid proprium, speciosum, sublime, nihil tamen horum nisi in complexu loquendi seriéque contingit. Laudamus enim verba rebus bene accommodata. Sola est quæ notari possit velut vocalitas, quæ εὐφωνία dicitur, cuius in eo delectus est, vt inter duo quæ idem significant ac tantundē valent, quod melius sonet, malis. Prima barbarismi, ac solœcismi fœditas absit. Sed quia interim excusantur hæc vitia, aut consuetudine, aut authoritate, aut vetustate, aut deniq; vicinitate virtutū (nam sæpe à figuris ea separare difficile est) ne quē tam lubrica obseruatio fallat, acriter se in illud tenue discrimē grāmaticus intendat: de quo nos latius ibi loquemur, vbi de figuris oratiōis tractandū erit. Interim vitium quod fit singulis verbis, sit Barbarismus. [Occurrat mihi forsan aliquis, quid hic promisso tanti operis dignū? aut quis hoc nescit, alios barbarismos scribendo fieri, alios loquēdo? quia quod malè scribitur, male etiā dici necesse est: qui vitiosè dixerit, nō vtiq; & scripto peccat: Illud prius additione, detractione, immutatione, trāsmutatione: hoc secundū diuisione, cōplexione, aspiratione, sono, cōtineri? Sed vt parua sint hæc, pueri docentur adhuc, & grāmaticos officij sui cōmonemus. Ex quibus si quis erit planè impolitus, & vestibulum modo artis huius ingressus, intra hæc quæ profitentiū cōmētariolis vulgata sunt, cōsistet: doctiores multa adijcient, vel hoc primum, q̃ barbarismum pluribus modis accipimus. ¶ Vnū in gente, quale sit, si quis Afrū, vel Hispanū latinæ orationi nomen inserat, vt ferrū quo rotæ vinciuntur, dici solet canthus, q̃q̃ eo tanq̃ recepto vtitur Persius, sicut Catullus ploxenum circa Padum inuenit, & in oratione Labieni (siue illa Cornelij Galli est) in Pollionem, Casnar assectator, è Gallia ductum est. Nam mastrugā, quod Sardū est, illudens Cicero ex industria dixit. [Alterum genus barbarismi accipimus, quod fit animi natura, vt is à quo insolēter quid aut minaciter aut crudeliter dictū sit, barbarè locutus existimetur. [Tertiū est illud vitiū barbarismi, cuius exempla vulgo sunt plurima, sibi etiam quisq; fingere potest, vt verbo cui libebit,

De vocibus simplicibus.

Euphonia.

Barbarismus

Barbarismi species.

adijciat literã ſyllabáve,vel detrahat, aut aliã pro alia, aut eandẽ alio q̃ rectum eſt loco ponat.Sed quidã ferè in iactationem eruditionis ſumere illa ex poetis ſolent,& authores quos prælegũt criminãtur.Scire autẽ debet puer hæc apud ſcriptores carminũ aut venia digna,aut etiam laude duci,potiũſq; illa docenda erunt minus vulgata.Nã duos in vno nomine faciebat barbariſmos Tinca Placẽtinus(ſi reprehendẽti Hortẽſio credimus) preculã pro pergulã dicens : & immutatione, cum c pro g,vteretur: & trãſmutatione,cũ r,præponeret e antecedẽti. At in eadẽ vitij geminatione Metieo Suffecieo dicẽs Ennius,poetico iure defenditur.[Sed in proſa quoq; eſt quædã iam recepta immutatio.Nam Cic.Canopitarũ exercitũ dicit, ipſi Canobon vocãt, & Tharſimenũ pro Thraſimeno, multi authores, etiã ſi eſt in eo trãſmutatio , vendicauerũt. ſimiliter alia.Nã ſiue eſt falſũ aſſentior,Si ſenna dixit aſſentio: multíq; & hũc & analogiã ſecuti:ſiue illud verũ eſt,hæc quoq; pars cõſenſu defendit. At ille pexus pinguíſq; doctor, aut illic detractionẽ, aut hic adiectionẽ putabit.[Quid? q̃ quædã quæ ſingula proculdubio vitioſa ſunt,iũcta ſine reprehẽſiõe dicũtur? Nam dua & tre & pondo diuerſorũ generũ ſunt barbariſmi. At duapondo & trepondo vſq; ad noſtram ætatẽ ab omnibus dictum eſt,& rectè dici Meſſala confirmat.[Abſurdũ forſan videatur dicere barbariſmum,quod eſt vnius verbi vitiũ,fieri per numeros,aut genera,ſicut ſoloeciſmũ:ſcala tamẽ & ſcopa, contráq; hordea & muſta,licet literarũ mutationẽ,detractionem,adiectionẽ,nõ habeant,nõ alio vitioſa ſunt q̃ q̃ pluralia ſingulariter, & ſingularia pluraliter efferũtur:& gladia qui dixerunt,genere exciderũt.Sed hoc quoq; notare cõtentus ſum, ne arti culpa quorundã peruicacium perplexæ,videar & ipſe quæſtionem addidiſſe.[Plus exigunt ſubtilitatis quæ accidũt in dicendo vitia, quia exempla eorum tradi ſcripto non poſſunt,niſi cum in verſus inciderunt, vt διαίρεσις, europai: & ei contrariũ vitiũ , quod συναίρεσιν ἡ συναλοιφὴν Græci vocant,nos complexionẽ dicimus,qualis eſt apud P. Varronẽ,Cum te flagranti deiectum fulmine Phæton. Nam ſi eſſet proſa oratio, eaſdem literas enũciare veris ſyllabis licebat. [Præterea quæ fiunt ſpatio,ſiue cum ſyllaba correpta producitur,vt, Italiam fato profugus:ſeu longa corripitur,vt, Vnius ob noxam & furias . extra carmen non deprehendas , ſed in carmine vitia ducenda ſunt. [Illa verò non niſi aure exiguntur , quæ fiunt

Aeneid.1.

Ibidem.

per ſonos, q̃q̃ per aſpirationem, ſiue adijcitur vitioſè, ſiue detrahitur. [Apud nos poteſt quæri an inſcriptio ſit vitium, ſi h litera eſt, non nota. Cuius quidem ratio mutata cum temporibus eſt ſæpius. Parciſſimè ea veteres vſi etiam in vocalibus, cum œdos, ircóſque dicebant. Diu deinde obſeruatum, ne cõſonantibus aſpiraretur, vt in Graccis, & triũpis. Erupit breui tempore nimius vſus, vt choronæ, chenturiones, præchones, adhuc quibuſdam inſcriptionibus maneant. Qua de re Catulli nobile epigrãma eſt. Inde durat ad nos vſque, vehementer, & comprehendere, & mihi: nam mehe quoq; pro me, apud antiquos Tragœdiarum præcipuè ſcriptores in veteribus libris inuenimus. [Adhuc difficilior obſeruatio eſt per tenores, quos quidem ab antiquis dictos Tonores comperi, videlicet declinato à Græcis verbo, qui τόνους dicunt: vel accentus, quas Græci προσῳδίας vocant, cum acuta & grauis alia pro alia ponitur, vt in hoc Cámillus, ſi acuitur prima: aut grauis pro flexa, vt Céthegus, & hic prima acuta. Nam ſi media mutatur, aut flexa pro graui, aut apice circunducta ſequente: quã ex duabus ſyllabis in vnam cogẽtes, & deinde flectentes, dupliciter peccãt. Sed id ſæpius in Græcis nominibus accidit, vt Atreus, quem nobis iuuenibus doctiſſimi ſenes acuta prima dicere ſolebant, vt neceſſariò ſecunda grauis eſſet. Item Terei, Nereiq;. Hæc de accentibus tradita. Cæterum iam ſcio quoſdam eruditos, nõnullos etiam grammaticos ſic docere ac loqui, vt propter quædã vocũ diſcrimina verbũ interim acuto ſono finiant: vt in illis, Quæ circúm littora, circũm Piſcoſos ſcopulos: ne ſi grauem poſuerint ſecundã, circus dici videatur, nõ circuitus. Item quantũ, quale, interrogantes graui, comparantes acuto tenore concludunt: quod tamen in aduerbijs ferè ſolis, ac pronominibus vendicant, in cæteris veterem legem ſequũtur. Mihi videtur conditionem mutare, q̃ his locis verba coniungimus. Nam cum dico, circũm litora, tanq̃ vnũ enuncio diſſimulata diſtinctione: itaq; tanq̃ in vna voce, vna eſt acuta. Quod idem accidit in illo, Troiæ qui primus ab oris. Euenit vt metri quoq; conditio mutet accentum, vt Pecudes, pictæque volucres. Nã volúcres media acuta legam, quia etſi natura breuis, tamẽ poſitione lõga eſt, ne faciat iambũ, quem nõ recipit verſus heroicus. Separata verò hæc, à præcepto noſtro non recedent: aut ſi conſuetudo vicerit, vetus lex ſermonis abolebitur. Cuius

Aeneid. 4.

difficilior apud Græcos obſeruatio eſt, quia plura illis loquendi genera, quas διαλέκτους vocant, & quod aliàs vitioſum, interim aliàs rectum eſt: apud nos verò breuiſſima ratio. Nãq; in omni voce, acuta intra numerum trium ſyllabarum continetur: ſiue eæ ſint in verbo ſolæ, ſiue vltimæ: & in his aut proxima extremæ, aut ab ea tertia. Trium porrò, de quibus loquor, media lõga, aut acuta, aut flexa erit. Eodẽ loco breuis vtiq; grauẽ habebit ſonũ, ideóq; poſitã ante ſe, id eſt, ab vltima tertiã acuet. Eſt autem in omni voce vtiq; acuta, ſed nunquam plus vna, nec vltima vnquã, ideóq; in diſſyllabis prior. Præterea nunq̃ in eadem, flexa & acuta, quia eadem flexa ex acuta, vtiq; neutra cludet vocem latinam. Ea vero quæ ſunt ſyllabæ vnius, erũt acuta aut flexa, ne ſit aliqua vox ſine acuta. [Et illa per ſonos accidunt, quæ demõſtrari ſcripto non poſſunt, vitia oris, & linguæ ἰωτακισμὸς, & λαβδακισμὸς, & ἰσχνότητας, & πλατασμὸς feliciores fingendis nominibus Græci vocant: ſicut κοιλοσομίαν, cum vox quaſi in receſſu oris auditur. Sunt etiam proprij quidam & ineuitabiles ſoni, quibus nonnunq̃ nationes reprehendimus. Remotis igitur omnibus, de quibus ſupra diximus, vitijs, erit illa quæ vocatur ὀρθοέπεια, id eſt, emẽdata cũ ſuauitate vocũ explanatio. Nã ſic accipi poteſt recta. ¶ Cætera vitia omnia ex pluribus vocibus ſunt, quorũ eſt ſolœciſmus, q̃q̃ circa hoc quoq; diſputatũ eſt. Nam etiam qui contextu, vel cõplexu orationis accidere eum cõfitentur, quia tamen vnius emendatione verbi corrigi poſſit, in verbo eſſe vitiũ, non in ſermone, cõtendũt: cum ſiue amaræ corticis, ſiue medio cortice, per genus facit ſolœciſmũ: quorũ neutrum quidẽ reprehendo, cum ſit vtriuſq; Vergilius author. Sed fingamus vtrũlibet non rectè dictum, mutatio vocis alterius, in qua vitiũ erat, rectã loquendi rationẽ ſic reddit, vt amari corticis fiat, vel media cortice, quod manifeſtæ calũniæ eſt: neutrũ enim vitioſum ſeparatũ eſt, ſed cõpoſitione peccatur, quæ iã ſermonis eſt. [Illud eruditius quæritur, an in ſingulis quoq; verbis poſſit fieri ſolœciſmus, vti ſi vnũ quis ad ſe vocans dicat, venite: aut ſi plures à ſe dimittens, ita loquatur, abi, aut diſcede. Nec nõ cum reſpõſum ab interrogãte diſſentit, vt ſi dicenti quẽ video, ita occurras, ego. In geſtu etiã nõnulli putãt illud idem vitiũ ineſſe, cũ aliud voce, aliud nutu, vel manu demõſtratur. Huic opinioni neq; omnino accedo, neq; planè diſſentio, nam id fateor poſſe accidere voce vna, nõ tamẽ aliter q̃

Accentuũ regulæ apud Latinos.

Solœciſmus.

Aeglog. 6.
Georg. 2.

Solœciſmus vno in verbo, & etiam in geſtu.

si sit aliquid quod vim alterius vocis obtineat, ad quod vox illa referatur, vt solœcismus ex complexu fiat eorum, quibus res significãtur, & voluntas ostenditur. [Atq; vt omnẽ effugiã cauillationẽ, fit aliquãdo in vno verbo, nunquã in solo verbo. Per quot autem & quas accidat species, non satis conuenit: qui plenissimè, quadripertita volunt esse rationem, nec aliam q̃ barbarismi: vt fiat adiectione. vt, veni de Susis in Alexandriam: detractione, ambulo viam, Aegypto venio, ne hoc fecit: transmutatione, qua ordo turbatur, quoq; ego enim hoc volui, autem non habui. Ex quo genere an sit, igitur, in initio sermonis positum, dubitari potest, quia maximos authores in diuersa fuisse opinione video, cũ apud alios sit etiã frequens, apud alios nunq̃ reperiatur. Hæc tria genera quidam diducũt à solœcismo, & adiectionis vitium πλεονασμὸν, detractionis ἔλλειψιν, inuersionis ἀναστροφὴν vocãt: quæ si in speciẽ Solœcismi cadant, παραλλαγὴν quoque appellari eodem modo posse. Immutatio sine controuersia est, cum aliud pro alio ponitur. [Id per omnes orationis partes deprehendimus, frequẽtissimè in verbo, quia plurima huic accidunt, ideóq; in eo fiunt solœcismi per genera, tempora, personas, modos, siue cui status eos dici, seu qualitates placet: vel sex, vel vt alij dicunt, octo. nam totidem vitiorum erunt formæ, in quot species eorum quodq;, de quibus supradictũ est, diuiseris. Præterea numeros, in quibus nos singularẽ ac pluralem habemus, Græci & δυϊκὸν, quãquã fuerunt qui nobis quoque adijcerent dualem, scripsêre, legêre, quod deuitandæ asperitatis gratia mollitũ est, vt apud veteres, pro male mereris, male merere: ideóq; quod vocant duale, in illo solo genere consistit, cum apud Græcos & in verbi tota ferè ratione, & in nominibus ferè deprehendatur, & sic quoque rarissimus eius sit vsus, apud nostrorum verò neminem hæc obseruatio reperiatur, quin econtrario, Deuenêre locos, & Cõticuêre omnes, & Cõsedêre duces, apertè nos doceant, nihil horum ad duos pertinere. Dixêre quoque, quanquã id Antonius Rufus ex diuerso ponit exemplum, de pluribus patronis præco pronunciat. Quid? non Liuius circa initia statim primi libri, Tenuêre inquit arcem Sabini: & mox, In aduersum Romani subiêre? Et quem potius ego quàm M. Tullium sequar? qui in Oratore, Non reprehendo inquit scripsere, scripserunt esse verius sentio. [Similiter in vocabulis, & nominibus fit solœcismus, in genere, numero,

Aeneid. 1.
Aeneid. 2.
13. Meta.

proprie autem casibus. Quicquid eorum alteri succedet, huic parti subiungatur, licet per comparationes & superlationes, itémque in quibus patrium pro possessiuo dicitur, vel contra. Nam vitium quod fit per quantitatem, vt magnum peculiolum, erunt qui solœcismũ putent, quia pro nomine integro positum sit diminutiuũ. Ego dubito an id improprium potius appellẽ, significatione enim deerat. Solœcismi porrò vitiũ nõ est in sensu, sed in complexu. [In participio per genus & casum, vt in vocabulo: per tempora, vt in verbo: per numerum, vt in vtroque peccatur. [Pronomen quoque genus, numerum, casus habet: quæ omnia recipiunt huiusmodi errorem. [Fiunt solœcismi & quidem plurimi per partes orationis: sed id tradere satis non est, ne ita demum vitium credat esse puer, si pro alia ponatur alia, vt verbum vbi nomen esse debuerit, vel aduerbium vbi pronomen, & similia. Nam sunt quædam cognata, vt dicunt, id est, eiusdem generis, in quibus qui alia specie quàm oportet vtetur, nõ minus q̃ ipso genere permutato, deliquerit. Nam & an & aut coniunctiones sunt, male tamen interroges, hic aut ille sit? & ne ac non aduerbia, qui tamẽ dicat pro illo ne feceris, non feceris, in idem incidat vitium: quia alterum negandi est, alterum vetandi. Hoc amplius, intro & intus loci aduerbia, eo tamẽ intus, & intro sum, Solœcismi sunt. Eadem in diuersitate pronominum, interiectionum, præpositionum accident. Est enim Solœcismus in oratione comprehensionis vnius sequentium ac priorum inter se incõueniens positio. [Quædam tamen & faciem solœcismi habent, & dici vitiosa nõ possunt, vt Tragœdia Thyestes, & ludi Floralia ac Megalesia: quanquã hæc sequenti tẽpore interciderunt, nunquam aliter à veteribus dicta. Schemata igitur nominabuntur frequentiora quidẽ apud poetas, sed oratoribus quoq; permissa. Verum schema ferè habebit aliquam rationem, vt docebimus eo quẽ paulo antè promisimus, loco. Sed hoc quoq; quod schema vocatur, si ab aliquo per imprudentiam factum erit, solœcismi vitio non carebit. In eadẽ specie sunt, sed schemate carent, vt supra dixi nomina fœminea, quibus mares vtuntur: & neutralia, quibus fœminæ. Hactenus de solœcismo, neque enim artem grammaticam cõponere aggressi sumus, sed cum in ordinem incurreret, inhonoratam transire noluimus. [Hoc amplius, vt institutum ordinem sequar, verba aut latina, aut peregrina sunt. Peregrina porrò ex omnibus propè di-

Solœcismus in specie tantũ.

De verbis latinis & peregrinis.

xerim gentibus, vt homines, vt instituta etiã multa, venerunt. Taceo de Thuscis, & Sabinis, & Præneſtinis quoq;: nam vt eo ſermone vtentem Vectium Lucillius inſectatur, quemadmodum Pollio deprehendit in Liuio Patauinitatem: licet omnia Italica pro Romanis habeam. Plurima Gallica valuerunt, vt rheda, & petoritum quoque: quorum altero Cicero tamen, altero Horatius vtitur. Et mappam quoque vſitatum circo nomen, Pœni ſibi vendicant: & gurdos, quos pro ſtolidis accipit vulgus, ex Hiſpania duxiſſe originem audiui. Sed hæc diuiſio mea ad Græcum ſermonem præcipue pertinet: nam & maxima ex parte Romanus inde conuerſus eſt, & confeſſis quoque græcis vtimur verbis, vbi noſtra deſunt, ſicuti illi à nobis nonnunquam mutuantur. [Inde illa quæſtio exoritur, an eadẽ ratione per caſus duci externa qua noſtra conueniat. At ſi reperias grammaticum veterum amatorẽ, neget quicquam ex latina ratione mutãdum: quia cum ſit apud nos caſus ablatiuus, quem illi non habent, parum cõueniat vno caſu noſtro, quinque Græcis vti. Quinetiam laudet virtutem eorum, qui potentiorem facere linguam latinam ſtudebãt, nec alienis egere inſtitutis fatebantur. Inde Caſtorẽ media ſyllaba producta pronuntiarunt, quia hoc noſtris nominibus accidebat, quorũ prima poſitio in eaſdem quas Caſtor literas exit. Et vt Palæmo, ſic Thelamo & Plato (nam ſic eum Cicero quoque appellat) dicerentur, retinuerũt: quia latinum quod o & n literis finiretur, non reperiebant. Nec in a quidem atque s literas exire temerè maſculina Græca nomina recto caſu patiebantur. Ideóque & apud Cælium legimus, Pelia cincinnatus: & apud Meſſalam, Benefecit Euthia: & apud Ciceronẽ Hermagora. Nec miremur, quòd ab antiquorum pleriſque Aenea & Anchiſa ſit dictus. Nam ſi vt Mecœnas, Suffenas, Aſprenas dicerẽtur, genitiuo caſu nõ e litera, ſed tis ſyllaba terminarẽtur. Inde olympo & tyranno acutam mediam ſyllabam dederunt, quia vna longa aut duabus longis ſequentibus primam breuem acui noſter ſermo non patitur. Sic genitiuus Achillis & Vlyſſis fecit, ſic alia plurima. Nunc recentiores inſtituerunt Græcis nominibus Græcas declinationes potius dare, quod tamen ipſum non ſemper fieri poteſt. [Mihi autẽ placet Latinam rationem ſequi, quouſque patitur decor. Neque enim iam Calypſonem dixerim, vt Iunonem, quanquã ſecutus antiquos C. Cæſar vtitur hac ratione declinandi. Sed authoritatem conſuetudo ſu-

Pro Miſone. Sermone 1.

perauit. In cæteris quæ potuerunt vtroque modo non indecen ter efferri, qui Græcã figurã ſequi malet, non Latinè quidem, ſed citra reprehenſionem loquetur. ¶ Simplices voces prima poſitione, id eſt, natura ſua conſtant. Compoſitæ autem præpo ſitionibus ſubiunguntur, vt innocens: interdum repugnãtibus inter ſe duab⁹, quale eſt imperterritus: alioqui poſſunt aliquan do continuari duæ, vt incompoſitus, reconditus, & quo Cice ro vtitur, ſubabſurdum: aut è duobus quaſi corporibus coale ſcunt, vt maleficus. Nam ex tribus noſtræ vtique linguæ non conceſſerim, quanuis capſis Cicero dicat compoſitum eſſe ex cape & ſi vis: & inueniantur qui lupercalia æque tres partes o rationis eſſe cõtendant, quaſi luere per caprum: nam ſolitau rilia iam perſuaſum eſt eſſe ex ſue, oue, & tauro. Et ſanè ita ſe habet ſacrum, quale apud Homerum quoque eſt. Sed hæc non tam ex tribus quàm ex particulis trium coeunt. Cæterum e tiam ex præpoſitione & duobus vocabulis durè videtur ſtru xiſſe Pacuuius, Nerei repãdiroſtrum incuruiceruicum pecus. ¶ Iunguntur autẽ aut ex duobus latinis întegris, vt ſuperfui & ſubterfugi: quãquam ex integris an cõpoſita ſint quæritur: aut ex integro & corrupto, vt maleuolus: aut ex corrupto & inte gro, vt noctiuagus: aut duobus corruptis, vt pediſſequus: aut ex noſtro & peregrino, vt biclinium: aut contra, vt epitogium & Anticato: aut ex duobus peregrinis, vt epirhedium. Nam cũ ſit præpoſitio ἐπὶ Græca, rheda Gallicum, nec Græcus tamen nec Gallus vtitur compoſito, Romani ſuum ex vtroq; alieno fece runt. Frequenter autẽ præpoſitiones quoque copulatio iſta cor rumpit, inde abſtulit, aufugit, amiſit, cum prępoſitio ſit ab ſola: & coit, cum ſit prępoſitio con: ſic ignaui & è Repub. & ſimilia. Sed res tota magis Græcos decet, nobis minus ſuccedit: nec id fieri natura puto, ſed alienis fauemus: ideóque cum κυρτάυχενα mirati ſumus, incuruiceruicum vix à riſu defendimus.

De vocibus compoſitis.

Iſiados 1.

Græci in componendo feliciores.

¶ De verbis proprijs & trãſlatis, vſitatis & nouis, & de quatuor quibus ſermo conſtat. Cap. X.

De proprijs & tranſlatis.

PRopria ſunt verba, cum id ſignificãt, in quod primo de nominata ſunt: Trãſlata, cum aliũ natura intellectum, alium loco præbent. Vſitatis tutius vtimur: noua non ſi ne quodam periculo fingimus. Nam ſi recepta ſunt, modicam laudem afferunt oratori: repudiata, etiam in iocos exeunt. Audendum tamen: nanque vt Cicero ait, etiam quæ primo dura viſa ſunt, vſu molliuntur. Sed minime nobis cõceſſa eſt

ὀνοματοποιΐα. quis enim ferat, si quid simile illis merito laudatis λίγξε βιὸς, & σίξε ἄνεμος, fingere audeamus? Iam ne balare quidē aut hinnire fortiter diceremus, nisi iudicio vetustatis niterē-tur. Est etiam sua loquentibus obseruatio, sua scribentibus.

Sermo quatuor rebus cō stat.

¶ Sermo cōstat ratione, vetustate, authoritate, consuetudine. [Rationem præstat præcipue analogia, nonnunquam & etymologia. [Vetera maiestas quædam, & vt sic dixerim, religio commendat. [Authoritas ab oratoribus vel historicis peti solet. Nā poetas metri necessitas excusat, nisi si quando nihil impediente in vtroq; modulatione pedum alterum malunt: qualia sunt, Imo de stirpe recisum. & Aeriæ quo cōgessere palumbes. & Silice in nuda: & similia. Cum summorum in eloquentia virorum iudicium pro ratione, & vel error honestus sit magnos duces sequentibus. [Consuetudo verò certissima loquendi magistra: vtendūmque planè sermone, vt numo, cui publica forma est. ¶ Omnia tamen hæc exigunt acre iudicium. Analogia præcipuè, quam proxime ex Græco transferentes in Latinum, proportionē vocauerūt. Eius hæc vis est, vt id quod dubium est, ad aliquid simile, de quo non quæritur, referat: vt incerta certis probet. Quod efficitur duplici via, cōparatione similium in extremis maxime syllabis (propter quod ea quæ sunt è singulis, negantur debere rationem) & diminutione. [Comparatio in nominibus, aut genus deprehendit, aut declinationem. Genus, vt si quæratur, funis masculinum sit, an fœmininum, simile illi sit panis. Declinationē, vt si veniat in dubium, hac domu dicendum sit, an hac domo, & domuum an domorum, similia sunt domus, anus, manus. [Diminutio genus modo detegit. Et ne ab eodem exemplo recedam, funem masculinum esse funiculus ostendit. Eadem in verbis quoque ratio comparationis, vt siquis antiquos secutus feruere breui media syllaba dicat, deprehēdatur vitiose loqui, quòd omnia quæ e & o literis fatendi modo terminātur, eadem si in infinitis e literam media syllaba acceperunt vtique productam habent, prandeo, pendeo, spondeo, prandere, pendere, spondere. At quæ o solam habent dummodo per eandem literam infinita exeant, breuia fiunt, lego, dico, curro: legere, dicere, currere. Etiamsi est apud Lucillium, Feruit aqua & feruet, feruit nunc, feruet ad annum. Sed pace dicere hominis eruditissimi liceat, si feruit, putat illi simile currit & legit, feruo dicetur, vt curro & lego, quod nobis inauditum est. Sed non est hæc vera

Aeneid. II.

Analogia.

comparatio,nam feruit illi eſt ſimile ſeruit:quam proportionem ſequenti dicere neceſſe eſt feruire,vt ſeruire.Prima quoque aliquando poſitio ex obliquis inuenitur,vt memoria repeto conuictos à me qui reprehenderant, quòd hoc verbo vſus eſſem pepigi.Nam id quidem dixiſſe ſummos authores confitebantur, rationem tamen negabant permittere, quia prima poſitio paciſcor cum haberet naturam patiendi,faceret tempore præterito pactus ſum.Nos præter authoritatẽ oratorum atque hiſtoricorum, analogia quoque hoc dictum tuebamur. Nam cum in duodecim tabulis legerimus,Ni ita pagunt,inueniebamus ſimile huic cadunt.Inde prima poſitio,etiam ſi vetuſtate exoleuerat,apparebat pago,vt cado:vnde non erat dubium,ſic pepigi nos dicere,vt cecidi.[Sed meminerimus non per omnia duci analogiæ poſſe rationem, cum ſibi ipſa plurimis in locis repugnet. Quædam ſine dubio conantur eruditi defendere,vt cũ deprehenſum eſt lepus & lupus ſimili poſitione quantum in caſibus numeríſque diſſentiant,ita reſpõdent, non eſſe paria , quia lepus epicœnum ſit , lupus maſculinum. quanquam Varro in eo libro quo initia Romanæ vrbis enarrat,lupum fœminam dicit,Ennium, Pictorémque Fabium ſecutus.Illi autem ijdem cum interrogantur,cur aper apri,& pater patris faciat,illud nomẽ poſitum,hoc ad aliquid eſſe contendunt.Præterea quoniam vtrunque à Grẹcis ductum eſt,ad eam rationem recurrunt,vt πατὴρ patris,κάπρος apri faciat.Illa tamen quomodo effugiẽt,vt nomina quamuis fœminina,ſingulari nominatiuo us finita,nũquam genitiuo caſu in eris ſyllabam terminantur,faciat tamen Venus Veneris?Item cum es literis finita per varios exeant genitiuos,nũquam tamen eadẽ ris ſyllaba terminatos,Ceres cogat dici Cereris? Quid vero,quæ tota poſitionis eiuſdem in diuerſos flexus exeunt?cum Alba faciat albanus & albẽſis,volo,volui & volaui.Nam præterito quidem tempore varie formari verba prima perſona o litera terminata,ipſa analogia confitetur. Siquidem facit cado cecidi,ſpondeo ſpopondi,pingo pinxi,lego legi,pono poſui,frango fregi,laudo laudaui.Non enim cum primum fingerentur homines,analogia demiſſa cælo formam loquendi dedit:ſed inuenta eſt poſtquam loquebantur, & notatum in ſermone,quid quo modo caderet:ita non ratione nititur,ſed exemplo:nec lex eſt loquendi,ſed obſeruatio:vt ipſam analogiã nulla res alia fecerit quàm conſuetudo.[Inhærent tamen qui-

Contra analogię nimiũ ſtudioſos.

dam moleſtiſſima diligentiæ peruerſitate, vt audaciter potius dicant q̃ audacter, licet omnes oratores aliud ſequantur, vt emicauit non emicuit, & conire non coire. His permittamus & audiuiſſe & ſciuiſſe, & tribunale, & faciliter dicere: frugalis quoque ſit, apud illos non frugi, nam quo alio modo fiat frugalitas? Iidem centum millia nummum, & fidem deum oſten dant duplices quoque ſolœciſmos eſſe, quando & caſum mutant & numerum. Neſciebamus enim, ac non conſuetudini & decori ſeruiebamus, ſicut in plurimis, quæ Tullius in Oratore diuine vt omnia exequitur. Sed Auguſtus quoque in epiſtolis ad C. Cæſarem ſcriptis, emendat, quòd is calidũ dicere quàm caldum maluit: non quia illud non ſit latinum, ſed quia ſit odioſum, & vt ipſe Græco verbo ſignificauit περίεργον. Atqui hãc quidam ὀρθοέπειαν ſolam putant, quam ego minime excludo. quid enim tam neceſſarium q̃ certa locutio? imò inhærẽdum ei iudico quoad licet, diu etiam mutantibus repugnandũ: ſed abolita atque abrogata retinere, inſolentiæ cuiuſdam eſt, & friuolæ in paruis iactantiæ. Multum enim literatus, qui ſine aſpiratione producta ſecunda ſyllaba ſalutauit, auete (eſt enim) & caleface dixerit potius, q̃ quod dicimus, & cõſeruauiſſe: ijs adijciat face & dice, & ſimilia. Recta eſt hæc via: quis negat? ſed alia eſt & mollior, & magis trita. Ego tamen non alio magis angor, q̃ quòd obliquis caſibus ducti, etiam primã ſibi poſitionem nõ inuenire, ſed mutare permittũt: vt cum ebur & robur ita dicta ac ſcripta in ſummis authoribus, in o literã ſecundæ ſyllabæ trãſferunt, quia fit roboris & eboris: ſulphur autem & guttur u literã in genitiuo ſeruẽt, ideoq; iecur etiam & femur controuerſiã fecerunt. quod non minus eſt licẽtioſum q̃ ſi ſulphuri & gutturi ſubijcerent in genitiuo literã o mediam, quia eſſet eboris & roboris: ſicut Antonius Gnifo, qui robur quidem & ebur atque etiam marmur fatetur eſſe, verùm fieri vult ex his robura & ebura, marmura. Quòd ſi animaduerterent literarum affinitatem, ſcirent ſic ab eo quod eſt robur, roboris fieri, quomodo ab eo quod eſt miles limes, militis limitis, iudex vindex, iudicis vindicis, & quæ ſuprà iam attigi. Quid? non ſimiles quoque (vt dicebam) poſitiones in longe diuerſas figuras per obliquos caſus exeunt? vt virgo, Iuno, fuſus, luſus, cuſpis, puppis, & mille alia: cum illud etiam accidat, vt quædam pluraliter non dicantur, quædã contrà ſingulari numero, quædam caſibus careant, quædam à primis ſtatim poſitionibus to

ta mutentur,vt Iuppiter. Quod verbis etiam accidit,vt fero, tuli, cuius præteritum perfectum & vlterius non inuenitur. Nec plurimum refert,nulla hæc, an prædura sint. Nam quid progenies genitiuo singulari, quid spes plurali faciet? Quomodo autem quire & ire, vel in præterita patiendi modo, vel in participia transibunt? Quid de alijs dicam,cum senatus senatus senatui, an senatus senati senato faciat, incertum sit? Quare mihi non inuenustè dici videtur, Aliud esse latinè, aliud grammaticè loqui.Hæc de analogia nimium. ¶Etymologia quæ verborum originem inquirit,à Cicerone dicta est notatio, quia nomen eius apud Aristotelem inuenitur σύμβολον, quod est nota:nam verbum ex verbo ductum,id est veriloquium,ipse Cicero qui finxit,reformidat.Sunt qui vim potius intuiti originationem vocent.[Hæc habet aliquando vsum necessarium,quoties interpretatione res,de qua quæritur,eget:vt cum Marcus Cœlius se esse hominem frugi vult probare,non quia abstinẽs sit(nam id ne mentiri quidem poterat)sed quia vtilis multis,id est,fructuosus, vnde sit dicta frugalitas. Ideóque in diffinitionibus cum triquetrã dici Siciliam an triquedram, meridiem an medidiem oporteat,quæritur, aliquando consuetudini seruit.[Continet autem in se multam eruditionem, siue illa ex Græcis orta tractemus, quæ sunt plurima, præcipuéq; Aeolica ratione,cui est sermo noster simillimus,declinata:siue ex historiarũ veterum notitia nomina hominum, locorũ,gentium, vrbium requiramus, vnde Bruti,Publicolæ, Pici:cur Latium,Italia,Beneuentum:quæ capitolium, collem quirinalem,& argiletum appellãdi ratio.[Iam illa minora in quibus maxime studiosi eius rei fatigantur, qui verba paulum declinata,variè & multipliciter ad etymum reducũt, aut correptis aut porrectis,aut adiectis,aut detractis,aut permutatis literis syllabísve. Inde paruis ingenijs ad fœdissima vsque ludibria dilabuntur. Sítne Consul à consulendo, an iudicando.nam & hoc consulere veteres vocauerunt. vnde adhuc remanet illud, Rogat boni consulas, id est bonum iudices. Senatui nomen dederit ætas:nam ijdem patres sunt,& rex & rector,& alia plurima indubitata.Nec abnuerim tegulæ,regulęque,& similium his rationem.Iam sit & classis à calando,& lepus leuipes,& vulpes volipes. Et etiámne à cõtrarijs aliqua sinamus trahi,vt lucus,quia vmbra opacus parũ luceat:& ludus quia sit lõgissime ab lusu:& Dis, quia minime diues:etiámne

Etymologia.

Frugalitas.

Consul.

Boni cõsulere

hominem appellari, quia sit humo natus? quasi vero non omnibus animalibus eadem origo, aut illi primi mortales antè nomen imposuerint terrę q̃ sibi: & verba ab aere verberato. Pergamus. sic perueniemus eousque, vt stella, luminis stilla credatur. cuius etymologiæ authorẽ clarũ sanè in literis nominari in ea parte, qua à me reprehenditur, inhumanum est: qui verò talia libris complexi sunt, nomina sua ipsi inscripserunt. ingenioséque sibi visus est Gabinius cælibes dicere veluti cælites, quòd onere grauissimo vacent, ídque Græco argumẽto iuuit, ἀπὸ θεῶν eadẽ de causa dici affirmat, nec ei cedit Modestus in inuentione. Nam quia Cælo Saturnus genitalia absciderit, hoc nomine appellatos qui vxore careant. At Aelius pituitã, quia petit vitam. Sed cui non post Varronem sit venia? qui agrum quòd in eo agatur aliquid, & graculos quia gregatim volent, dictos Ciceroni persuadere voluit (ad eum enim scribit) cum alterum ex Græco sit manifestum duci, alterum ex vocibus auium. Sed huic tanti fuit vertere, vt merula, quia sola volat, quasi mera volans, nominaretur. [Quidam non dubitauerunt etymologiæ subijcere omnem nominis causam, vt ex habitu quemadmodum dixi Longos & Rufos: ex sono strepere, murmurare: etiam deriuata, vt à velocitate dicitur velox: & composita, pluráque his similia, quæ sine dubio aliunde originem ducunt, sed arte non egent. Cuius in hoc opere non est vsus nisi in dubijs.

¶ De vetustis verbis, & quibus verbis sit vtendum, & de authoritate. Cap. XI.

De verbis ve tustis.

VErba à vetustate repetita non solum magnos asserto-
res habent, sed etiam afferunt orationi maiestatem a-
liquam, non sine delectatione: nam & authoritatẽ an-
tiquitatis habent: & quia intermissa sunt, gratiã nouitati simi-
lem parant. Sed opus est modo, vt neque crebra sint hæc, neq;
manifesta: quia nihil est odiosius affectatione. nec vtiq; ab vl-
timis & iam obliteratis repetita temporibus, qualia sunt toper,
& antigerio, & exãtlare, & prosapia, & Saliorum carmina vix
sacerdotibus suis satis intellecta. Sed illa mutari vetat religio,
& consecratis vtendum est. Oratio vero, cuius summa virtus
est perspicuitas, quàm sit vitiosa, si egeat interprete? Ergo vt
nouorum optima erunt maxime vetera, ita veterum maxime
noua. Similis circa authoritatem ratio. Nam etiamsi potest
videri nihil peccare, qui vtitur his verbis, quæ summi autho-

Exantlare.

Prosapia.

De authorita te.

res tradiderunt, multum tamen refert non ſolum quid dixerint, ſed etiam quid perſuaſerint. Neque enim tuburcinabundum & lurcabundum iam in nobis quiſquam ferat, licet Cato ſit author: nec hos lodices, quanquam id Pollioni placeat: nec gladiola, atque Meſſala dixit: nec parricidatũ, quod in Cælio vix tolerabile videtur: nec collos mihi Caluus perſuaſerit, quæ nec ipſi iam dicerent.

¶De Conſuetudine. Cap. XII.

SVpereſt igitur conſuetudo: nam fuerit penè ridiculum, malle ſermonem quo locuti ſunt homines, quàm quo loquantur. & ſanè quid eſt aliud vetus ſermo, q̃ vetus loquendi cõſuetudo? Sed huic ipſi neceſſarium eſt iudicium, conſtituendúmque in primis idipſum, quid ſit, quod conſuetudinem vocemus. Quæ ſi ex eo quod plures faciunt, nomen accipiat, periculoſiſſimum dabit præceptum non orationi modo, ſed (quod maius eſt) vitæ. Vnde enim tãtum boni, vt pluribus quæ recta ſunt placeant? Igitur vt velli, & comam in gradus frangere, & in balneis perpotare, quamlibet hæc inuaſerint ciuitatem, non erit conſuetudo, quia nihil horum careat reprehenſione: at lauamur, & tondemur, & conuiuimus, ex conſuetudine. Sic in loquendo, non ſi quid vitioſe multis inſederit, pro regula ſermonis accipiendũ erit. Nam vt tranſeam quemadmodum vulgo imperiti loquuntur, tota ſæpe theatra, & omnem Circi turbam exclamaſſe barbare ſcimus. Ergo cõſuetudinem ſermonis, vocabo conſenſum eruditorũ: ſicut viuendi, conſenſum bonorum. *Conſuetudo.*

¶De Orthographia. Cap. XIII.

NVnc quoniam diximus quæ ſit loquendi regula, dicendum quæ ſcribentibus cuſtodienda. Quod Græci orthographiam vocant, nos rectè ſcribendi ſcientiam nominemus. Cuius ars nõ in hoc poſita eſt, vt nouerimus quibus quæque ſyllaba literis conſtet (Nam id quidẽ infra grammatici officium eſt) ſed totam, vt mea fert opinio, ſubtilitatẽ in dubijs habet, vt longis ſyllabis omnibus apponere apicem ineptiſſimum eſt, quia plurimæ natura ipſa verbi quod ſcribitur, patent: ſed interim neceſſarium, cum eadem litera alium atque alium intellectum, prout correpta vel producta eſt, facit. Vt malus vtrum arborem ſignificet, an hominem non bonum, apice diſtinguitur. Palus aliud priore ſyllaba longa, aliud ſequenti ſignificat: & cum eadem litera nominatiuo ca-

ſu breuis, ablatiuo longa eſt, vtrum ſequamur, plerunque hac nota monendi ſumus. [Similiter putauerũt illa quoq; ſeruanda diſcrimina, vt ex præpoſitione, ſi verbum ſequeretur ſpecto, adiecta ſecundæ ſyllabæ s litera, exſpecto: ſed ſi pecto, remota s, ſcriberemus. [Illa quoque ſeruata eſt à multis differentia, vt ad, cum eſſet præpoſitio, d literam: cum autem coniunctio, t acciperet. Itémq; cum, ſi tempus ſignificaret, per q: ſi comitem, per c: ſi vero cauſam, per q, ac duas ſequentes uu, ſcriberetur. [Frigidiora his alia, vt quicquid c quartum haberet, ne interrogare bis videremur. Et quotidie non cotidie, vt ſit quot diebus. Verum hæc iam etiã inter ipſas ineptias euanuerunt. [Quæri ſolet in ſcribendo præpoſitiones ſonũ quem iunctæ efficiunt, an quem ſeparatæ, obſeruare conueniat: vt cum dico obtinuit, ſecundam enim b literam, ratio poſcit, aures magis audiunt p. Et immunis, illud n, quod veritas exigit, ſequẽtis ſyllabæ ſono victũ m gemino commutatur. [Eſt etiam in diuidendis verbis obſeruatio, mediam literã conſonantem priori an ſequenti ſyllabæ adiungas. Aruſpex enim quia pars eius poſterior à ſpectando eſt, s literam tertiæ dabimus: abſtemius quia ex abſtinentia temeti compoſita vox eſt, primæ relinquetur. [Nam k, quidem in nullis verbis vtendum puto, niſi quæ ſignificat, etiam vt ſola ponatur. Hoc eò non omiſi, q̃ quidam eam quoties a ſequatur, neceſſariam credunt: cũ ſit c litera, quæ ad omnes vocales vim ſuam perferat. Verũ orthographia quoque conſuetudini ſeruit, ideóq; ſæpe mutata eſt. [Nam illa vetuſtiſſima tranſeo tempora, quibus & pauciores literæ, nec ſimiles his noſtris earum formæ fuerunt, & vis quoque diuerſa: ſicut apud Græcos o litera, quæ interim longa ac breuis, vt apud nos, interim pro ſyllaba, quam nomine ſuo exprimit, poſita eſt. Et Latinis veteribus d, plurimis verbis vltimam adiectã, quod manifeſtum eſt etiam ex columna roſtrata, quæ eſt D. Iulio in foro poſita. Interim g quoque, vt in puluinari Solis, qui colitur iuxta ædem Quirini, veſperug. quod veſperuginem accipimus. [De mutatione etiam literarum, de qua ſupra dixi, nihil repetere hic neceſſe. Fortaſſe enim ſicut ſcribebant, etiam ita loquebãtur. [Semiuocales non geminare diu fuit vſitatiſſimi moris: atque econtrario vſque ad Actium & vltra, porrectas ſyllabas geminis (vt dixi) vocalibus ſcripſerunt. Diutius durauit, vt e i iungendis eadem ratione, qua Græci u vterentur, ea caſibus numeríſque diſcreta eſt, vt Lu-

cilius præcipit: Iam puerei venere, e poſtremũ facito atque i, Vt puerei plures fiant. Ac deinceps idem, Mendacei, fureíque addes e, cum dare furi Iuſſeris. Quod quidem quum ſuperuacuum eſt, quia i tam longæ q̃ breuis, naturã habet, tum incommodum aliquando. Nam in ijs quæ proximam ab vltima literam e habebunt, & i longa terminabũtur, illam rationem ſequentes vtemur e gemina: qualia ſunt hæc, aureei, argẽteei, & ſimilia. Idque ijs præcipuè, qui ad lectionem inſtruẽtur, etiam impedimento erit, ſicut in Græcis accidit adiectione i literæ: quam non ſolum datiuis caſibus in parte vltima ſcribunt, ſed quibuſdam etiam interponunt, vt in λῃϊσίῃ, quia etymologia ex diuiſione in triſyllabis facta deſideret eam literam. [Ai ſylla bam, cuius ſecundam nunc e literam ponimus, variè per a & i efferebãt, quidam ſemper, vt Græci: quidam ſingulariter tantum, cum in datiuum vel genitiuum caſum incidiſſent: vnde Pictai veſtis, & aquai Vergilius amãtiſſimus vetuſtatis, carminibus inſeruit. In ijſdem plurali numero e vtebãtur, vt ſtyllæ, Galbæ. Eſt in hac quoque parte Lucilij præceptum, quod quia pluribus explicatur verſibus, ſi quis parum credat, apud ipſum in nono requirat. [Quid, quòd Ciceronis tẽporibus, paulúmque infra, ferè quoties s litera media vocalium longarum, vel ſubiecta lõgis eſſet, geminabatur? vt cauſſę, caſſus, diuiſſiones: quo modo & ipſum, & Vergilium quoque ſcripſiſſe manus eorum docẽt. [Atqui paululum ſuperiores etiam illud quod nos gemina s, dicimus, iuſſi, vna dixerũt, iuſi. [Etiam optimus, maximus vt mediam i literam, quæ veteribus u fuerat, acciperent, C. primum Cæſaris inſcriptione traditur factum. [Here nunc e litera terminamus: at veterum comicorum adhuc libris inuenio, Heri ad me venit: quod idem in epiſtolis Auguſti, quas ſua manu ſcripſit, aut emendauit, deprehenditur. [Quid? non Cato Cẽſorius, dicam & faciam, dicem & faciem ſcripſit, eundémque in cæteris quæ ſimiliter cadunt, modum tenuit? quod ex veteribus eius libris manifeſtum eſt. [Et à Meſſala in libro de s litera poſitũ ſibe & quaſe ſcriptum in multorum libris eſt. Sed an hoc voluerint authores neſcio, T. Liuium ita his vſum ex Pædiano comperi, qui & ipſe eum ſequebatur, hæc nos i, litera finimus. [Quid dicam vortices, & vorſus, cæteráque ad eundem modum, quæ primo Scipio Africanus in e literã ſecundã vertiſſe dicitur. noſtri præceptores ceruom ſeruómq; u, & o, literis ſcripſerũt, quia ſubiecta ſibi vocalis in

Æneid. 9.
Æneid. 3.

vnum ſonum coaleſcere & confundi nequiret: nunc u, gemina ſcribuntur, ea ratione, quam reddidi: neutro ſanè modo vox quam ſentimus, efficitur. Nec inutiliter Claudius Aeolicã illam ⊦ ad hos vſus literam adiecerit. [Illud nũc melius, quòd cui, tribus quos propoſui literis enotamus, in quo pueris nobis ad pinguem ſanè ſonum quoi vtebantur, tãtum vt ab illo qui diſtingueretur. [Quid quæ ſcribuntur aliter quàm enuntiantur? Nam & Caius C. litera notatur, quæ inuerſa mulierem declarat, quia tam Caias eſſe vocitatas quam Caios etiam ex nuptialibus ſacris apparet. Nec Cneus eam literam in prænominis nota accipit, qua ſonat: & columa, exempta n litera: ſimiliter conſules, ſed geminata ſſ Coſſ. legimus: & ſuburra cum tribus literis notatur, & tertiam oſtendit. Multa ſunt generis huius. Sed hæc quoque vereor, ne modum iam paruæ quæſtionis exceſſerint. [Iudicium autem ſuum grammaticus interponat his omnibus. Nam hoc valere plurimum debet. Ego, niſi quod conſuetudo obtinuerit, ſic ſcribendum quicque iudico quo modo ſonat. Hic enim eſt vſus literarum, vt cuſtodiant vocem, & velut depoſitum reddant legentibus. Itaque id exprimere debent, quod dicturi ſumus. ¶ Hæ ferè ſunt emendatè loquendi, ſcribendíque partes, duas reliquas ſignificanter, ornatéque dicendi, nõ equidem grammaticis aufero: ſed cum mihi officia rhetoris ſuperſint, maiori operi reſeruo. [Redit autem illa cogitatio, quoſdam fore, qui hæc quæ diximus, parua nimium, & impedimenta quoque maius aliquid agendi putent. Nec ipſe ad extremam vſque anxietatem, & ineptas cauillationes deſcendendum, atque his ingenia concidi & comminui credo. Sed nihil ex grammatica nocuerit, niſi quod ſuperuacuũ eſt. An ideo minor eſt M. Tullius orator, quòd idem artis huius diligentiſſimus fuit, & in filio, vt in epiſtolis appareat, rectè loquẽdi vſquequaque aſper quoque exactor? aut vim C. Cæſaris fregerunt editi de analogia libri? aut ideo minus Meſſala nitidus, quia quoſdam totos libellos non de verbis modo ſingulis, ſed etiam literis dedit? Non obſtant hæ diſciplinæ per illas euntibus, ſed circa illas hærentibus.

¶ De lectione pueri. Cap. XIIII.

SVpereſt lectio, in qua puer vt ſciat vbi ſuſpendere ſpiritum debeat, quo loco verſum diſtinguere, vbi claudatur ſenſus, vnde incipiat, quãdo attollenda vel ſubmittenda ſit vox, quid quo flexu, quid lentius, concitatius, celerius,

lenius dicendum, demonſtrari niſi in opere ipſo non poteſt. Vnum eſt igitur quod in hac parte præcipiã, vt omnia iſta facere poſſit, intelligat. [Sit autẽ in primis lectio virilis, & cum ſuauitate quadã grauis, & non quidem proſæ ſimilis, quia carmen eſt, & ſe poetæ canere teſtantur: non tamen in canticum diſſoluta, nec pſalmate (vt nunc à pleriſque fit) effœminata. De quo genere optimè C. Cæſarem prætextatum adhuc accepimus dixiſſe, Si cantas, male cantas: ſi legis, cantas. Nec proſopopœias, vt quibuſdam placet, ad comicum morem pronuntiari velim: eſſe tamẽ flexum quendam, quo diſtinguãtur ab ijs, in quibus poeta perſona ſua vtetur. ¶Cætera admonitione magna egent, in primis, vt teneræ mentes tracturæque altius quicquid rudibus & omnium ignaris inſederit, non modo quæ diſerta, ſed vel magis quæ honeſta ſunt, diſcant. Ideóque optimè inſtitutum eſt, vt ab Homero atque Vergilio lectio inciperet: quanquam ad intelligendas eorum virtutes firmiori iudicio opus eſſet. Sed huic rei ſupereſt tempus. Nec enim ſemel legentur. Interim & ſublimitate heroici carminis animus aſſurgat, & ex magnitudine rerum ſpiritum ducat, & optimis imbuatur. Vtiles Tragœdiæ, alunt & Lyrici: ſi tamen in ijs non authores modo, ſed etiam partes operis elegeris. Nam & Græci licenter multa, & Horatium in quibuſdam nolim interpretari. Elegia vero (vtique qua amat) & hendecaſyllaba: & quibus ſunt ſcommata Sotadeorum (nam de Sotadeis ne præcipiendũ quidem eſt) amoueantur, ſi fieri poteſt: ſi minus, certe ad firmius ætatis robur reſeruentur. Comœdiæ, quæ plurimum ad eloquentiam conferre poteſt, cum per omnes & perſonas & affectus eat, quem vſum in pueris putem, paulo pòſt ſuo loco dicam. Nam cum mores in tuto fuerint, inter præcipua legenda erit. De Menandro loquor, nec tamen excluſerim alios. [Nam Latini quoque authores afferent vtilitatis aliquid. Sed pueris, quæ maximè ingenium alant, atque animum augeant, prælegenda: cæteris, quæ ad eruditionem modo pertinent, longa ętas ſpatium dabit. Multum autem veteres etiam Latini conferunt (quanquam plerique plus ingenio quàm arte valuerunt) in primis copiam verborũ, quorum in tragœdijs grauitas, in comœdijs elegantia, & quidam velut atticiſmos inueniri poteſt. Oeconomia quoque in his diligentior, quàm pleriſque nouorum erit, qui omnium operũ ſolam virtutum ſententias putauerunt. Sanctitas certè, & (vt ſic di-

Qui primum legendum.

cam)virilitas ab his petenda:quãdo nos in omnia deliciarum vitia dicẽdi quoq; ratione deflexímus.Deniq; credamus ſummis oratoribus, qui veterũ poemata, vel ad fidem cauſarum, vel ad ornamentũ eloquentiæ aſſumunt.Nã præcipuè quidem apud Ciceronẽ,frequenter tamen apud Aſinium etiã,& cæteros,qui ſunt proximi,vidimus Ennij,Accij, Pacuuij,Lucillij, Terentij,Cæcilij & aliorum inſeri verſus: ſumma non eruditionis modo gratia,ſed etiã iucũditatis,cum poeticis voluptatibus aures à forenſi aſperitate reſpirẽt. Quibus accedit non mediocris vtilitas,cum ſententijs eorum velut quibuſdam teſtimonijs,quæ propoſuere cõfirment.Verũ priora illa ad pueros magis,hæc ſequentia ad robuſtiores pertinebunt. ¶Cum grammatices amor,& vſus lectionis,non ſcholarum temporibus,ſed vitæ ſpatio terminẽtur:in prælegendo, grammaticus & illa quidẽ minora præſtare debebit, vt partes orationis reddi ſibi ſoluto verſu deſideret, & pedũ proprietates, quæ adeo debent eſſe notæ in carminibus,vt etiam in oratoria compoſitione deſiderentur,deprehẽdátque quæ barbara,quæ impropria,quæ cõtra legem loquendi ſunt poſita:non vt ex his vtique improbentur poetæ(quibus, quia plerunq; ſeruire metro coguntur,adeo ignoſcitur,vt vitia ipſa alijs in carmine appellationibus nominentur:Metaplaſmos enim,& ſchematiſmos, & ſchemata(vt dixi)vocamus,& laudẽ virtutis neceſſitati damus) ſed vt commoneat artificialium, & memoriam agitet. [Id quoq; inter prima rudimẽta non inutile,demõſtrare quot quæq; verba modis intelligẽda ſint.[Circa gloſſemata etiam, id eſt voces minus vſitatas, non vltima eius profeſſionis diligentia eſt.[Enimuero maiore cura iam doceat tropos omnes quibus præcipuè non poema modo, ſed etiã oratio ornatur, ſchemata vtraq;,id eſt figuras,quæq; λέξεως,quæq; διανοίας vocantur.quorum ego,ſicut troporum,tractatum in eum locum differo,quo mihi de ornatu orationis dicendũ erit.[Præcipuè vero illa infigat animis,quæ in œconomia virtus,quæ in decoro rerũ,quid perſonæ cuique conuenerit,quid in ſenſibus laudandum,quid in verbis,vbi copia probabilis, vbi modus. His accedat enarratio hiſtoriarum: diligens quidem illa, non tamen vſque ad ſuperuacuũ laborem occupata.Nam receptas, aut certe claris authoribus memoratas expoſuiſſe ſatis eſt.Perſequi quidem quod quiſque vnquam vel contemptiſſimorum hominum dixerit, aut nimiæ miſeriæ,aut inanis iactãtiæ eſt,

Veterum poemata.

Gloſſemata.

Inanes hiſtoriæ.

& detinet, atque obruit ingenia melius alijs vacatura. Nam qui omnes etiam indignas lectione schedas excutit, anilibus quoque fabulis accommodare operam potest. Atqui pleni sunt eiusmodi impedimentis grammaticorum commentarij, vix ipsis, qui composuerunt, satis noti. Nam Didymo quoque, quo nemo plura scripsit, accidisse compertum est, vt cum historiæ cuidam tanquam vanæ repugnaret, ipsius proferretur liber, qui eam continebat. Quod euenit præcipuè in fabulosis vsque ad ridicula, quædam etiam pudenda. Vnde improbissimo cuique pleraq; fingendi licētia est, adeo vt de libris totis & authoribus, vt succurrit, mentiatur tutò, quia inueniri qui nunquam fuere, non possunt. Nam in notioribus frequentissimè deprehendūtur à curiosis. Ex quo mihi inter virtutes grammatici habebitur, aliqua nescire. *Vtile aliqua nescire.*

¶ De officio grammatici, & quæ primordia sint dicendi. Cap. XV.

ET finitæ quidē sunt partes duæ, quas hæc professio pol licetur, id est ratio loquendi, & enarratio authorum: quarum illam Methodicen, hanc Historicen vocant. Adijciamus tamen eorum curæ quædam dicendi primordia, quibus ætates nondum rhetorem capientes instituant. ¶ Igitur Aesopi fabellas, quæ fabulis nutricularum proximè succedunt, narrare sermone puro, & nihil se supra modum extollente: deinde eandem gracilitatem stylo exigere condiscant: versus primo soluere: mox mutatis verbis interpretari: tum paraphrasi audacius vertere: qua & breuiare quędam, & exornare, saluo modo poetæ sensu, permittitur. Quod opus etiā consummatis professoribus difficile, qui cōmodè tractauerit, cuicunque discendo sufficiet. ¶ Sententiæ quoque, & Chriæ, & Ethologiæ, subiectis dictorum rationibus apud grammaticos scribantur, quia initium ex lectione ducunt. Quorum omnium similis est ratio, forma diuersa: quia sententia vniuersalis est vox, ethologia personis continetur. Chriarum plura genera traduntur. Vnum simile sententiæ, quod est positum in voce simplici, dixit ille, aut dicere solebat. Alterū quod est in respondendo, interrogatus ille, vel cum hoc ei dictum esset, respondit. Tertium huic non dissimile, cum quis non dixisset, sed aliquid fecisset, etiam in ipsis factis Chriam putant, vt Crates, cum indoctum puerum vidisset, pædagogū eius percussit. Et aliud penè par ei, quod tamen eodem nomine appellare nō *Chriarum genera.*

audent, sed dicunt χρεῶδες, vt Milo, quem vitulum assueuerat ferre, taurũ ferebat. In his omnibus & declinatio per eosdem ducitur casus, & tam factorum q̃ dictorum ratio est. ¶ Narratiunculas à poetis celebratas, notitiæ causa, non eloquentiæ, tractandas puto. ¶ Cętera maioris operis ac spiritus latini rhetores relinquendo, necessaria grammaticis fecerunt. Græci magis operum suorum & opera & modum norunt.

¶ An oratori futuro necessaria sit plurium artium scientia. Cap. XVI.

HAec de grãmatica quãbreuissimè potui, non vt omnia dicerem, sectatus (quod infinitum erat) sed vt maxime necessaria: nunc de cæteris artibus, quib⁹ instituendos priusquã tradantur rhetori, pueros existimo, strictim subiungam: vt efficiatur orbis ille doctrinæ, quem Græci ἐγκυκλοπαιδείαν vocant. Nam ijsdem ferè annis aliarum quoque disciplinarum studia ingredienda sunt, quæ quia & ipsæ artes sunt, & esse perfecta sine his orandi scientia non potest, nec rursus ad efficiendum oratorem satis valent solæ, an sint huic operi necessariæ, quæritur. Nam quid, inquiunt, ad agẽdam causam dicendámve sententiam pertinet scire, quemadmodum data linea constitui triangula æquis lateribus possint? Aut quo melius vel defendet reum, vel reget consilia, qui cytharæ sonos nominibus & spatijs distinxerit? Enumerent fortasse multos quamlibet vtiles foro, qui nec Geometren audiuerunt, nec musicos, nisi hac cõmuni voluptate aurium, intelligãt. [Quibus ego primum hoc respondeo, quod & M. Cicero scripto ad Brutum libro frequentius testatur, non eum à nobis institui oratorem, qui sit, aut fuerit, sed imaginem quandam concepisse nos animo perfecti illius ex nulla parte cessantis. Nam & sapientem formantes eum, qui sit futurus consummatus vndique, & (vt dicunt) mortalis quidam deus, non modo cognitione cælestium vel mortalium putant instituendũ, sed per quædam parua sanè, si ipsa demum existimes, ducunt, sicut exquisitas interim ambiguitates: non quia Ceratinæ aut Crocodilinę possint facere sapientem, sed quia illum ne in minimis quidem oporteat falli. Similiter oratorem (qui debet esse sapiẽs) non Geometres faciet, aut musicus, quęq; his alia subiungã: sed hæ quoq; artes, vt sit cõsummatus, iuuabũt. Nisi fortè antidotũ quidẽ atq; alia, quæ morbis aut vulneribus medẽtur, ex multis atque interim contrarijs quoque inter se effectibus componi

Ceratinæ & Crocodilinæ ambiguitates

videmus:quorũ ex diuerſis fit illa mixtura vna, quæ nulli earum ſimilis eſt,quibus conſtat, ſed proprias vires ex omnibus ſumit: & muta animalia mellis illum inimitabilẽ humanæ rationis ſaporem vario florũ ac ſuccorum genere perficiũt: nos mirabimur, ſi oratio,qua nihil præſtantius homini dedit prouidentia,pluribus artibus eget,quæ etiam cum ſe oſtendunt in dicendo,nec proferũt,vim tamen occultam ſuggerunt, & tacitæ quoque ſentiuntur. [Fuit aliquis ſine his diſertus: at ego oratorem volo. Non multũ adijciunt, ſed vtiq; non erit totũ cui vel parua deerunt: & optimum quidem hunc eſſe conueniet, cuius etiam ſi in arduo ſpes eſt, nos tamen præcipiamus omnia, vt ſaltem plura fiant. [Sed cur deficiat animus? natura enim perfectum oratorem eſſe non prohibet. Turpitérque deſperatur quicquid fieri poteſt.

¶De muſice, & eius laudibus. Cap. XVII.

ATque ego vel iudicio veterum poteram eſſe contentus. Nam quis ignorat muſicen(vt de hac primum loquar)tantum illis iam antiquis temporibus non ſtudij modo,verum etiam venerationis habuiſſe, vt ijdem muſici, & vates, & ſapientes iudicarentur? Mittam alios, Orpheus & Linus,quorum vtrumq; dijs genitum, alterum vero quòd rudes quoque,atque agreſtes animos admiratione mulceret, nõ feras modo, ſed ſaxa etiam ſyluáſq; duxiſſe, poſteritatis memoriæ traditũ eſt. Timagenes author eſt, omniũ in literis ſtudiorum antiquiſſimam muſicen extitiſſe. Et teſtimonio ſunt clariſſimi poetæ, apud quos inter regalia conuiuia laudes heroum ac deorum ad cytharam canebãtur. Iopas ille Vergilij, nónne canit Errantẽ Lunam, Solíſque labores? & cætera quibus certè palã confirmat author eminentiſſimus, Muſicẽ cum diuinarum etiam rerum cognitione eſſe coniunctam. Quod ſi datur,erit etiam oratori neceſſaria: ſiquidem(vt diximus) hæc quoque pars quæ ab oratoribus relicta, à philoſophis eſt occupata,noſtri operis fuit,ac ſine omniũ talium ſcientia non poteſt eſſe perfecta eloquentia. Atque claros nomine ſapientiæ viros nemo dubitauerit ſtudioſos Muſices fuiſſe, cum Pythagoras,atque eum ſecuti,acceptã ſine dubio antiquitus opinionẽ vulgauerint, mundũ ipſum ea ratione eſſe compoſitũ, quam poſtea ſit lyra imitata. Nec illa modo contenti diſſimilium concordia,quam vocant ἁρμονίαν,ſonum quoque his motibus dederunt. Nam Plato cum in alijs quibuſdam,tum præ-

AEneid.1.

cipuè in Timæo, ne intelligi quidem, nisi ab ijs qui hanc quoque partem disciplinæ diligẽter perceperint, potest. Quid de philosophis loquor? quorum fons ipse Socrates iam senex institui lyra non erubescebat. Duces maximos & fidibus & tibijs cecinisse traditum, & exercitus Lacedæmoniorũ musicis accensos modis. Quid autẽ aliud in nostris legionibus cornua, ac tubæ faciunt? quorum concentus quanto est vehementior, tantum Romana in bellis gloria cæteris præstat. Non igitur frustra Plato ciuili viro, quem πολιτικὸν vocant, necessariam Musicen credidit. Et eius sectæ, quæ alijs seueriſſima, alijs asperrima videtur, principes in hac fuere sentẽtia, vt existimarent sapientum aliquos nonnullam operam his studijs accommodaturos. Lycurgus duriſſimarum Lacedæmonijs legum author, Musices disciplinam probauit. Atque eam natura ipsa videtur ad tolerandos facilius labores, velut muneri nobis dediſſe. Siquidem & remigẽ cantus hortatur. Nec solum in ijs operibus, in quibus pluriũ conatus præeunte aliqua iucunda voce cõspirant, sed etiã singulorũ fatigatio quãlibet se rudi modulatione solatur. [Laudem adhuc dicere artis pulcherrimæ videor, nondum tamen eam oratori coniungere. Transeamus igitur id quoque, q̃ Grammatice quondam ac Musice iunctæ fuerunt. Siquidẽ Architas atque Aristoxenus etiam subiectã Grammaticẽ Musicæ putauerunt: & eosdem vtriusq; rei præceptores fuisse, cum Sophron ostendit mimorũ quidem scriptor, sed quem Plato adeo probauit, vt suppositos capiti libros eius, cum moreretur, habuisse tradatur: tum Eupolis, apud quẽ Prodamus & Musicẽ & literas docet: & Maricas, qui est Hyperbolus, nihil se ex Musicis scire, nisi literas confitetur. Aristophanes quoq; non vno libro sic institui pueros antiquitus solitos esse demonstrat. Et apud Menandrũ in Hypobolimæo senex, qui reposcenti filiũ patri, velut rationẽ impendiorum, quæ in educationem contulerat exponens, se psaltis & Geometris multa dicit dediſſe. Vnde etiam ille mos, vt in cõuiuijs post cœnam circunferretur lyra: cuius cũ se imperitum Themistocles cõfessus esset, vt verbis Ciceronis vtar, habitus est indoctior. Sed veterum quoq; Romanorũ epulis fides ac tibias adhibere moris fuit. Versus quoq; Saliorũ habẽt carmen. Quæ cum omnia sint à Numa rege instituta, faciunt manifestũ, ne illis quidem qui rudes ac bellicosi videntur, curam Musices, quantã illa recipiebat ætas, defuisse. Denique in

prouerbium vsq; Græcorũ celebratum est, Indoctos à Musis atque Gratijs abesse. ¶ Verum quid ex ea propriè petat futurus orator, disseramus. Numeros musice habet duplices, in vocibus,& in corpore: vtriusque enim rei aptus quidam modus desideratur. Vocis rationẽ Aristoxenus musicus diuidit in ῥυθμὸν καὶ μέλος ἔμμετρον, quorum alterum modulatione, canore alterum, ac sonis constat. Non igitur hæc omnia oratori necessaria? quorum vnum ad gestũ, alterum ad collationẽ verborum, tertium ad flexus vocis, qui sunt in agendo quoq; plurimi, pertinet. Nisi fortè in carminibus tantum, & in canticis exigitur structura quædam,& inoffensa copulatio vocũ, & in agendo superuacua est: aut non compositio, & sonus in oratione quoq; variẽ pro rerũ modo adhibetur, sicut in Musice. Nãque & voce & modulatione grandia elatè, iucunda dulciter, moderata leniter canit: totáq; arte consentit cum eorum, quæ dicũtur, affectibus. Atqui in orando quoque intensio vocis, remissio, flexus, pertinet ad mouendos audientium affectus. Alia quoque & collocationis & vocis (vt eodem vtar verbo) modulatione concitationem iudicum, alia misericordiam petimus: cum etiã organis, quibus sermo exprimi non potest, affici animos in diuersum habitũ sentiamus. Corporis quoque decens & aptus motus, qui dicitur εὐρυθμία, est necessarius, nec aliunde peti potest, in quo pars actionis nõ minima consistit, qua de re sepositus nobis est locus. Age si habebit in primis curam vocis orator, quid tam Musices propriũ? Sed ne hæc quidem præsumenda pars est, vt vno interim cõtenti simus exemplo C. Gracchi præcipui suorũ temporũ oratoris: cui concionãti consistens post eum musicus fistula, quam πυθάριον vocant, modos quibus deberet intendi, ministrabat. Hæc ei cura inter turbidissimas actiones, vel terrenti optimates, vel iã timẽti fuit. Libet propter quosdã imperitiores etiã crassiore (vt vocãt) Musa dubitationẽ huius vtilitatis eximere: nam poetas certe legẽdos oratori futuro concesserint. Nũ igitur hi sine Musice? At si quis tam cæcus animi est, vt de alijs dubitet, illos certè qui carmina ad lyrã composuerũt. Hęc diutius forent dicenda, si hoc studium velut nouũ præciperem. Cum verò antiquitus vsq; à Chirone atque Achille ad nostra tempora apud omnes, qui modo legitimam disciplinam nõ sint perosi, durauerit, non est cõmittendum vt illa dubia faciam defensionis solicitudine. ¶ Quamuis autem satis iam ex ipsis

Numeri duplices in voce & corpore

quibus ſum modo vſus, exemplis, credã eſſe manifeſtum quæ mihi & quatenus muſice placeat, apertius tamen profitendũ puto, non hanc à me præcipi, quæ nunc in ſcenis effœminata, & impudicis modis fracta, non ex parte minima, ſi quid in nobis virilis roboris manebat, excidit: ſed qua laudes fortiũ canebantur, quáque & ipſi fortes canebant: nec pſalteria, & ſpadicas, etiam virginibus probis recuſanda, ſed cognitionẽ rationis, quæ ad mouendos leniendóſque affectus plurimum valet. Nam & Pythagoram accepimus, concitatos ad vim pudicæ domui afferendam iuuenes, iuſſa mutare in ſpondeum modos tibicina, compoſuiſſe. Et Chryſippus etiam nutricum, quæ adhibentur infantibus, allectationi, ſuum quoddam carmen aſſignat. Eſt etiã non inerudite ad declamandũ ficta materia, in qua ponitur tibicen, qui ſacrificanti Phrygiũ cecinerat, acto illo in inſaniã, & per præcipitia delato, accuſari quòd cauſa mortis extiterit. Quæ ſi dici debent ab oratore, nec dici citra ſcientiam muſices poſſunt, quomodo non hanc quoque artem neceſſariam eſſe operi noſtro, vel iniqui conſentient?

¶ Commodam geometriam oratori. Cap. XVIII.

IN geometria partem fatentur eſſe vtilem teneris ætatibus, agitari nãmque animos, atque acui ingenia, & celeritatem percipiendi venire inde cõcedunt: ſed prodeſſe eam, non vt cæteras artes, cum perceptæ ſint, ſed cum diſcatur, exiſtimant. Id vulgaris opinio eſt, nec ſine cauſa ſummi viri etiam impenſam huic ſcientiæ operam dederunt. Nam cum ſit Geometria diuiſa in numeros atque formas, numerorum quidem notitia non oratori modo, ſed cuicũque primis ſaltem literis erudito neceſſaria eſt. In cauſis verò vel frequẽtiſſimè verſari ſolet, in quibus actor, nõ dico ſi circa ſummas trepidat, ſed ſi digitorum ſaltem incerto aut indecoro geſtu à computatione diſſentit, iudicatur indoctus. Illa vero linearis ratio, & ipſa quidem cadit frequenter in cauſas, ſi de terminis menſuríſque ſunt lites. ¶ Sed habet maiorem quandam aliam cum arte oratoria cognationem. Iam primum ordo eſt Geometriæ neceſſarius, nónne & eloquentiæ? Ex prioribus Geometria probat inſequentia, & certis incerta: nónne id in dicendo facimus? Quid illa propoſitarum quæſtionũ cõcluſio non tota ferè conſtat ſyllogiſmis? Propter quod plures inuenies qui dialecticæ ſimilẽ, quàm qui rhetoricæ fateantur hanc artem. Verum & orator etiam ſi rarò, non tamen nunquam

Exẽplis docet Geometriam perutilem eſſe oratori.

probauit dialectice. Nam & syllogismis, si res poscet, vtetur: & certe enthymemate, qui rhetoricus est syllogismus. Deniq; probationum quæ sunt potentissimæ, grammicæ ἀποδείξεις vulgo dicuntur. Quid autem magis oratio quàm probationē petit? Falsa quoque verisimilia Geometria ratione deprehendit. Fit hoc & in numeris per quasdam, quas pseudographias vocant, quibus pueri ludere solebamus. ¶ Sed alia maiora sunt. Nam quis non ita proponenti credat? Quorum locorum extremæ lineæ eandē mensuram colligunt, eorum spatiū quoq; quod ijs lineis continetur, par sit necesse est. At id falsum est. Nam plurimum refert, cuius sit formæ ille circuitus: reprehensique à Geometris sunt historici, qui magnitudinem insularum satis significari nauigationis ambitu crediderūt. Nā vt quæque forma perfectissima est, ita capacissima. Ideóque illa circūcurrens linea, si efficiet orbem, quæ forma est in planis maximè perfecta, amplius spatium complectetur, quàm si quadratum paribus oris efficiat. Rursus quadrata triangulis, triangula ipsa plus æquis lateribus q̄ inæqualibus. [Sed alia forsitan obscuriora, nos facillimū etiam imperitis, sequamur experimentū. Iugeri mensuram ducentos & quadraginta longitudinis pedes esse, dimidióque in latitudinē patere, non ferè quisquam est qui ignoret: & qui sit circuitus, & quantum campi claudat, colligere expeditum. At centeni & octogeni in quāque partem pedes idem spatium exttremitatis, sed multo amplius diuisæ quatuor lineis areæ faciunt. Id si computare quem piget, breuioribus numeris idem discat: nam deni in quadram pedes, quadraginta per oram, intra centum erunt. At si quinideni per latera, quini in fronte sint, ex illo quod amplectuntur quartam partem deducent eodem circūductu. Si verò porrecti vtrinque vndeuiceni singulis distent, nō plures intus quadratos habebunt, quàm per quot longitudo ducetur: quæ circumibit autem linea, eiusdem spatij erit, cuius ea quæ centum continet. Ita quicquid formæ quadrati detraxeris, amplitudini quoque peribit. Ergo etiam id fieri potest, vt maiore circuitu minor loci amplitudo claudatur. Hoc in planis. Nam in collibus vallibūsque etiam imperito patet plus soli esse quàm cœli. ¶ Quid? quòd se eadem Geometria tollit ad rationem vsque mundi, in qua cum siderum certos constitutósq; cursus numeris docet, discimus nihil esse inordinatum atque fortuitum: quod ipsum nonunquam pertinere

Exempla Astrologiæ.

ad oratorem poteſt. An verò cum Pericles Athenienſes Solis obſcuratione territos, redditis eius rei cauſis, metu liberauit: aut cum Sulpitius ille Gallus in exercitu L. Pauli de Lunæ defectione diſſeruit, ne velut prodigio diuinitus facto militum animi terrerẽtur, nõ videtur eſſe vſus oratoris officio? Quod ſi Nicias in Sicilia ſciſſet, non eodem confuſus metu pulcherrimum Athenienſiũ exercitum perdidiſſet. Sicut Dion cum ad deſtruendam Dionyſij tyrannidem venit, non eſt tali caſu deterritus. Sint exempla licet vſus bellici, tranſeamũſque ꝙ Archimedes vnus obſidionem Syracuſarũ in longius traxit: illud vtique iam proprium eſt ad efficiendũ quod intendimus, plurimas quæſtiones, quarum difficilior alia ratione explicatio eſt, vt de ratione diuidendi, de ſectione in infinitum, de celeritate augendi, linearibus illis probationibus ſolui ſolere: vt ſi eſt oratori (quod proximus demonſtrabit liber) de omnibus rebus dicendum, nullo modo ſine Geometria eſſe poſſit orator.

¶ De prima pronunciatione, & geſtus inſtitutione. Cap. XIX.

DAndum aliquid Comœdo quoq;, eatenus, qua pronunciandi ſcientiam futurus orator deſiderat. Non enim puerum, quem in hoc inſtituimus, aut fœmineæ vocis exilitate frangi volo, aut ſeniliter tremere: nec vitia ebrietatis effingat, nec ſeruili vernilitate imbuatur, nec amoris, auaritiæ, metus, diſcat affectũ: quæ neq; oratori ſunt neceſſaria, & mentẽ præcipuè in ætate prima teneram adhuc & rudẽ inficiunt. Nam frequens imitatio tranſit in mores. Ne geſtus quidem omnis ac motus à Comœdis petendus eſt. quanq̃ enim vtrũq; eorum ad quendã modum præſtare debet orator: plurimum tamen aberit à ſcenico, nec vultu, nec manu, nec excurſionibus nimius. Nam ſi qua in his ars eſt dicentiũ, ea prima eſt, ne ars eſſe videatur. ¶ Quod eſt igitur huius doctoris officiũ? In primis vitia, ſi qua ſunt oris emendet, vt expreſſa ſint verba, vt ſuis quæque literæ ſonis enũcientur. Quarundã enim vel exilitate, vel pinguitudine nimia laboramus, quaſdã velut acriores parũ efficimus, & alijs nõ diſſimilibus, ſed quaſi hebetioribus permutamus. Quippe ϱ literæ, qua Demoſthenes quoque laborauit, λ ſuccedit, quarũ vis eſt apud nos quoq;. Et cum c ac ſimiliter t non valuerunt, in t ac g demolliuntur. [Ne puero quidem illas circa s literam delicias hic magiſter feret, nec verba in faucibus patietur audiri, nec oris inanitate

Pronunciatio aliquatenus à Comœdo petenda.

resonare, nec quod minimè sermoni puro conueniat, simplicem vocis naturam pleniore quodã sono circumlinire, quod Græci κατατεθλασμένον dicunt. Sic appellatur cantus tibiarum quæ præclusis quibus claresçunt foraminibus, recto modo exitu grauiorem spiritum reddunt. [Curabit etiam ne extremæ syllabæ intercidant, vt par sibi sermo sit, vt quoties exclamandum sit, laterum conatus sit ille, non capitis: vt gestus ad vocem, vultus ad gestum accommodetur. [Obseruandum erit etiam, vt recta sit facies dicentis, ne labra detorqueantur, ne immodicus hiatus rictum distendat, ne supinus vultus, ne deiecti in terram oculi, ne inclinata vtrolibet ceruix. Nam frons pluribus generibus peccat. Vidi multos quorum supercilia ad singulos vocis conatus alleuarentur, aliorum constricta, aliorum etiam dissidentia, cum altero in verticem tenderent, altero penè oculus ipse premeretur. Infinitum autem, vt mox dicemus, in his quoque rebus momentũ est. Et nihil potest placere, quod non decet. [Debet etiam docere Comœdus, quo modo narrandum, qua sit authoritate suadendum, qua concitatione consurgat ira, quis flexus deceat miserationem. Quod ita optimè faciet, si certos ex Comœdijs elegerit locos, & ad hoc maximè idoneos, id est actionibus similes. Ijdem autem ad pronunciandum non modo vtilissimi, verum ad augendam quoque eloquentiam maximè accommodati erunt. Et hæc, dum infirma ætas maiora non capiet. ¶ Cæterum cum legere orationes oportebit, cum virtutes earum iam sentiet, tum mihi diligens aliquis, ac peritus assistat: neque solum lectione formet, verũ etiam edisce re electa ex his cogat, & ea dicere stantem clarè, & quemadmodum agere oportebit, vt protinus pronunciatione vocẽ & memoriam exerceat. ¶ Nè illos quidem reprehendendos putem, qui paulum etiam palæstritis vacauerint. Non de ijs loquor, quibus pars vitæ in oleo, pars in vino consumitur, qui corporis cura mentem obruerunt (hos enim abesse ab eo quem instituimus, quamlongissimè velim) sed nomen est idem ijs à quibus gestus, motúsq; formãtur, vt recta sint brachia, ne indoctæ rusticæve manus, ne status indecorus, ne qua in proferendis pedibus inscitia, ne caput oculíque ab alia corporis inclinatione dissideant. Nam nec hoc esse in parte pronunciationis negauerit quisquam, nec ipsam pronunciationem ab oratore secernet. Et certe quod facere oporteat,

Ediscenda quædã in pronunciando.

Palæstritis etiam vacandum.

Chironomia. non indignum est discere, cum præsertim hæc Chironomia, quæ est (vt nomine ipso declaratur) lex gestus, & ab illis temporibus heroicis orta sit, & à summis Græciæ viris, & ab ipso etiam Socrate probata: à Platone quoq; in parte ciuilium posita virtutum: & à Chrysippo in præceptis de liberorum educatione compositis non omissa. Nam Lacedæmonios quidem etiam saltationem quandam tanquã ad bella quoque vtilem, habuisse inter exercitationes accepimus. Neque id veteribus Romanis dedecori fuit. Argumentum est sacerdotum nomine ac religione durans ad hoc tempus saltatio. Et illa in tertio Ciceronis de Oratore libro verba Crassi, quibus præcepit, vt orator vtatur laterũ inclinatione forti ac virili, nõ à scena & histrionibus, sed ab armis, aut etiam à palæstra, cuius etiã disciplinæ vsus in nostram vsque ætatem sine reprehensione descendit. ¶ A me tamen nec vltra pueriles annos retinebitur, nec in ijs ipsis diu: neque enim gestum orationis componi ad similitudinẽ saltationis volo, sed subesse aliquid ex hac exercitatione puerili, vnde nos non id agentes furtim decor ille discentibus traditus prosequatur.

Odyss. 3. & 8. Ilia. 17. Plat. lib. 3. de re pub.

¶ An prædicta discenda sint eodem tempore. Cap. X X.

QVæri solet, an etiam si discenda sint hæc, eodem tempore tamẽ tradi omnia, & percipi possint. Negãt enim quidã, quia cõfundatur animus, ac fatigetur tot disciplinis in diuersum tendẽtibus, ad quas nec mens, nec corpus, nec dies sufficiat. Et si maximè hæc patiatur ætas robustior, tamen pueriles annos onerari non oporteat. Sed non satis perspiciunt quantum natura humani ingenij valeat: quæ ita est agilis & velox, sic in omnem partem (vt ita dixerim) spectat, vt ne possit quidem aliquid agere tantum vnum, in plura verò non eodem die modo, sed eodem temporis momento, vim suam impendat. An verò citharœdi non simul & memoriæ, & sono vocis, & pluribus flexibus seruiunt? cum interim alios neruos dextra percutiunt, alios læua trahunt, continent, probant, ne pes quidem ociosus certam legem temporum seruat. Et hæc pariter omnia. [Quid nos agendi subita necessitate deprehensi? nónne alia dicimus, alia prouidemus, cum pariter inuẽtio rerum, electio verborũ, compositio, gestus, pronunciatio, vultus, motúsque desiderẽtur? Quæ si velut vno conatu tam diuersa parent simul, cur non plurimis curis horas patiamur? cum præsertim reficiat animos ac repa-

ret varietas ipsa, cõtrãque sit aliquãto difficilius in labore vno perseuerare. Ideóque & stylus lectione requiescit, & ipsius lectionis tædium vicibus leuatur. Quamlibet multa egerimus, quodam tamen modo recentes sumus ad id quod incipimus. [Quis non obtundi possit, si per totũ diem cuiuscunque artis vnum magistrum ferat? mutatione recreabitur: sicut in cibis, quorum diuersitate reficitur stomachus, & pluribus minore fastidio alitur. [Aut dicant isti mihi, quæ sit alia ratio discendi, si grammatico soli deseruiamus: deinde geometræ tantũ, omittamus interim quod didicimus, mox transeamus ad musicum, excidant priora, & cum Latinis studebimus literis, non respiciamus ad Græcas, & vt semel finiam, nihil faciamus nisi nouissimũ. [Cur nõ idem suademus agricolis, ne arua simul & vineta, & oleas & arbustũ colãt? ne pratis, & pecoribus, & hortis, & aluearibus accõmodent curã? [Cur ipsi aliquid forensibus negocijs, aliquid desiderijs amicorũ, aliquid rationibus domesticis, aliquid curæ corporis, nõnihil voluptatibus quotidie damus? quarum nos vna res quælibet nihil intermittentes fatigaret. Adeo facilius est multa facere quàm diu. ¶ Illud quidem minimè verendum est, ne laborem studiorũ pueri difficilius tolerent, neque enim vlla ætas minus fatigatur. Mirum sit forsitan, sed experimentis deprehendas. Nam & dociliora sunt ingenia prius quàm obduruerunt. Id vel hoc argumento patet, quòd intra biennium quàm verba rectè formare potuerunt, quãuis nullo instante, omnia ferè loquuntur. At nouitijs nostris, per quot annos sermo Latinus repugnat? Magis scias, si quem iam robustũ instituere literis cœperis, non sine causa dici παιδομαθεῖς eos qui in sua quidque arte optimè faciant. Et patientior est laborum natura pueris quàm iuuenibus. Videlicet vt corpora infantium nec casus, quo in terram toties deferuntur, tam grauiter affligit, nec illa per manus & genua reptatio, nec post breue tempus cõtinui lusus, & totius diei discursus, quia pondus illis abest, nec se ipsi grauant: sic animi quoq; credo, quia minore conatu mouẽtur, nec suo nixu studijs insistunt, sed formandos se tantummodo præstant, non similiter fatigantur. [Præterea secundum aliam ætatis illius facilitatem, velut simplicius docentes sequuntur, nec quæ iam egerint, metiuntur. Abest illis etiam adhuc laboris iudiciũ. [Porrò vt frequenter experti sumus, minus afficit sensus fatigatio, quàm cogitatio. ¶ Sed ne temporis quidem vnquã plus erit,

Quanta in pueris docilitas.

quia his ætatibus omnis in audiendo profectus est. Cum ad stylum secedet, cum generabit ipse aliquid atque componet, tum inchoare hæc studia, vel non vacabit, vel non libebit. Ergo cum grammaticus totum diem occupare nō possit, nec debeat, ne discentis animum tædio auertat, quibus potius studijs hæc temporū velut succisiua donabimus? [Nam nec ego consumi studentem in his artibus volo, nec moduletur, aut musicis notis cantica excipiat, nec vtiq; ad minutissima vsq; Geometriæ opera descendat. Non comœdum in pronunciando, nec saltatorē in gestu facio: quæ si omnia exigerē, suppeditabat tamen tempus. Longa est enim quæ discit ætas, & ego non de tardis ingenijs loquor. [Denique cur in his omnibus, quæ discenda oratori futuro puto, eminuit Plato? qui non contentus disciplinis quas præstare poterant Athenæ, non Pythagoreorum, ad quos in Italiam nauigauerat: Aegypti quoq; sacerdotes adijt, atque eorum arcana perdidicit. [Difficultatis patrocinia prætexim us segnitiæ. Neque enim nobis operis amor est, nec quia sit honesta, atque rerum pulcherrima eloquentia, petitur ipsa, sed ad vilem vsum & sordidum lucrum accingimur. Dicant sine his in foro multi & acquirant, dum sit locupletior aliquis sordidæ mercis negotiator, & plus voci suæ debeat præco, ne velim quidem lectorem dari mihi, quid studia referant computaturum. Qui vero imaginem eloquētiæ diuina quadam mente conceperit, quíque illam (vt ait Sophocles, non ignobilis tragicus) reginam rerum orationem ponet ante oculos, fructúmque non ex stipe aduocationum, sed ex animo suo, & contemplatione, ac scientia petet, perpetuum illū, nec fortunæ subiectum, facilè persuadebit sibi, vt tempora quæ spectaculis, campo, tesseris, ocioſis denique sermonibus, ne dicam somno, & conuiuiorum mora conterūt, Geometræ potius ac musico impendat, quanto plus delectationis habiturus, quàm ex illis ineruditis voluptatibus? Dedit enim hoc prouidentia hominibus munus, vt honesta magis iuuarent. ¶ [Sed nos hæc ipsa dulcedo lōgius duxit. Hactenus ergo de studijs, quibus antequam maiora capiat puer, instituēdus est. proximus liber velut nouum sumet exordium, & ad rhetoris officia transibit.

Contra ignauos, & studia sordide æstimantes.

M. FABII QVINTILIANI DE institutione oratoria Liber II.

¶Quando rhetori sit tradendus puer. Cap. I.

TEnuit cõsuetudo, quæ quotidie magis inualescit, vt præceptoribus eloquentiæ Latinis quidẽ semper, sed etiã Græcis interim, discipuli serius q̃ ratio postulat traderentur. Eius rei duplex est causa, q̃ & rhetores vtique nostri suas partes omiserũt, & grãmatici alienas occupauerũt. Nã & illi declamare modo, & scientiã declamãdi, ac facultatẽ tradere officij sui ducũt, ídque intra deliberatiuas iudicialésq; materias: nã cætera vt professione sua minora despiciũt. Et hi nõ satis credũt excepisse, quæ derelicta erãt, quo nomine gratia quoq; his habẽda est: sed ad Prosopopœias vsq;, & ad suasorias, in quibus onus dicendi vel maximũ est, irrumpũt. Hinc ergo accidit, vt quæ alterius artis prima erãt opera, facta sint alterius nouissima: & ætas altioribus iã disciplinis debita, in schola minore subsidat, ac rhetoricen apud grãmaticos exerceat. Itaq; quod est maximè ridiculũ nõ ante ad declamãdi magistrũ mittendus videtur puer, q̃ declamare iam sciat. ¶Nos suũ cuique professioni modũ demus, & grãmatice (quã in Latinũ transferentes Literaturam vocauerũt) fines suos norit, præsertim tantũ ab hac appellationis suæ pau pertate, intra quã primi illi cõstitere, prouecta. Nam tenuis à fonte, assumptis poetarũ historicorũmq; viribus pleno iã satis alueo fluit, cum præter rationẽ rectè loquẽdi nõ parũ alioqui copiosam, propè omniũ maximarum artium scientiam amplexa sit: & rhetorice, cui nomen vis eloquendi dedit, officia sua non detrectet, nec occupari gaudeat pertinentẽ ad se laborem: quæ dũ operæ cedit, iam penè possessione depulsa est. ¶Nec inficiabor aliquem ex ijs qui grammaticen profiteantur, eo vsque scientiæ progredi posse, vt ad hæc quoq; tradenda sufficiat. Sed cum id aget, rhetoris officio fungetur, nõ suo. ¶Nos porrò quærimus quãdo ijs quæ rhetorice præcipit, percipiendis puer maturus esse videatur. In quo quidẽ non id est æstimandũ, cuius quisque sit ætatis, sed quãtum in studijs iam effecerit. ¶Et ne diutius differam quãdo sit rhetori tradendus,

sic optimè finiri credo, cum poterit. Sed hoc ipsum ex superiore pendet quæstione. Nam si grammatices munus vsq; ad suasorias(quæ sunt apud rhetorē materiæ inter rudimēta dicendi)prorogatur,tardius rhetore opus est.At si rhetor prima officia operis sui non recusat, à narrationibus statim, & laudandi vituperandíq; opusculis cura eius desideratur.An ignoramus antiquis hoc fuisse ad augendam eloquentiam genus exercitationis,vt Thesis dicerent,& cōmunes locos,& cætera citra complexum rerum personarúmque,quibus veræ fictæq; controuersiæ continentur? Ex quo palàm est q̄ turpiter deserat eam partem rhetorices institutio, quam & primā habuit, & diu solam.[Quid autē est ex ijs de quibus supra dixi, quod non cum in alia quæ sunt rhetorū propria, tum certè in illud iudiciale causæ genus incidat?an non in foro narrandum est? qua in parte nescio an sit vel plurimum.Nōne laus ac vituperatio certaminibus illis frequenter inseritur? Non cōmunes loci, siue qui sunt in vitia directi, quales legimus à Cicerone cōpositos: seu quibus quæstiones generaliter tractantur, quales sunt editi à Q.quoq; Hortensio, vt sit ne paruis argumentis credendum,& pro testibus,& in testes, in medijs litiū medullis versantur? Arma sunt hæc quodammodo præparanda semper,vt ijs cū res poscat,vtaris. Quæ qui pertinere ad oratorem nō putabit, is ne statuam quidē inchoari credet cū eius membra fundentur.¶Neq; hanc(vt aliqui putabunt)festinationē meam sic quisq̄ calūnietur, tanquā eum qui sit rhetori traditus,abducendū protinus à grāmaticis putē. Dabuntur illis tum quoq; tempora sua, neque erit verendū, ne binis præceptoribus oneretur puer.Nō enim crescet, sed diuidetur, qui sub vno miscebatur labor,& erit sui quisq; operis magister vtilior:quod adhuc obtinent Græci & à Latinis omissum est,& fieri videtur excusate, quia sunt qui labori isti successerunt.

¶De moribus & officijs præceptoris. Cap. I I.

ERgo cum ad eas in studijs vires peruenerit puer,vt quæ prima esse præcepta rhetorum diximus, mente consequi possit, tradendus eius artis magistris erit.Quorum in primis inspici mores oportebit.Quod ego non idcirco potissimum in hac parte tractare sum aggressus, quia non in cæteris quoque doctoribus idem hoc examinandum quamdiligentissimè putē, sicut testatus sum libro superiore, sed q̄ magis necessariam eius rei mentionem facit ætas ipsa discentiū.

Nam & adulti ferè pueri ad hos præceptores tranſferuntur,& apud eos iuuenes etiam facti perſeuerãt. Ideóque maior adhibẽda tũ cura eſt, vt & teneriores animos ab iniuria ſanctitas docentis cuſtodiat, & ferociores à licentia grauitas deterreat. Neque vero ſatis eſt ſummã præſtare abſtinentiam, niſi diſciplinæ ſeueritate conuenientiũ quoq; ad ſe mores aſtrinxerit. ¶ Sumat igitur ante omnia parentis erga diſcipulos ſuos animum,ac ſuccedere ſe in eorum locum à quibus ſibi liberi traduntur,exiſtimet. [Ipſe nec habeat vitia, nec ferat. Non auſteritas ęius triſtis, non diſſoluta ſit comitas:ne inde odium, hinc contemptus oriatur. [Plurimus ei de honeſto ac bono ſermo ſit. Nam quo ſæpius monuerit, hoc rarius caſtigabit. [Minime iracundus, nec tamen eorũ quæ emendanda erunt diſſimulator:ſimplex in docendo,patiens laboris,aſſiduus potius quàm immodicus.[Interrogantibus libenter reſpondeat, non interrogantes percõtetur vltro.[In laudãdis diſcipulorũ dictionibus nec malignus,nec effuſus: quia res altera tædium laboris,altera ſecuritatẽ parit.[In emendãdo quæ corrigenda erunt,nõ acerbus, miniméq; cõtumelioſus. Nã id quidẽ multos à propoſito ſtudendi fugat,qꝑ quidã ſic obiurgãt quaſi oderint.Ipſe aliquid immo multa quotidie dicat,quæ ſecũ audita referant.Licet enim ſatis exemplorũ ad imitandum ex lectione ſuppeditet, tamẽ viua illa(vt dicitur)vox alit plenius, præcipuéque præceptoris,quem diſcipuli(ſi modo rectè ſunt inſtituti)& amant,& verentur. Vix autem dici poteſt quanto libentius imitemur eos, quibus fauemus. ¶Minime verò permittenda pueris(vt fit apud pleroſq;)aſſurgendi, exultandíq; in laudãdo licentia. Quinetiã iuuenum modicũ eſſe, cum audiẽt,teſtimoniũ debet.Ita fiet vt ex iudicio præceptoris diſcipulus pendeat,atq; id ſe dixiſſe rectè, quod ab eo probabitur, credat.[Illa verò vitioſiſſima, quæ iam humanitas vocatur, inuicem qualiacunq; laudandi, cum eſt indecora, & theatralis,& ſeuerè inſtitutis ſcholis aliena,tum ſtudiorũ pernicioſiſſima hoſtis. Superuacua enim videntur cura ac labor, parata quicquid effuderint laude. ¶Vultũ igitur præceptoris intueri tam qui audiunt debent,q̃ ipſe qui dicit. Ita enim probanda atq; improbãda diſcernẽt,ſic ſtylo facultas cõtinget, auditioni iudiciũ.At nunc proni atque ſuccincti ad omnem clauſulã non exurgunt modo, verum etiam excurrunt, & cum indecora exultatione conclamant.Id mutuum eſt, & ibi declama-

Viua vox.

tionis fortuna. Hinc tumor, & vana de se persuasio, vsque adeo vt illo condiscipulorum tumultu inflati, si parũ àpræceptore laudentur, ipsi de illo male sentiant. ¶Sed se quoq; præceptores intentè ac modestè audiri velint. Non enim iudicio discipulorum dicere debet magister, sed discipuli magistri. [Quin (si fieri potest) intendẽdus animus in hoc quoq;, vt perspiciat quæ quisque, & quomodo laudet, & placere quæ benè dicet, nõ suo magis quàm eorum nomine delectetur, qui rectè iudicabunt. ¶Pueros adolescentibus sedere permixtos non placet mihi. Nam etiam si vir talis, qualem esse oportet studijs moribúsq; præpositum, modestam habere potest etiam iuuentutẽ, tamen vel infirmitas à robustioribus separanda est, & carendũ non solũ crimine turpitudinis, verumetiam suspicione. ¶Hæc notãda breuiter existimaui: nam vt absit ab vltimis vitijs ipse præceptor, ac schola, ne præcipiẽdum quidẽ credo. Ac si quis est, qui flagitia manifesta in deligendo filij præceptore non vitet, iam hinc sciat cætera quoque quæ ad vtilitatem iuuentutis cõponere conamur, sibi esse, hac parte omissa, superuacua.

¶An protinus præceptore optimo sit vtendum. Cap. III.

NE illorum quidem persuasio silentio transeunda est, qui etiam cum idoneos rhetori pueros putauerũt, nõ tamen continuo tradendos eminentissimo credunt. Sed apud minores aliquandiu detinent, tanquam instituendis artibus magis sit apta mediocritas præceptoris, cum ad intellectum, atque imitationem facilior, tum ad suscipiẽdas elementorum molestias minus superba. Qua in re mihi non arbitror diu laborandum, vt ostendam quanto sit melius optimis imbui; quantáq; in eluendis quæ semel insederint vitijs difficultas cõsequatur, cum geminatũ onus succedentes premat. Et quidem dedocendi grauius ac prius q̃ docendi. Propter quod Timotheũ clarum in arte tibiarũ ferunt duplices ab ijs, quos alius instituisset, solitum exigere mercedes, q̃ si rudes traderentur. ¶Error tamẽ est in re duplex: vnus, q̃ interim sufficere illis minores existimant, & boho sanè stomacho cõtenti sunt. Quæ quanq̃ & ipsa reprehensione digna securitas, tamẽ esset vtcunq; tolerabilis, si eiusmodi præceptores minus docerẽt non peius. ¶Alter error, ille etiã frequẽtior, q̃ eos qui ampliorẽ discendi facultatẽ sint consecuti, nõ putant ad minora descẽdere. Idque interim fieri, quia fastidiant præstare hãc in-

ferioribus curã, interim quia omnino non possint. ¶ Ego porrò eum qui nolit, in numero præcipientiu non habeo: posse autẽ maximè si velit, optimũ quemq; contendo. [Primũ, q̃ eũ qui eloquentia cæteris præstet, illa quoque per quæ ad eloquentiã peruenitur, diligentissimè percepisse credibile est. [Deinde quia plurimum in præcipiendo valet ratio, quæ doctissimo cuique planissima est. [Postremo quia nemo sic in maioribus eminet, vt eum minora deficiant. Nisi forte Iouem quidem Phidias optime fecit, illa autem quæ in ornamentum eius operis accedunt, alius melius elaborasset, aut orator loqui nesciet, aut leuiores morbos curare non poterit præstantissimus medicus. ¶ Quid ergo? non est quædam eloquentia maior q̃ vt eam intellectu consequi puerilis infirmitas possit? Ego verò confiteor, sed hunc disertum præceptorem, prudentem quoque, & non ignarum docendi esse oportebit, submittentem se ad mensuram discentis: vt velocissimus quisque si forte iter cum paruulo faciat, det manum, & gradum suum minuat, nec procedat vltra q̃ comes possit. [Quid, si plerunque accidit, vt faciliora sint ad intelligendum, & lucidiora multo, quæ à doctissimo quoque dicuntur? Nam & prima est eloquentiæ virtus perspicuitas: & quo quisq; ingenio minus valet, hoc se magis attollere, & dilatare conatur: vt statura breues in digitos eriguntur, & plura infirmi minantur. Nam & tumidos, & corruptos, & tinnulos, & quocunque alio cacozeliæ genere peccãtes certum habeo non virium, sed infirmitatis vitio laborare: vt corpora non robore, sed valitudine inflantur, & recto itinere lapsi plerunque diuertunt. Erit ergo etiam obscurior quo quisque deterior. Nõ excidit mihi scripsisse me libro priore, cum potiorem in scholis eruditionem esse quàm domi dicerem, libentius se prima studia teneróque profectus ad imitationem condiscipulorum quæ facilior esset, erigere. Quod â quibusdam sic accipi potest, tanquam hæc, quam nunc tueor, sententia priori diuersa sit. Id à me procul aberit. namque ea causa vel maxima est cur optimo cuique præceptori sit tradẽdus puer, quòd apud eum discipuli quoq; melius instituti, aut dicent quod inutile non sit imitari, aut si quid errauerint, statim corrigentur. At indoctus ille etiam probabit fortasse vitiosa, & placere audientibus iudicio suo coget. Sit ergo tam eloquentia quàm moribus præstantissimus, qui ad Phœnicis Homerici exemplum dicere aç facere doceat. Lib. 9. Iliad.

¶De primis apud Rhetorem exercitationibus. Cap. IIII.

HInc iam quas primas in docendo partes rhetorũ putem, tradere incipiam, dilata parumper illa, quæ sola vulgo vocatur, arte rhetorica. Ac mihi oportunus maximè videtur ingressus ab eo, cuius aliquid simile apud grammaticos puer didicerit. ¶Et quia narrationum, excepta qua in causis vtimur, tres accipimus species: Fabulam, quæ versatur in tragœdijs, atque carminibus, non à veritate modo, sed etiam à forma veritatis remotam: Argumentum, quod falsum, sed vero simile comœdiæ fingunt: Historiã, in qua est gestæ rei expositio. Grãmaticis autẽ poeticas dedimus: apud rhetores initium sit historia, tanto robustior, quanto verior. [Sed narrandi quidẽ quæ nobis optima ratio, tum demonstrabimus, cum de iudiciali parte dicemus. Interim admonere illud satis est, vt sit ea nec arida prorsus nec ieiuna. Nam quid opus erat tantum studijs laboris impendere, si res nudas atque inornatas indicare satis videretur? [Neque rursus sinuosa, & accersitis descriptionibus, in quas plerique imitatione poeticæ licentiæ ducuntur, lasciuiat. Vitium vtrũque: peius tamen illud quod ex inopia, quàm quod ex copia venit. Nam in pueris oratio perfecta, nec exigi, nec sperari potest: melior autem est indoles læta generosique conatus, & vel plura iusto concipiens interim spiritus. Nec vnquã me in his discentis annis offendat, si quid superfuerit: quin ipsis doctoribus hoc esse curæ velim, vt teneras adhuc mentes more nutricum mollius alant, & satiari veluti quodam iucundioris disciplinæ cibo lactéque patiantur. Erit illud plenius interim corpus, quod mox adulta ætas astringat. Hinc spes roboris. Maciem nãque & infirmitatẽ in posterum minari solet protinus omnibus membris expressus infans. Audeat hæc ætas plura, & inueniat, & inuentis gaudeat, sint licet illa non satis sicca interim ac seuera. Facile remedium est vbertatis, sterilia nullo labore vincuntur. Illa mihi in pueris natura minimum spei dederit, in qua ingenium iudicio præsumitur. Materiam esse primum volo vel abundantiorem, atque vltra quàm oporteat fusam. Multum inde decoquent anni, multum ratio limabit, aliquid velut vsu ipso deteretur. Sit modo vnde excidi possit, & quod exsculpi: erit autem, si non ab initio tenuem nimium laminam duxerimus, & quam

Fabula.

Argumentũ Historia.

Narrationũ præexercitamenta.

cælatura altior rumpat. Quod me de his ætatibus sentire minus mirabitur, qui apud Ciceronem legerit, Volo enim se efferat in adolescẽte fœcunditas. [Quapropter in primis euitandus, & in pueris præcipuè, magister aridus, non minus quàm teneris adhuc plantis siccum & sine humore vllo solum. Inde fiunt humiles statim, & velut terram spectantes, qui nihil supra quotidianum sermonẽ attollere audeant. Macies illis pro sanitate, & iudicij loco infirmitas est: & dum satis putant vitio carere, in idipsum incidunt vitium, quòd virtutibus carẽt. [Quare mihi ne maturitas quidem ipsa festinet, nec musta in lacu statim austera sint. Sic & annos ferent, & vetustate proficient. [Ne illud quidem quod admoneamus indignum est, ingenia puerorum nimia interim emendationis seueritate deficere, nã & desperant, & dolent, & nouissimè oderũt, & quod maxime nocet, dum omnia timent, nihil conãtur. Quod etiã rusticis notũ est, qui frondibus teneris non putãt adhibendam esse falcem, quia reformidare ferrum videntur, & nondum cicatricẽ pati posse. Iucundus ergo tum maxime debet esse præceptor, vt remedia, quæ alioqui natura sunt aspera, molli manu, & læui leniantur, laudare aliqua, ferre quædam, mutare etiam, reddita cur id fiat ratione, illuminare interponendo aliquid sui. [Nonnunquam hoc quoque erit vtile, totas ipsum dictare materias, quas & imitetur puer, & interim tanquã suas amet. At si tam negligens ei stylus fuerit, vt emendationem non recipiat, expertus sum prodesse, quoties eandẽ materiam rursus à me retractatam scribere deintegro iuberem, posse enim eum adhuc melius: quatinus nullo magis studia quàm spe gaudent. Aliter autem alia ætas emendanda est, & pro modo virium & exigendum opus & corrigendum. Solebam ego dicere pueris aliquid ausis licentius aut lætius, laudare illud me adhuc, venturum tempus quo idem nõ permitterem: ita & ingenio gaudebant, & iudicio non fallebantur. Sed (vt eò reuertar vnde egressus sum) narrationes stylo componi, quanta maxima possit adhibita diligentia, volo. Nam vt primo cum sermo instituitur, dicere, quæ audierint, vtile est pueris ad loquendi facultatem, ideóq; & retro agere expositionem, & à media in vtranque partem discurrere sanè merito cogantur, sed ad gremium præceptoris, & dum non possunt, & dum res ac verba connectere incipiunt, vt protinus memoriam firment: ita cum iam formam recte loquendi, & emendatæ orationis acci-

Lib. 2. de ora.

pient, extemporalis garrulitas, nec expectata cogitatio, & vix ſurgendi mora, circulatoriæ vere iactationis eſt. Hinc parentum imperitorum inane gaudium, ipſis verò contemptus operis, & inuerecunda frons, & cõſuetudo peſſimè dicendi, & malorum exercitatio, & quæ magnos quoque profectus frequẽter perdidit, arrogãs de ſe perſuaſio innaſcitur. Erit ſuum parãdæ facultatis tempus, neq; à nobis negligenter locus iſte tranſibitur. Interim ſatis eſt, ſi puer omni cura & ſummo (quãtum illa ætas capit) labore aliquid probabile ſcripſerit, in hoc aſſueſcat, huius rei ſibi naturam faciat. Ille demum in id quod quærimus, aut ei proximum poterit euadere, qui antè diſcet recte dicere, quàm cito. [Narrationibus non inutiliter ſubiungitur opus deſtruendi, confirmandíque eas, quod κατασκευὴ καὶ κατασκευὴ vocatur. Id porrò non tantum in fabuloſis & carmine traditis fieri poteſt, verumetiam in ipſis annalium monimentis: vt ſi quæratur, an ſit credibile ſuper caput Valerij pugnãtis ſediſſe coruũ, qui os oculóſq; hoſtis Galli roſtro atq; alis euerberet. Sit in vtrãq; partẽ ingẽs ad dicẽdũ materia, vt de ſerpente quo Scipio traditur genitus, & lupa Romuli, & Aegeria Numæ. Nam Græcis hiſtoricis plerunq; poeticæ ſimilis eſt licentia. [Sæpe etiam quæri ſolet de tempore, de loco, quo geſta res dicitur, nonnunquam de perſona quoque, ſicut Liuius frequentiſſime dubitat, & alij ab alijs hiſtoricis diſſentiũt. ¶ Inde paulatim ad maiora tẽdere incipiet, laudare clarosviros, & vituperare improbos, quod non ſimplicis vtilitatis opus eſt. Nanq; & ingeniũ exercetur multiplici variáque materia, & animus contẽplatione recti prauíq; formatur, & multa inde cognitio rerum venit, exẽplíſque, quæ ſunt in omni genere cauſarum potentiſſima, iã tum inſtruitur, cum res poſcet vſurus. [Hinc illa exercitatio ſubit comparationis: vter melior, vtérve deterior: quæ quanquã verſatur in ratione ſimili, tamen & duplicat materiam, & virtutum vitiorũmq; non tantum naturã, ſed etiam modum tractat. Verùm de ordine laudis contráque, quoniam hæc tertia rhetorices pars eſt, præcipiemus ſuo tempore. ¶ Et communes loci (de ijs loquor, quibus citra perſonas in ipſa vitia moris eſt perorare, vt in adulterum, aleatorem, petulantẽ) ex medijs ſunt iudicijs: &, ſi reũ adijcias, accuſationes: quanq̃ hi quoque ab illo generali tractatu ad quaſdã deduci ſpecies ſolent: vt ſi ponatur adulter cæcus, aleator pauper, petulans ſenex. Habent autem nõnunquam etiam defenſionem. Nam &

De confirmatiõe & deſtructione narrationum.

Laus & vituperatio.

Loci cõmunes virtutum & vitiorum.

pro luxuria, & pro amore dicimus: & leno interim parasitũsque defenditur sic, vt non homini patrocinemur, sed crimini. ¶ Theses autem, quæ sumũtur ex rerum comparatione, vt rustica ne vita an vrbana potiòr, iurisperiti an militaris viri laus maior, mire sunt ad exercitationem dicẽdi spatiosæ, atq; vberes, quæ vel ad suadẽdi officium, vel etiam ad iudiciorũ disceptationem iuuãt plurimũ. Nam posterior ex prędictis locus in causa Murenæ copiosissimè à Cicerone tractatur. Sunt & penè illæ totæ ad deliberatiuum pertinentes genus, ducenda ne vxor, petendi ne sint magistratus. Nanque hæ personis modo adiectis suasoriæ erunt. ¶ Solebant præceptores mei, nec inutili, & nobis etiam iucundo genere exercitationis præparare nos coniecturalibus causis, cũ quærere atque exequi iuberẽt, cur armata apud Lacedæmonios Venus, quid ita crederetur Cupido puer, ac volucer, & sagittis, ac face armatus, & similia: in quibus scrutabamur voluntatem, cuius in controuersijs frequens quæstio est, quod genus Chriæ videri potest. Nam locos quidem, quales sunt de testibus, semper ne his credendum, & de argumentis, an habenda etiam paruis fides, adeo manifestum est ad forenses actiones pertinere, vt quidam nec ignobiles in officijs ciuilibus, scriptos eos, memorięque diligentissimè mandatos in promptu habuerint, vt quoties esset occasio, extemporales eorum dictiones his velut emblematis exornarẽtur. Quo quidem (nec enim huius rei iudiciũ differre sustineo) summam videbãtur mihi infirmitatem de se cõfiteri. Nam quid ij possint in causis (quarum varia ac noua semper est facies) proprium inuenire? quomodo propositis ex parte diuersa respondere? altercationibus velociter occurrere? testem rogare? qui etiam in ijs quæ sunt cõmunia, & in plurimis causis tractantur, vulgatissimos sensus verbis, nisi tanto ante præparatis, prosequi nequeãt. Necesse est his cum eadem iudicijs pluribus dicunt, aut fastidium moueant, veluti frigidi & repositi cibi: aut pudorem, deprehensa toties audientium memoria, infelix supellex: quæ sicut apud pauperes ambitiosos pluribus & diuersis officijs conteratur, cum eo quidem, quòd vix vllus est tam communis locus, qui possit cohærere cum causa, nisi aliquo propriæ quæstionis vinculo copulatus: appareátque eum non tam insertum quàm applicitum, vel quòd dissimilis est cæteris, vel quòd plerumq; assumi etiam parum aptè solet: non quia desideratur, sed quia paratus est: vt quidam sen

Theses.

Coniecturæ.

Loci cõmunes testium & argumẽtorum.

tentiarum gratia verboſiſſimos locos arceſſunt, cum ex locis debeat naſci ſententia. Ita ſunt autem ſpecioſa hæc & vtilia, ſi oriuntur ex cauſa. Cæterum quālibet pulchra locutio, niſi ad victoriam tendit, vtique ſuperuacua, ſed interim etiam contraria eſt. Verùm hactenus euagari ſatis fuerit. ¶ Legum laus & vituperatio iam maiores ac propè ſummis operibus ſuffecturas vires deſiderant: quæ quidē ſuaſorijs an controuerſijs magis accōmodata ſit exercitatio, conſuetudine, & iure ciuita tum differt. Apud Græcos enim lator earū ad iudicē vocabatur, Romanis pro concione ſuadere ac diſſuadere moris fuit. [Vtroq; autē modo pauca de his & ferè certa dicuntur. Nā & genera ſunt tria, ſacri, publici, priuati iuris. Quæ diuiſio ad laudem magis ſpectat: ſi quis eam per gradus augeat, quòd lex, quòd publica, quòd ad religionē deūm comparata ſit. Ea quidem de quibus quæri ſolet communia omnibus. Aut enim de iure dubitari poteſt eius qui rogat, vt de P. Clodij, qui non ritè creatus Tribunus arguebatur: aut de ipſius rogationis, quod eſt varium: ſiue non trino fortè nundino promulgata, ſiue nō idoneo die, ſiue contra interceſſiones vel auſpicia, aliúdve quid quod legitimè obſtet, dicitur lata eſſe vel ferri, ſiue alicui manentium legum repugnare. [Sed hæc ad illas primas exercitationes non pertinent. Nam ſunt hæ citra complexum perſonarum, temporum, cauſarum. Reliqua eadem ferè vero fictóque certamine huiuſmodi tractantur. Nam vitium, aut in verbis, aut in rebus eſt. In verbis quæritur an ſatis ſignificent, an ſit in his aliquid ambiguum. In rebus, an lex ſibi ipſa conſentiat, an in populū referri debeat, an in ſingulos homines. [Maximè verò commune eſt quærere, an ſit honeſta, an vtilis. Nec ignoro plures fieri à pleriſq; partes, ſed nos iuſtum, pium, religioſum, cæteráque his ſimilia, honeſto complectimur. Iuſti tamen ſpecies non ſimpliciter excuti ſolet. Aut enim de re ipſa quęritur, vt digna ne pœna, vel pręmio ſit, aut de modo prę-mij pœnæve, qui tam maior, quàm minor culpari poteſt. Vtilitas quoque interim natura diſcernitur, interim tēpore. Quædam an obtineri poſſint, ambigi ſolet. [Ne illud quidem ignorare oportet, leges aliquando totas, aliquando ex parte reprehendi ſolere, cum exēplum rei vtriuſque nobis claris orationibus præbeatur. [Nec me fallit eas quoque leges eſſe, quæ non in perpetuum rogentur, ſed de honoribus, aut imperijs, qualis Manilia fuit, de qua Ciceronis oratio eſt: ſed de his nihil hoc

Legū laus & vituperatio.

loco præcipi poteſt. Conſtat enim propria rerum, de quibus agitur, non communi qualitate. ¶ His ferè veteres facultatem dicendi exercuerunt, aſſumpta tamen à dialecticis argumentandi ratione. Nam fictas ad imitationem fori conſiliorũmq; materias apud Græcos dicere, circa Demetrium Phalerea inſtitutum ferè conſtat. An ab ipſo id genus exercitationis ſit inuentum (vt alio quoque libro ſum confeſſus) parum compe ri. Sed ne ij quidẽ, qui hoc fortiſſimè affirmant, vllo ſatis idoneo authore nituntur. Latinos vero dicẽdi præceptores extremis L. Craſſi temporibus cœpiſſe Cicero author eſt, quorum inſignis maximè Plotius fuit.

Quãdo declamandi ratio primum extiterit.

¶ De lectione oratorum, & hiſtoricorum apud rhetorem. Cap. V.

SEd de ratione declamandi poſt paululum, interim quia prima rhetorices rudimenta tractamus, non omittendum videtur id quoque, vt moneam quantum ſit collaturus ad profectum diſcentium rhetor, ſi quemadmodum à grammaticis exigitur poetarum enarratio, ita ipſe quoque hiſtoriæ, atque etiam magis orationum lectione ſuſceptos à ſe diſcipulos inſtruxerit, quod nos in paucis, quorũ id ætas exigebat, & parentes vtile eſſe crediderãt, ſeruauimus. [Cæterum ſentientibus iam tum optima, duæ res impedimento fuerunt, quòd & longa conſuetudo aliter dicendi fecerat legem, & robuſti ferè iuuenes, nec hunc laborem deſiderãtes, exemplum noſtrum ſequebantur. Nec tamen etiam ſi quid noui vel ſerò inueniſſem, præcipere in poſterum puderet. Nunc verò ſcio id fieri apud Græcos, ſed magis per adiutores: quia non videtur tempora ſuffectura, ſi legẽtibus ſingulis præire ſemper ipſi velint. ¶ Et hercle prælectio, quæ in hoc adhibetur, vt facile atque diſtinctè pueri ſcripta oculis ſequantur, etiã illa quæ vim cuiuſque verbi, ſi quod minus vſitatũ incidat, docet, multum infra rhetoris officium exiſtimanda eſt. At demõſtrare virtutes, vel (ſiquãdo itaincidat) vitia, id profeſſionis eius atq; promiſſi, qui ſe magiſtrum eloquentiæ pollicetur, maximè proprium eſt: eo quidem validius, quòd nõ vtique hunc laborem docẽtium poſtulo, vt ad gremiũ reuocatis cuius quiſq; eorum velit libri lectioni deſeruiant. Nã mihi cũ facilius, tũ etiã multo videtur magis vtile, facto ſilentio, vnum aliquem (quod ipſum imperari per vices optimum eſt) conſtituere lectorem, vt protinus pronuntiationi quoque aſſueſcant, tum expoſita cau

De prælectione authorum.

ſa,in quã ſcripta legetur oratio (nam ſic clarius quæ dicentur intelligi poterunt)nihil ocioſum pati quódque in inuentione, quódq; in elocutione annotandũ erit,quæ in procemio conciliandi iudicis ratio,quæ narrandi lux,breuitas,fides,quod aliquando conſiliũ,& quàm occulta calliditas.Nanque ea ſola in hoc ars eſt,quæ intelligi niſi ab artifice nõ poſſit. Quanta deinceps in diuidendo prudentia, quàm ſubtilis & crebra argumentatio,quibus viribus inſpiret,qua iucũditate permulceat, quanta in maledictis aſperitas, in iocis vrbanitas, vt denique dominetur in affectibus,atq; in pectora irrumpat, animúmq; iudicũ ſimilem ijs quæ dicit efficiat. [Tum in ratione eloquẽdi,quod verbum proprium, ornatum,ſublime:ubi amplificatio laudanda,quę virtus ei contraria,quod ſpecioſe tranſlatũ, quæ figura verborum,quæ lenis & quadrata,ſed virilis tamen compoſitio. [Ne id quidem inutile,etiam corruptas aliquando & vitioſas orationes,quas tamen pleriq; iudiciorum prauitate mirantur,legi palàm pueris,oſtendíque in ijs quàm multa impropria,obſcura,tumida,humilia,ſordida, laſciua,effœminata ſint: quæ non laudantur modo à pleriſque, ſed(quod peius eſt)propter hoc ipſum quòd ſunt praua,laudãtur. Nam ſermo rectus,& ſecundum naturam enuntiatus, nihil habere ex ingenio videtur. Illa vero quæ vtcunque deflexa ſunt, tanquam exquiſitiora miramur,non aliter quàm diſtortis,& quocunq; modo prodigioſis corporibus apud quoſdam maius eſt precium,q̃ ijs quæ nihil ex communis habitus bonis perdiderunt. Atq; etiã qui ſpecie capiuntur, vulſis lęuatíſq;,& inuſtas comas acu comẽtibus,& nõ ſuo colore nitidis,plus eſſe formę putãt,quàm poſſit tribuere incorrupta natura,vt pulchritudo corporis venire videatur ex malis morib⁹.¶Nec ſolũ hęc ipſe debebit docere præceptor,ſed frequenter interrogare,& iudicium diſcipulorum experiri.Sic audientibus ſecuritas aberit, nec quæ dicentur perfluent aures, ſimũlque ad id perducẽtur, quod ex hoc quæritur, vt inueniant ipſi & intelligant. Nam quid aliud agimus docendo eos,quàm ne ſemper docẽdi ſint? Hoc diligentiæ genus auſim dicere plus collaturum diſcentibus, quàm omnes omnium artes, quæ iuuant ſine dubio multum,ſed latiore quadam comprehenſione per omnes quidem ſpecies rerum quotidie penè naſcentium ire quî poſſunt.Sicut de re militari,quanquam ſint tradita quædam præcepta communia,magis tamen proderit ſcire,qua ducum quiſque ratio-

ne,in quali loco,tempore,ſit vſus ſapienter,aut cõtra.Nam in omnibus ferè minus valent præcepta,quàm experimenta.An verò declamabit quidem præceptor,vt ſit exemplo ſuis auditoribus? non plus contulerint lecti Cicero ac Demoſthenes. Corrigetur palàm, ſi quid in declamando diſcipulus errauerit? non potentius erit emendare orationem? quinimo etiam iucundius:aliena enim vitia reprehẽdi mauult quàm ſua.Nec deerant plura quæ dicerem, ſed neminem hæc vtilitas fugit: atq; vtinam tam non pigeat facere iſtud,quàm nõ diſplicebit.

¶Qui primi legendi. Cap.VI.

QVod ſi potuerit obtineri, non ita difficilis ſupererit quæſtio,qui legendi ſint incipientibus.Nam quidam illos minores,quia facilior eorum intellectus videbatur,probauerunt:alij floridius genus, vt ad alenda primarum ætatum ingenia magis accommodatum.Ego optimos quidem,& ſtatim,& ſemper: ſed tamen eorum candidiſſimum quemque, & maxime expolitum velim, vt Liuium *Liuius.*
à pueris magis,quàm Saluſtium,& hic hiſtoriæ maioris eſt author,ad quem tamen intelligendum iam profectu opus eſt.Ci *Cicero.*
cero,vt mihi quidem videtur, & iucundus incipiẽtibus quoq; & apertus eſt ſatis, nec prodeſſe tantum ſed etiam amari poteſt:tum(quẽadmodum Liuius præcipit) vt quiſque erit Ciceroni ſimillimus.¶Duo autẽ genera maximè cauẽda pueris puto.Vnum,ne quis eos antiquitatis nimius admirator in Gracchorum Catoníſque, & aliorum ſimilium lectione dureſcere velit:fient enim horridi atq; ieiuni. Nam neq; vim eorum adhuc intellectu conſequẽtur,& elocutione:quæ tum ſine dubio erat optima, ſed noſtris temporibus aliena, contenti (quod eſt peſſimum)ſimiles ſibi magnis viris videbuntur.[Alterum, quod huic diuerſum eſt,ne recentis huius laſciuiæ floſculis capti,voluptate quadam praua deliniantur,vt prædulce illud genus, ac puerilibus ingenijs hoc gratius, quo propius eſt, adament. ¶Firmis autem iudicijs,iámque extra periculũ poſitis ſuaſerim & antiquos legere,ex quibus ſi aſſumatur ſolida, ac virilis ingenij vis deterſo rudis ſeculi ſquallore, tum noſter hic cultus clarius eniteſcet:& nouos, quibus & ipſis multa virtus adeſt.Nec enim nos tarditatis natura damnauit,ſed dicendi mutauimus genus, & vltra nobis quàm oportebat indulſimus:ita non tã ingenio illi nos ſuperauerunt,quàm propoſito. Multa ergo licebit eligere.Sed curandũ erit,ne ijs quibus per-

mixta ſunt,inquinentur.Quoſdam verò etiam quos totos imitari oporteat, & fuiſſe nuper,& nunc eſſe,quídni libenter non conceſſerim modo,verũetiam contenderim? Sed hi qui ſint, non cuiuſque eſt pronuntiare. Tutius circa priores vel erratur.Ideóque hanc nouorum diſtuli lectionem,ne imitatio iudicium antecederet.

¶De diuiſione. Cap.VII.

De materijs dandis.

FVit etiam in hoc diuerſum præcipientium propoſitũ, quòd eorum quidam materias quas diſcipulis ad dicendum dabant,non cõtenti diuiſione dirigere, latius dicendo proſequebantur:nec ſolum probationibus implebãt, ſed etiam affectibus.Alij,cum primas modo lineas duxiſſent, poſt declamationes quid omiſiſſet quiſque, tractabant: quoſdam vero locos non minore cura quàm cum ad dicẽdum ipſi ſurgerent,excolebant. ¶Vtile vtrunque, & ideo neutrum ab altero ſeparo. Sed ſi facere tantum alterum neceſſe ſit, plus proderit demonſtraſſe rectam protinus viam, quàm reuocare ab errore iam lapſos. Primùm, quia emendationem auribus modo accipiunt, diuiſionem vero ad cogitationem etiam & ſtylum perferunt.Deinde ꝙ libentius præcipientem audiunt, quàm reprehendentem. Si qui vero paulò ſunt viuaciores, in his præſertim moribus, etiam iraſcuntur admoniti, & taciti repugnant. Nec ideo tamen minus vitia apertè coarguenda ſunt.Habenda enim ratio cæterorum,qui recta eſſe,quæ præceptor non emendauerit,credent.¶Vtraque autem ratio miſcenda eſt,& ita tractãda,vt res ipſæ poſtulabunt. Nanque incipientibus danda erit velut præformata materia ſecundum cuiuſque vires. At cum ſatis compoſuiſſe ſe ad exemplum videbuntur,breuia quædam demonſtranda veſtigia, quæ perſecuti, iam ſuis viribus ſine adminiculo progredi poſſint. Nonnunquam credi ſibi eos oportebit,ne mala cõſuetudine ſemper alienum laborem ſequendi,nihil per ſe conari,& quærere ſciant. Quòd ſi ſatis prudenter dicenda viderint, iam propè conſummata fuerit præcipientis opera.Si quid errauerint,adhuc erunt ad ducem reducẽdi.Cui rei ſimile quiddam facientes aues cernimus, quæ teneris infirmíſque fœtibus cibos ore ſuo collatos partiuntur.At cum viſi ſunt adulti,paululũ egredi nidis,& circũuolare ſedem illam præcedentes ipſæ docent, tum expertas vires libero cœlo, ſuæque ipſorum fiduciæ permittunt.

¶De ediſcendo. Cap. VIII.

ILlud ex conſuetudine mutandũ prorſus exiſtimo in his, de quibus nunc diſſerimus, ætatibus, ne omnia quæ ſcripſerint, ediſcãt: & certa (vt moris eſt) die dicant. Quod quidem maximè patres exigũt: atque ita demum ſtudere liberos ſuos, ſi quam frequentiſſimè declamauerint, credunt: cum profectus præcipuè diligentia conſtet. Nã vt ſcribere pueros, plurimúmque eſſe in hoc opere, planè velim, ſic ediſcere electos ex orationibus vel hiſtorijs alióve quo genere dignorum ea cura voluminũ locos, multo magis ſuadeam. [Nam etiam exercebitur acrius memoria aliena complectendo quàm ſua: & qui erũt in difficiliore huius generis labore verſati ſine moleſtia, quæ ipſi compoſuerunt, iam familiarius animo ſuo affigent, & aſſueſcent optimis, ſempérque habebũt intra ſe, quod imitentur. Etiam non ſentientes, formam orationis illã, quam mente penitus acceperint, expriment. [Abundabunt autem copia verborum optimorum, & compoſitione ac figuris iam non quæſitis, ſed ſpõte & ex repoſito velut theſauro ſe offerẽtibus. [Accedit his & iucũda in ſermone bene à quoq; dictorum relatio, & in cauſis vtilis. Nã & plus authoritatis afferũt ea quæ non præſentis gratia litis ſunt comparata, & laudem ſæpe maiorem, quàm ſi noſtra ſint, conciliant. ¶Aliquando tamen permittendum, quæ ipſi ſcripſerint dicere, vt laboris ſui fructum etiam ex illa, quæ maxime petitur, laude plurimum capiant. [Verum id quoque tum fieri oportebit, cum aliquid commodius elimauerint, vt eo velut præmio ſtudij ſui donẽtur, ac ſe meruiſſe vt dicerent, gaudeant.

¶An ſecundum ſui quiſque ingenij docendus ſit naturam. Cap. IX.

VIrtus præceptoris haberi ſolet, nec immerito, diligenter in ijs quos erudiendos ſuſcepit, notare diſcrimina ingeniorũ, & quo quenque natura maximè ferat. Nam eſt in hoc incredibilis quædam varietas, nec pauciores animorum penè quàm corporũ formæ. Quod intelligi etiã ex ipſis oratoribus poteſt, qui tantum inter ſe diſtant genere dicendi, vt nemo ſit alteri ſimilis: quanuis plurimi ſe ad eorum, quos probabant, imitationem compoſuerint. [Vtile deinde pleriſque viſum eſt, ita quẽq; inſtituere, vt propria naturæ bona, doctrina fouerent, & in id potiſſimũ ingenia quò tenderent, adiuuarentur. Vt ſi quis palæſtrę peritus, cum in aliquod plenum

pueris gymnaſium venerit, expertus eorum omni modo corpus animúmque diſcernat cui quiſque certamini præparandus ſit: ita præceptorem eloquentiæ cum ſagaciter fuerit intuitus cuius ingenium preſſo, limatóque genere dicendi, cuius acri, graui, dulci, aſpero, nitido, vrbano maximè gaudeat, ita ſe cõmodaturum ſingulis, vt in eo quo quiſq; eminet proueha tur, quòd & adiuta cura natura magis eualeſcat: & qui in diuerſa ducatur, nec in ijs quibus minus aptus eſt, ſatis poſſit effi cere, & ea in quæ natus videtur, deſerendo faciat infirmiora.

Ponit ſuam ſententiam.

¶ Quod mihi (libera enim vel cõtra receptas perſuaſiones ra tionem ſequenti ſententia eſt) in parte verum videtur. Nam proprietates ingeniorum diſpicere prorſus neceſſarium eſt. In his quoque certum ſtudiorum facere delectum nemo diſſuaſerit. Nanque erit alius hiſtoriæ magis idoneus, alius compoſitus ad carmen, alius vtilis ſtudio iuris, vt nonnulli rus fortaſſe mittendi. Sic diſcernet hæc diſcendi magiſter, quomodo palæſtricus ille curſorem faciet aut pugilem, aut luctatorem, aliúdve quid ex ijs quæ ſunt ſacrorum certaminum. ¶ Verum ei qui foro deſtinabitur, non in vnam partem aliquam, ſed in omnia quæ ſunt eius operis, etiam ſiqua difficiliora diſcenti videbuntur, elaborandum eſt. Nam & omnino ſuperuacua erat doctrina, ſi natura ſufficeret. An ſi quis ingenio corruptus ac tumidus (vt pleriq; ſunt) inciderit, in hoc eũ ire patiemur? aridum atque ieiunum non alemus, & quaſi veſtiemus? Nam ſi quædam detrahere neceſſarium eſt, cur non ſit adijcere conceſſum? [Neque ego contra naturam pugno. Non enim deſerendum id bonum, ſi quod ingenitum eſt, exiſtimo, ſed augendum addẽdúmque quod ceſſat. An verò clariſſimus ille præceptor Iſocrates, quem non magis libri bene dixiſſe, quàm diſcipuli bene docuiſſe teſtantur, cum de Ephoro atq; Theopompo ſic iudicaret, vt alteri frenis, alteri calcaribus opus eſſe diceret: aut in illo lentiore tarditatẽ, aut in hoc penè præcipiti concitationem adiuuandam docendo exiſtimauit? cum alterum alterius natura miſcendum arbitraretur. ¶ Imbecillis tamen ingenijs ſanè ſic obſequendum ſit, vt tantum in id quò vocat natura, ducantur. Ita enim quod ſolum poſſunt, melius efficient. Si vero liberalior natura contigerit, & in qua merito ad ſpem oratoris ſimus aggreſſi, nulla dicendi virtus omittenda eſt. Nam licet ſit aliquam in partem pronior, vt neceſſe eſt, cæteris tamen non repugnabit, atque ea cura paria faciet ijs, in

Ephorus & Theopompus diuerſis ingenijs.

quibus eminebit. Sicut ille(ne ab eodem exẽplo recedamus) exercendi corpora peritus,non ſi docendum pancratiaſten ſu ſceperit,pugno ferire,vel calce tantum,aut nexus modo,atque in his certos aliquos docebit,ſed omnia quæ ſunt eius certaminis.[Erit qui ex ijs aliqua non poſſit?In id maxime quod poterit incũbet.Nam ſunt hæc duo vitãda prorſus:Vnum,ne tentes quod effici non poſſit: Alterum, ne ab eo quod quis optime facit,in aliud, cui minus eſt idoneus, tranſferas. At ſi fuerit qui docebitur, ille quem adoleſcentes ſenem vidimus, Nicoſtratus,omnibus in eo dicendi partibus ſimiliter vtetur:efficiétque illum,qualis hic fuit,luctando pugnãdóque,quorum vtroque certamine ijſdem diebus coronabatur, inuictum. Et quanto id magis oratoris futuri magiſtro prouidendum erit? Non enim ſatis eſt dicere preſſe tãtum,aut ſubtiliter,aut aſperè,non magis quàm phonaſco acutis tantum, aut medijs, aut grauibus ſonis, aut horum etiam particulis excellere. Nam ſicut cithara,ita oratio perfecta nõ eſt,niſi ab imo ad ſummum omnibus intenta neruis conſentiat. *Pãcratiaſtes*

¶De officio diſcipulorum. Cap.X.

PLura de officijs docẽtium locutus,diſcipulos id vnum interim moneo,vt præceptores ſuos non minus quàm ipſa ſtudia ament:& parentes eſſe,non quidem corporum,ſed mentium credãt. Multum hæc pietas confert ſtudio. Nam ita & libenter audient, & dictis credent, & eſſe ſimiles concupiſcent, in ipſos denique cœtus ſcholarum læti, & alacres conuenient: emendati non iraſcentur,laudati gaudebũt: vt ſint chariſſimi,ſtudio merebũtur.Nam vt illorum officium eſt docere, ſic horum præbere dociles. Alioqui neutrum ſine altero ſufficiet.Et ſicut hominis ortus ex vtroque gignentium confertur,& fruſtra ſparſeris ſemina, niſi illa præmollitus fouerit ſulcus,ita eloquentia coaleſcere nequit, niſi ſociata tradentis,accipientiſque concordia.

¶De vtilitate & ratione declamandi. Cap.XI.

IN his primis operib⁹,quæ non ipſa parua ſunt,ſed maiorum quaſi mẽbra atq; partes,bene inſtituto,ac ſatis exercitato,iam ferè tempus appetet aggrediẽdi ſuaſorias iudicialéſque materias:quarum antequam viam ingrediar,pauca mihi de ipſa declamandi ratione dicẽda ſunt,quæ quidem vt ex omnibus nouiſſimè inuẽta,ita & multo eſt vtiliſſima.Nã

& cuncta illa, de quibus diximus, in se ferè cõtinet, & veritati proximam imaginem reddit. Ideóque ita est celebrata, vt pleriſq; videretur ad formãdam eloquentiam vel sola sufficere. Neque enim virtus vlla perpetuæ duntaxat orationis reperiri potest, quæ non sit cum hac dicendi meditatione communis. Eò quidem res ista culpa docentiũ recidit, vt inter præcipuas quæ corrumperent eloquẽtiam causas licentia atque inscitia declamantium fuerit. Sed eo quod natura bonum est, bene vti licet. Sint ergo & ipsæ materiæ quæ fingentur, quam simillimæ veritati. Et declamatio inquantum maximè potest, imitetur eas actiones in quarum exercitationem reperta est. Nam magos, & pestilentiam, & responsa, & sæuiores tragicis nouercas, aliáque magis adhuc fabulosa, frustra inter sponsiones & interdicta quæremus. Quid ergo? Nunquam hæc supra fidem & poetica (vt verè dixerim) themata iuuenibus pertractare permittemus? vt expatientur, & gaudeant materia, & quasi in corpus eant? Erit optimum. Sed certè sint grandia & tumida: non stulta etiam, & acrioribus oculis intuenti ridicula: ac si iam cedendum est, impleat se declamator aliquando, dum sciat, vt quadrupedes cum viridi pabulo distẽtæ sunt, sanguinis detractione curantur, & sic ad cibos viribus conseruandis idoneos redeunt, ita sibi quoque tenuãdos adipes, & quicquid humoris corrupti contraxerit emittendum, si esse sanus ac robustus volet. Alioqui tumor ille inanis primo cuiusque veri operis conatu deprehendetur. [Totum autem declamandi opus, qui diuersum omnino à forensibus causis existimant, ij profecto, ne rationem quidem, qua ista exercitatio inuenta sit peruident. Nam si foro non præparat, aut scenicæ ostentationi, aut furiosæ vociferationi simillimum est. Quid enim attinet iudicem præparare, qui nullus est? narrare, quod omnes sciant falsum? probationes adhibere causæ, de qua nemo sit pronuntiaturus? Et hæc quidem otiosa tantum. [Affici vero, & ira vel luctu permouere, cuius est ludibrij, nisi quibusdam pugnæ simulacris ad verum discrimen, aciémque iustam consuescimus? [Nihil ergo inter forense genus dicendi, atque hoc declamatoriũ intererit? Si profectus gratia dicimus, nihil. Vtinámq; adijci ad consuetudinẽ posset, vt nominibus vteremur, & perplexè magis, & longioris aliquãdo actus cõtrouersiæ fingerentur, & verba in vsu quotidiano posita minus timeremus, & iocos inferere moris esset: quæ nos quamlibet per

Materiæ declamationum sint verisimiles.

Poetica themata quatenus tractãda

alia in ſcholis exercitati ſimus,tyrones in foro inueniunt.[Si vero in oſtentationē comparetur declamatio,ſanè paulum aliquid inclinare ad voluptatē audientiū debemus.Nam & in ijs actionib⁹,quę in aliqua ſine dubio veritate verſantur,ſed ſunt ad popularem aptatæ delectationem,quales legimus Panegyricos,totúmque hoc demonſtratiuum genus,permittitur adhibere plus cultus,omnémq; artem,quæ latere plerūque in iudicijs debet,non cōfiteri modo,ſed oſtentare etiam hominibus in hoc aduocatis.¶Quare declamatio,quoniā eſt iudiciorum conſiliorúmq; imago,ſimilis eſſe debet veritati:quoniam autem aliquid in ſe habet ὑποκριτικὸν,nōnihil ſibi nitoris aſſumere,quod faciunt actores comici:qui nec ita prorſus,vt nos vulgo loquimur,pronuntiant,quod eſſet ſine arte:nec tamen procul à natura recedunt, quo vitio periret imitatio, ſed morem communis huius ſermonis , decore quodam ſcenico exornant . Sic quoque aliqua nos incommoda ex ijs quas finxerimus materijs,conſequētur:in eo præcipuè,quòd multa in his relinquuntur incerta,quæ ſumimus(vt videtur:)ætates,facultates,liberi,parentes, vrbium ipſarum vires,iura, mores,alia his ſimilia.Quin aliquando etiam argumenta ex ipſis poſitionum vitijs ducimus.Sed hæc ſuo quæque loco. quamuis enim omne propoſitum operis à nobis deſtinati eò ſpectet, vt orator inſtituatur,tamē ne quid ſtudioſi requirant, etiam ſi quid erit quod ad ſcholas pertineat proprie, in tranſitu non omittemus.

Abſolnit qualis declamatio eſſe debeat.

¶An artis neceſſaria cognitio ſit. Cap.XII.

IAm hinc ergo nobis inchoanda eſt ea pars artis, ex qua capere initium ſolent,qui priora omiſerunt:quanquam video quoſdam in ipſo ſtatim limine obſtaturos mihi, qui nihil egere huiuſmodi præceptis eloquentiam putent, ſed natura ſua,& vulgari modo, & ſcholarum exercitatione contenti, rideant etiam diligentiam noſtram : exemplo quoque magni nominis profeſſorum, quorum aliquis(vt opinor) interrogatus quid eſſet ſchema & noema,neſcire ſe quidem,ſed ſi ad rem pertineret,eſſe in ſua declamatione reſpondit.Alius percontanti Theodoreus an Appollodoreus eſſet,ego,inquit, parmularius ſum.Nec ſanè potuit vrbanius ex confeſſione inſcitiæ ſuæ elabi. ¶Porrò ij,quia & beneficio ingenij præſtantes ſunt habiti,& multa etiam memoria digna exclamauerūt, plurimos habent ſimiles negligentiæ ſuæ,pauciſſimos naturæ.

Igitur & impetu dicere ſe, & viribus vti gloriantur. Nec enim opus eſſe probatione, aut diſpoſitione in rebus fictis: ſed cuius rei gratia plenum ſit auditorium, ſententijs grandi-
puſo. bus, quarum optima quęque à *periculo petatur. Quinetiam in cogitando nulla ratione adhibita, aut tectum intuentes, magnum aliquid quod vltro ſe offerat, pluribus ſæpe diebus expectantes: aut murmure incerto, velut claſſico inſtincti, concitatiſſimum corporis motum non enuntiandis, ſed quærendis verbis accommodant. ¶Nonnulli certa ſibi initia priuſquam ſenſum inuenerint, deſtinant, quibus aliquid diſerti ſubiungendum ſit: eáque diu ſecum ipſi claréque meditati, deſperata connectendi facultate deſerunt, & ad alia deinceps, atque inde alia non minus communia, atque nota diuertunt. ¶Qui plurimum videntur habere rationis, non in cauſas tamen laborem ſuum, ſed in locos intendunt: atque in ijs non corpori proſpiciunt, ſed abrupta quædam, vt forte ad manum venere, iaculantur. Vnde fit vt diſſoluta & ex diuerſis congeſta oratio cohærere non poſſit: ſimiliſque ſit commentarijs puerorum, in quos ea quæ alijs declamantibus laudata ſunt regerunt: Magnas tamen ſententias & res bonas (ita enim gloriari ſolent) elidunt. Nam & barbari & ſerui: &, ſi hoc ſat eſt, nulla eſt ratio dicendi.

¶Quare ineruditi ingenioſiores vulgo habeantur. Cap. XIII.

NE hoc quidem negauerim, ſequi plerumque hanc opinionem, vt fortius dicere videãtur indocti. Primum, vitio male iudicantium: qui maiorem habere vim credunt ea quæ non habent artem, vt effringere quàm aperire, rumpere quàm ſoluere, trahere quàm ducere putant robuſtius. Nam & gladiator qui armorum inſcius in rixam ruit, & luctator qui totius corporis nixu in id quod ſemel inuaſit, incumbit, fortior ab his vocatur: cum interim & hic frequenter ſuis viribus ipſe proſternitur, & illius vehementes impetus excipit aduerſarij mollis articulus. [Sed ſunt in hac parte, quæ imperitos etiam naturaliter fallant. Nam & diuiſio, cum plurimum valeat in cauſis, ſpeciem virium minuit, & rudia politis maiora, & ſparſa compoſitis numeroſiora creduntur. Eſt præterea quædam virtutum vitiorúmque vicinia, qua maledicus pro libero, temerarius pro forti, effuſus pro copioſo accipitur. [Maledicit autem ineruditus apertius & ſæpius,

vel cum periculo ſuſcepti litigatoris, frequenter etiam ſuo. Affert & iſta res opinionem, quia libentiſſime homines audiunt ea quæ ipſi dicere voluiſſent. Illud quoque alterum quod eſt in elocutione ipſa periculum, minus vitat, conatúrque perdite. Inde euenit nonnunquam, vt aliquid grande inueniat qui ſemper quærit quod nimium eſt: verum & raro euenit, & cætera vitia non penſat. [Propter hoc quoque interdum videntur indocti copiam habere maiorem, quòd dicunt omnia: doctis eſt & electio, & modus. [His accedit, quòd à cura docendi quod intenderint, recedunt. Itaque illud quæſtionum, & argumentorum apud corrupta iudicia frigus euitant, nihílque aliud, quàm quo vel prauis voluptatibus aures aſſiſtẽtium permulceant, quærunt. [Sentẽtiæ quoque ipſæ, quas ſolas petunt, magis eminẽt, cum omnia circa illas ſordida & abiecta ſunt: vt lumina non inter vmbras (quẽadmodum Cicero dicit) ſed planè in tenebris clariora ſunt. Itaque ingenioſi vocentur, vt libet, dum tamen conſtet, contumelioſe ſic laudari diſertum. [Nihilominus confitendum eſt, etiam detrahere doctrinam aliquid, vt limam rudibus, & cotes hebetibus, & vino vetuſtatem, ſed vitia detrahit: atq; eo ſolo minus eſt quod literæ perpolierunt, quo melius. [Verum hi pronuntiatione quoque famam dicendi fortius quærunt. Nam & clamant vbique, & omnia leuata (vt ipſi vocant) manu emugiunt, multo diſcurſu, anhelitu, iactatione, geſtu, motu capitis furẽtes. Iam collidere manus, terræ pedem incutere, femur, pectus, frontem cædere, mirè ad pullatũ circulũ facit: cum ille eruditus, vt in oratione multa ſummittere, variare, diſponere, ita etiam in pronũtiando ſuum cuique eorum quæ dicet, colori accõmodare actum ſciat: & ſi quid ſit perpetua obſeruatione dignum, modeſtus, & eſſe, & videri malit. At illi hanc vim appellant, quæ eſt potius violentia. Cum interim non actores modo aliquos inuenias, ſed (quod eſt turpius) præceptores etiam, qui breuẽ dicendi exercitationem conſecuti, omiſſa ratione, vt tulit impetus, paſſim tumultuentur: eóſq;, qui plus honoris literis tribuerũt, ineptos & ieiunos, & trepidos, & infirmos, vt quodq; verbum contumelioſiſſimũ occurrit, appellent. ¶Verum illis quidem gratulemur, ſine labore, ſine ratione, ſine diſciplina diſertis. Nos quãdo & præcipiendi munus iãpridem deprecati ſumus, & in foro quoque dicendi, quia honeſtiſſimum finem puraba mus, deſinere dum deſideraremur, inquirendo, ſcribendóque

talia conſolemur otium noſtrum,quæ futura vſui bonæ mentis iuuenibus arbitramur,nobis certe ſunt voluptati.

¶Quis modus in arte. Cap.XIIII.

NEmo autem à me exigat id præceptorum genus,quod eſt à pleriſque ſcriptoribus artium traditum, vt quaſi quaſdam leges immutabili neceſſitate cõſcriptas ſtudioſis dicendi feram:vtique proœmium,& id quale:proxima huic narratio,quæ lex deinde narrandi:propoſitio poſt hanc, vel(vt quibuſdam placuit)excurſio:tum certus ordo quæſtionum,cæteráque:quæ velut ſi aliter facere fas non ſit,quidam tanquam iuſſi ſequuntur . Erat enim rhetorice res prorſus facilis ac parua,ſi vno & breui præſcripto contineretur.Sed mutantur pleraque cauſis,temporibus,neceſſitate,occaſione. Atque ideo res in oratore præcipua cõſilium eſt,quia variè,& ad rerum momenta conuertitur . Quid enim ſi præcipias imperatori quoties aciem inſtruet, vt dirigat frontẽ,cornua vtrinque promoueat, equites pro cornibus locet? Erit hæc quidem rectiſſima fortaſſe ratio, quoties licebit : ſed mutabitur natura loci, ſi mons occurret , ſi flumen obſtabit, ſi collibus, ſyluis,aliáve aſperitate aliqua prohibebitur. Mutabit hoſtium genus, mutabit præſentis conditio diſcriminis : nunc acie directa,nunc cuneis,nunc auxilijs,nunc legione pugnabitur:nonnunquam terga etiam dediſſe ſimulata fuga proderit.Ita proœmium neceſſarium an ſuperuacaneum,breue an longius,ad iudicem omni ſermone directo, an aliquando auerſo per aliquam figuram dicendum ſit: conſtricta, an latius fuſa narratio,cõtinua an diuiſa,recta an ordine permutato,cauſæ docebunt.Itémque de quæſtionũ ordine,cum in eadem controuerſia aliud alij parti prius quæri frequenter expediat.Neq; enim rogationibus,plebíſve ſcitis ſancta ſunt iſta præcepta:ſed hoc quicquid eſt,vtilitas excogitauit. ¶Non negabo autẽ ſic vtile eſſe plerunque,alioqui nec ſcriberem,verũ ſi eadem illa nobis aliud ſuadebit vtilitas,hanc, relictis magiſtrorum authoritatibus,ſequemur.Equidem id maximè præcipiam,ac repetens iterúmque iterúmque monebo:Res duas in omni actu ſpectet orator,quid deceat,quid expediat. Expedit autẽ ſæpe mutare ex illo conſtituto traditóque ordine aliqua,& interim decet, vt in ſtatuis atq; picturis videmus variari habitus, vultus,ſtatus. Nã recti quidẽ corporis vel minima gratia eſt.Neq; enim aduerſa ſit facies, & demiſſa brachia,& iũcti pedes,& à ſummis

Duo in omni actu ſpectanda eſſe, quid deceat & quid expediat.

ad ima rigens opus. Flexus ille, & vt sic dixerim, motus, dat actum quendam effictis. Ideo nec ad vnum modum formatæ manus, & in vultu mille species. Cursum habent quædam & impetum, sedent alia vel incũbunt, nuda hæc, illa velata sunt, quædã mixta ex vtroq;. Quid tam distortũ & elaboratũ quàm ille discobolos Myronis? Si quis tamen vt parum rectum improbet opus, nõne ab intellectu artis abfuerit? in qua vel præcipuè laudabilis est illa ipsa nouitas, ac difficultas. Quam quidem gratiam & delectationẽ afferunt figuræ, quæque in sensibus, quæque in verbis sunt. Mutant enim aliquid à recto, atq; hanc præ se virtutem ferunt, quòd à consuetudine vulgari recesserunt. [Habet in pictura speciem tota facies, Appelles tamen imaginem Antigoni latere tantum altero ostendit, vt amissi oculi deformitas lateret. Quid? non in oratione operienda sunt quædam, siue ostendi nõ debent, siue exprimi pro dignitate nõ possunt? vt fecit Timantes (vt opinor) Cithnius in ea tabula, qua Coloten Teium vicit. Nã cum in Iphigeniæ immolatione pinxisset tristem Chalcantẽ, tristiorẽ Vlyssem, addidisset Menelao quem summũ poterat ars efficere mœrorem, consumptis affectibus, nõ reperiens quo dignè modo patris vultum posset exprimere, velauit eius caput, & suo cuique animo dedit æstimandum. Nónne huic est illud simile Sallustianum? Nam de Carthagine tacere satius puto, q̃ parum dicere. ¶ Propter quæ mihi semper moris fuit, quamminimũ alligare me ad præcepta, quæ καθολικὰ vocant, id est (vt dicamus quomodo possumus) vniuersalia, vel perpetualia. Raro enim reperitur hoc genus, vt non labefactari parte aliqua, & subrui possit. Sed de his plenius suo quicq; loco tractabimus. Interim nolo se iuuenes satis instructos, si quem ex his, qui breues plerũque circumferuntur, artis libellum edidicerint, & velut decretis technicorum, tutos putent. Multo labore, assiduo studio, varia exercitatione, pluribus experimentis, altissima prudentia, præsentissimo consilio constat ars dicendi. Sed adiuuatur his quoque, si tamen rectam viam, non vnam orbitam monstrent: à qua declinare qui crediderit nefas, patiatur necesse est illam per funes ingredientium tarditatem. Itaque & stratũ militari labore iter sæpe deserimus cõpendio ducti, & si rectum limitem rupti torrentibus pontes inciderint, circuire cogemur: & si ianua tenebitur incendio, per parietem exibimus. Latè fusum opus est, & multiplex, & propè quotidie

Rem declarat similitudinibus, ex statuaria & pictura.

Antigonus Appellis.

Timantes.

In Igurtha

Catholicis præceptis nõ semper insistendũ sicut neq; ars per se vbique est satis.

nouum, & de quo nunquam dicta erunt omnia. Quæ sunt tamen tradita, quid ex his optimum, & si qua mutari, adijci, detrahi, melius videbitur, dicere experiar.

¶ Rhetorices etymon, & totius operis diuisio. Cap. XV.

RHetoricen in Latinũ transferentes, tum oratoriam, tum oratricem nominauerũt. Quos equidẽ non fraudauerim debita laude, quòd copiã Romani sermonis augere tentauerũt. Sed non omnia nos ducentes ex Græco sequuntur, sicut ne illos quidẽ, quoties suis vtique verbis signare nostra voluerũt: & hæc interpretatio nõ minus dura est, quàm illa* Plauti essentia, atque entia, sed ne propria quidẽ. Nam oratoria sic effertur vt elocutoria, oratrix vt elocutrix. Illa autẽ de qua loquimur rhetorice talis est, qualis eloquẽtia. Nec dubie apud Græcos quoque duplicem intellectũ habet. Námq; vno modo fit appositum ars rhetorica, vt nauis piratica: altero nomen rei, qualis est philosophia, amicitia. Nos ipsam nunc volumus significare substantiam, vt grammatice literatura est non literatrix, quemadmodũ oratrix, nec literatoria quemadmodum oratoria. Verum in rhetorice non sic. Ne pugnemus igitur cũ præsertim plurimis alioqui Græcis sit vtendum. Nam certè physicos, musicos, & geometras dicam, ne vim afferã ijs nominibus, indecora in latinum sermonẽ mutatione. Denique cum M. Tullius etiam ipsis librorum, quos de hac re primũ scripserat, titulis græco nomine vtatur, profecto non est verendum, ne temerè videamur oratori maximo de nomine artis suæ credidisse. ¶ Igitur rhetorice (iam enim sine metu cauillationis vtemur hac appellatione) sic, vt opinor, optime diuidetur, vt de arte, de artifice, de opere dicamus. [Ars erit, qua disciplina percipi debet: ea est, bene dicendi scientia. [Artifex, qui percipit hanc artem, id est, orator, cuius est summa, bene dicere. [Opus, quod efficitur ab artifice, id est, bona oratio. Hæc omnia rursus diducuntur in species. Sed illa sequentia suo loco, nunc quæ de prima parte tractanda sunt, ordiar.

Plauij essentia & entia.

Rhetorices diuisio.

¶ Quid sit rhetorice, & quis eius finis. Cap. XVI.

ANte omnia quid sit rhetorice: quæ finitur quidem varie, sed quæstionem habet duplicem: aut enim de qualitate ipsius rei, aut de cõprehensione verborũ dissensio est. Prima ac præcipua opinionũ circa hoc differẽtia, quòd alij malos quoq; viros posse oratores dici putant, alij (quorũ

nos ſententiæ accedimus) nomen hoc, artémq;, de qua loquimur, bonis demum tribui volũt. ¶Eorum autem, qui dicendi facultatẽ à maiore, ac magis expetenda vitæ laude ſecernũt, quidam rhetoricen vim tantum, quidam ſcientiã, ſed nõ virtutem, quidam vſum, quidam artem quidem, ſed à ſcientia, & virtute diſiunctam, quidã etiam prauitatem quandam artis, id eſt, κακοτεχνίαν nominauerunt. [Hi ferè aut in perſuadendo, aut in dicendo appoſite ad perſuadendum, poſitum orandi munus ſunt arbitrati. id enim fieri poteſt ab eo quoque, qui vir bonus non ſit. Eſt igitur frequentiſſimus finis Rhetorices vis perſuadendi. Quod ego vim appello, plerique poteſtatem, nonnulli facultatem vocant: quæ res ne quid afferat ambiguitatis, vim dico τὴν δύναμιν. Hæc opinio originem ab Iſocrate (ſi tamen re vera ars, quæ circumfertur, eius eſt) duxit. Qui cum longe ſit à voluntate infamantium oratoris officia, finem artis temerè comprehendit, dicens eſſe rhetoricen perſuadendi opificem, id eſt, πιθοῦς δημιουργόν. Neq; enim mihi permiſerim eadem vti declinatione, qua Ennius M. Cethegum Suadai medullam vocat. [Apud Platonem quoque Gorgias in libro, qui nomine eius inſcriptus eſt, idem ferè dicit: ſed hanc Plato illius opinionem vult accipi, non ſuam. [Cicero pluribus locis ſcripſit, oratoris officium eſſe, dicere appoſitè ad perſuadendum. In Rhetoricis etiam, quos ſine dubio ipſe non probat, finem facit perſuadere. Verum & pecunia perſuadet, & gratia, & authoritas dicẽtis, & dignitas, poſtremo aſpectus etiã ipſe ſine voce, quo vel recordatio meritorum cuiuſq;, vel facies aliqua miſerabilis, vel formæ pulchritudo ſententiam dictat. Nam & M. Aquilium defendens Antonius cũ ſciſſa veſte cicatrices, quas is pro patria pectore aduerſo ſuſcepiſſet, oſtendit, non orationis habuit fiduciam, ſed oculis Populi Romani attulit vim: quẽ illo ipſo aſpectu maximè motũ in hoc vt abſolueret reum, creditum eſt. Seruium quidem Galbam miſeratione ſola, qua non ſuos modo liberos paruulos in concionem produxerat, ſed Galli etiam Sulpitij filium ſuis ipſe manibus circũtulerat, elapſum eſſe cum aliorum monumentis, tum Catonis oratione teſtatum eſt. Et Phrynen non Hyperidis actione quãquam admirabili, ſed cõ ſpectu corporis, quod illa ſpecioſiſſimũ alioqui diducta nudauerat tunica, putant periculo liberatã. Quæ ſi omnia perſuadent, non eſt hic, de quo locuti ſumus, idoneus finis. [Ideóque

Refert varias opiniones.

Rhetorice vis perſuadendi.

De Orat. 1.

diligẽtiores ſunt viſi ſibi, qui cũ de Rhetorice idem ſentirent, exiſtimarunt eam, vim dicendo perſuadendi. Quem finem Gorgias in eodem de quo ſupra diximus, libro, velut coactus à Socrate facit. [A quo non diſſentit Theodectes, ſiue ipſius id opus eſt, quod de rhetorice nomine eius inſcribitur: ſiue, vt creditum eſt, Ariſtotelis. in quo eſt, finẽ eſſe rhetorices, ducere homines dicendo in id, quod actor velit. Sed ne hoc quidem ſatis eſt comprehenſum. Perſuadent enim dicendo, vel ducunt in id quod volunt, alij quoq;, vt meretrices, adulatores, corruptores. At contrà non perſuadet ſemper orator, vt interim non ſit proprius hic finis eius, interim ſit cõmunis cum ijs, qui ab oratore procul abſunt. [Atqui non multum ab hoc fine abeſt Appollodorus, dicens iudicialis orationis primum & ſuper omnia eſſe, perſuadere iudici, & ſententiã eius ducere in id quod velit. Nam & ipſe oratorẽ fortunæ ſubijcit, vt ſi non perſuaſerit, nomen ſuum retinere non poſſit. [Quidam receſſerunt ab euentu, ſicut Ariſtoles, qui dicit, Rhetorice eſt vis inueniendi omnia in oratione perſuadibilia. Qui finis & illud vitium, de quo ſupra diximus, habet: & inſuper, quòd nihil niſi inuentionem complectitur, quæ ſine elocutione non eſt oratio. [Hermagoræ, qui finem eius eſſe ait perſuadibiliter dicere, & alijs, qui eandem ſententiam non ijſdem tamen verbis explicant, ac finem eſſe demonſtrant, dicere quæ oporteat omnia ad perſuadendũ, ſatis reſponſum eſt, cum perſuadere non tantum oratoris eſſe conuicimus. [Addita ſunt his alia variè. Quidam enim circa res omnes, quidam circa ciuiles modo verſari Rhetoricen putauerunt, quorum verius vtrũ ſit, in eo loco, qui huius quæſtionis proprius eſt, dicã. [Omnia ſubieciſſe oratori videtur Ariſtoteles, cum dixit vim eſſe dicendi, quid in quaq; re poſſit eſſe perſuadibile. [Et Patrocles, qui non quidẽ adijcit in quaque re, ſed nihil excipiendo idem oſtẽdit, vim enim vocat inueniẽdi, quod ſit in oratione perſuadibile, qui fines & ipſi ſolam cõplectuntur inuentionẽ. [Quod vitium fugiens Theodorus, vim putat inueniendi, & eloquendi cum ornatu credibilia in omni oratione. Sed cum eodem modo credibilia, quo perſuadibilia etiã non orator inueniat, adijciendo in omni oratione, magis quàm ſuperiores cõcedit ſcelera quoque perſuadentibus, pulcherrimæ rei nomen. [Gorgias apud Platonem, perſuadendi ſe artificẽ in iudicijs & alijs cœtibus eſſe ait, de iuſtis quoque & iniuſtis tractare, cui

Socrates persuadendi non docendi cõcedit facultatẽ. ¶Qui vero non omnia subijciebant oratori, solicitius ac verbosius, vt necesse erat, adhibuerunt discrimina: quorum fuit Ariston Critolai Peripatetici discipulus, cuius hic finis est, scientia videndi, & agendi in quæstionibus ciuilibus per orationem popularis persuasionis. Hic scientiam, quia Peripateticus est, non, vt Stoici, virtutis loco ponit: popularem autem comprehendendo persuasionem, etiam cõtumelioſus est aduersus artem orandi, quam nihil putat doctis persuasuram. Illud de omnibus, qui circa ciuiles demum quæstiones oratorem iudicant versari, dictũ sit, excludi ab his plurima oratoris officia, illã certè laudatiuam totã, quæ est rhetorices pars tertia. ¶Cautius Theodorus Gadaræus, vt iam ad eos veniamus qui artem quidẽ esse eam, sed non virtutem, putauerunt. Ita enim dicit (vt ipsis eorum verbis vtar, qui hoc ex græco transtulerunt) Ars inuentrix & iudicatrix & enunciatrix decente ornatu secundum mentionẽ eius quod in quoque potest sumi persuadibile in materia ciuili. [Itémque Cornelius Celsus, qui finẽ Rhetorices ait, dicere persuadibiliter in dubia vel ciuili materia. [Quibus sunt non dissimiles, qui ab alijs traduntur, qualis est & ille, Vis vidẽdi & eloquẽdi de rebus ciuilibus subiectis sibi, cum quadã persuasione, & quodã decenti corporis habitu, & eorũ quæ dicet, pronunciatione. Mille alia, sed aut eadem, aut ex ijsdem composita: quibus item cum de materia Rhetorices dicendum erit, respondebimus. ¶Quidam eam neque vim, neque scientiam, neque artem putauerunt. Sed Critolaus vsum dicendi: nam hoc ξιβὴ significat. Athenæus fallendi artem. Plerique autem dum pauca ex Gorgia Platonis, à prioribus imperitè excerpta, legere contenti, neque hoc totum, neq; alia eius volumina euoluunt, in maximum errorẽ inciderunt: credúntque eum in hac esse opinione, vt Rhetoricen non artem, sed peritiam quandam gratiæ ac voluptatis existimet, & alio loco ciuilitatis particulæ simulacrũ, & quartam partem adulationis: quòd duas partes ciuilitatis corpori assignet, medicinam & quam interpretantur exercitatricem: duas animo, legalem atque iustitiam. Adulationem autẽ medicinæ, vocet coquorum artificium: & exercitatricis mangonum, qui colorem fuco, & verum robur inani sagina mentiantur: legalis, cauillatricem: iustitiæ, Rhetoricen. Quæ omnia sunt quidem scripta in hoc libro, dictáque à Socrate, cu-

Rhetorice: scientia.

Rhetorice ars.

Rhetorice vsus dicẽdi.

Rhetorice κακοτεχνίαι falso ex Platone.

ius persona videtur Plato significare quid sentiat. Sed alij sũt eius sermones ad coarguendos qui contrà disputant cõpositi, quos ἐλεγκτικοὺς vocãt: alij ad præcipiendũ, qui δογματικοὶ appellantur. Socrates autẽ, seu Plato eam quidẽ, quæ tũ exercebatur Rhetoricẽ, talẽ putauit: nã & dicit his verbis ἐοῦσαν τὸν τρόπον, ὃν ὑμεῖς πολιτεύεσθε. Nõ autẽ verã & honestã intelligit. Itaq; disputatio illa cõtra Gorgiã ita claudit, οὐκοῦν ἀνάγκη τὸν ῥητορικὸν δίκαιον εἶναι, τὸν δὲ δίκαιον βούλεσθαι δίκαια καὶ πράττειν. Ad quod ille quidẽ conticescit, sed sermonẽ suscipit Polus iuuenili calore incõsideratior, cõtra quẽ illa de simulacro & adulatiõe dicũtur. Tũ Callicles adhuc cõcitatior, qui tamẽ ad hanc perducitur clausulã, τὸν μέλλοντα ὀρθῶς ῥητορικὸν ἔσεσθαι, δίκαιον ἄρα δεῖ εἶναι, καὶ ἐπιστήμονα τῶν δικαίων. vt appareat Platoni nõ Rhetoricen videri malũ, sed eã verã nisi iusto ac bono nõ cõtingere. Adhuc autẽ in Phædro manifestius facit hãc artẽ cõsũmari citra iustitiæ quoq; scientiã nõ posse: cui opinioni nos quoq; accedim⁹. An aliter defensionẽ Socratis & eorũ q ꝓ patria ceciderãt, laudẽ scripsisset? q̃ certè sũt oratoris opera. Sed in illud hominũ gen⁹, quod facultate dicẽdi malè vtebat inuect⁹ est. Nã & Socrates inhonestã sibi credidit orationem, quã ei Lysias reo cõposuerat: & tum maximè scribere litigatoribus quæ illi ꝓ se ipsi dicerẽt, erat moris: atq; ita iuri, quo nõ licebat ꝓ altero agere, fraus adhibebatur. Doctores quoq; eius artis parũ idonei Platoni videbãtur qui rhetoricẽ à iustitia separarẽt, & veris credibilia præferrẽt. Nã id quoq; dicit in Phædro. [Cõsensisse autẽ illis superioribus videri potest etiã Cornelius Celsus: cuius hæc verba sunt, Orator simile tantũ veri petit. Deinde paulò pòst, Nõ enim bona cõscientia, sed victoria litigantis est præmium. Quæ si vera essent, pessimorũ hominũ foret, hæc tam perniciosa nocentissimis moribus dare instrumenta, & nequitiã præceptis adiuuare. Sed illi rationẽ opinionis suæ viderint. ¶ Nos autem ingressi formare perfectũ oratorem, quem in primis esse bonum virum volumus, ad eos, qui de hoc opere melius sentiunt, reuertamur. Rhetoricen autem quidã eandem ciuilitatem esse iudicauerunt. Cicero scientiæ ciuilis partẽ vocat, ciuilis autẽ scientia idem quod sapientia est. Quidã etiam philosophiæ, quorum est Isocrates. Huic eius substantiæ maximè conuenit finitio, rhetoricen esse benè dicendi scientiã. Nam & oratiõis oẽs virtutes simul cõplectitur, & ꝓtinus mores etiã oratoris, cũ benè dicere nõ possit, nisi vir bon⁹. Idẽ valet Chrysippi finis ille ductus à Cleãthe, sciẽtia rectè dicẽdi. Sũt plures

Quid sit rhetorice secundum veras opiniones.

eiuſdē, ſed ad alias quæſtiōes magis ꝑtinent. Idē ſentiret finis hoc modo cōprehēſus, ꝓſuadere quod oporteat, niſi q̄ artē ad exitū alligat. At bene Areus, dicere ſecundū virtutē orationis. Excludūt à rhetorice malos, & illi q̄ ſcientiā ciuiliū officiorū eā putauerūt, ſi ſciētiā virtutē iudicāt: ſed anguſte intrāq; ciuiles q̄ſtiones coercēt. Albutius nō obſcurus ꝓfeſſor atq; author ſciētiā bene dicēdi eſſe cōſentit: ſed exceptiōib⁹ peccat, adijciēdo circa ciuiles quæſtiōes, & credibiliter, quarū iam vtriq; reſpōſū eſt. Probabilis & illi volūtatis, q̄ recte ſētire, & dicere, rhetorices finē putauerūt. [Hi ſūt ferè fines maxime illuſtres, & de quib⁹ p̄cipue diſputaṫ. Nā oēs quidē ꝓſequi, nec attinet nec poſſū: cū prauū quoddā (vt arbitror) ſtudiū circa ſcriptores artiū extiterit, nihil ijſdē verbis q̄ prior aliq̄s occupaſſet, finiēdi, q̄ ambitio ꝓcul aberit à me. [Dicā em̄ nō vtiq; q̄ inuenero, ſed q̄ placebūt: ſicut hoc, Rhetoricen eſſe benè dicēdi ſciētiā, cū reperto quod eſt optimū, q̄ quærit aliud, peius velit. His approbatis, ſimul manifeſtū eſt illud quoq;, quē finē, q̄d ſummū & vltimū habeat, quod τέλος diciṫ, ad quod omnis ars tendit. Nā ſi eſt ipſa benè dicēdi ſciētia, finis eius & ſummū eſt, benè dicere.

Rhetorice bene dicendi ſcientia. Finis eius, bene dicere

¶ An vtilie ſit rhetorice. Cap. X V I.

SEquiṫ quæſtio, an vtilis rhetorice. Nā quidā vehemēter in eā īuehi ſolēt: & quod ſit īdigniſſimū, in accuſationē oratiōis vtūtur orādi virib⁹, eloquētiā eſſe q̄ pœnis eripiat ſceleſtos, cui⁹ fraude dānenṫ interim boni, cōſilia ducanṫ in pei⁹, nec ſeditiōes modo, turbæq; populares, ſed bella etiā inexpiabilia excitētur: cui⁹ deniq; tū maximè ſit vſus, cū ꝓ falſis cōtra veritatē valet. Nā & Socrati obijciūt comici, docere eū quomodo peiorē cauſam meliorem faciat, & cōtra Liſiam & Gorgiā ſimilia dicit polliceri Plato. Et his adijciūt exēpla Grę-corū Romanorúmq;, & enumerāt, qui pernicioſa nō ſingulis tantū, ſed rebus etiā publicis, vſi eloquētia, turbauerint ſtatus ciuitatū, vel euerterint. Eóque & Lacedæmoniorū ciuitate expulſam, & Athenis quoq;, vbi actor mouere affect⁹ vetabaṫ, velut reciſā orādi poteſtatē. [Quo quidē modo nec duces erūt vtiles, nec magiſtrat⁹, nec medicina, nec deniq; ipſa ſapiētia. Nā & dux Flamini⁹, & Gracchi, Saturnini, Glauciæ magiſtrat⁹, & in medicinis venena, & ī ijs q̄ philoſophorū noīe malè vtūṫ, grauiſſima nōnunq̄ flagitia deprehēſa ſūt. Cibos aſpnemur, attulerūt ſæpe valetudinis cauſas. nunq̄ tecta ſubeam⁹, ſup habitantes aliquādo ꝓcumbūt. Nō fabriceṫ militi gladi⁹, poteſt vti

comici, vt Ariſtopha. in Nebulis.

Refutatio calumniæ, quā exemplis probat.

eodem ferro latro. Quis neſcit ignes, aquas, ſine quibus nulla ſit vita, &(ne terrenis immorer) ſolem lunámque præcipua ſiderum, aliquando etiam nocere? Num igitur negabitur deformem Pyrrhi pacem Cæcus ille Appius dicendi viribus diremiſſe? Aut non diuina M. Tullij eloquentia, & contra leges agrarias popularis fuit? & Catilinæ fregit audaciã? & ſupplicationes, qui maximus honor victoribus bello ducibus datur, in toga meruit? Nónne perterritos militum animos frequenter à metu reuocat orator, & tot pugnandi pericula ineuntibus laudem vita potiorẽ eſſe perſuadet? Nec vero me Lacedæmonij aut Atheniẽſes magis mouerint, quàm populus Romanus, apud quem ſumma ſemper oratoribus dignitas fuit. Equidem nec vrbium conditores reor aliter effecturos fuiſſe, vt vaga illa multitudo coiret in populos, niſi docta voce cõmota, nec legum repertores ſine ſumma vi orandi conſecutos, vt ſe ipſi homines ad ſeruitutẽ iuris aſtringerent. Quin ipſa vitæ præcepta, etiam ſi natura ſunt honeſta, plus tamen ad formandas mentes valent, quoties pulchritudinem rerum claritas orationis illuminat. Quare etiã ſi in vtramque partem valent arma facundiæ, non tamen eſt æquum id haberi malum, quo benè vti licet. ¶ Verum hæc apud eos forſitan quærantur, qui ſummam rhetorices ad perſuadendi vim retulerunt. Si vero eſt bene dicendi ſcientia, quem nos finem ſequimur, vt ſit orator in primis vir bonus, vtilem certe eſſe eam confitendum eſt. Et hercle Deus ille princeps, parens rerum, fabricatórq; mundi, nullo magis hominẽ ſeparauit à cæteris (quæ quidẽ mortalia eſſent)animalibus, quàm dicendi facultate. Nam corpora quidem magnitudine, viribus, firmitate, patientia, velocitate præſtantiora in illis mutis videmus, eadem minus egere acquiſitæ extrinſecus opis. Nam & ingredi citius, & paſci, & tranare aquas, citra docentem natura ipſa ſciunt. Et pleraq; contra frigus ex ſuo corpore veſtiuntur, & arma ijs ingenita quædam, & ex obuio ferè victus, circa quæ omnia multus hominibus labor eſt. Rationem igitur nobis præcipuam dedit, eiúſque nos ſocios eſſe cum dijs immortalibus voluit. Sed ipſa ratio neque tam nos iuuaret, neque tam eſſet in nobis manifeſta, niſi quæ cõcepiſſemus mente, promere etiam loquendo poſſemus: quod magis deeſſe cæteris animalibus, quàm intellectum & cogitationem quandam videmus. Nam & moliri cubilia, & nidos texere, & educare fœtus, & excludere, quin etiã

Eloquentiæ laus.

reponere in hyemem alimenta, opera quædam nobis inimitabilia, qualia sunt cæratum & mellis, efficere, nõnullius fortasse rationis est: sed quia carent sermone quæ id faciunt, muta atque irrationabilia vocantur. Denique homines, quibus negata vox est, quantulum adiuuat animus ille cælestis? [Quare si nihil à dijs oratione melius accepimus, quid tam dignũ esse cultu ac labore ducamus, aut in quo malimus præstare hominibus, quàm quo ipsi homines cæteris animalibus præstent? Eo quidem magis, quòd nulla parte plenius labor gratiam refert. Id adeo manifestum erit, si cogitauerimus, & vnde,& quousq; iam prouecta sit orandi facultas,& adhuc augeri potest. Nam vt omittã defendere amicos, regere consilijs senatum,populum, exercitum in quæ vult ducere,quàm sit vtile, conueniátque bono viro, nónne pulchrum vel hoc ipsum est, ex communi intellectu verbísque, quibus vtuntur omnes, tantum assequi laudis & gloriæ, vt non loqui & orare, sed quod Pericli contigit,fulgurare ac tonare videaris?

¶An rhetorice sit ars. Cap. XVIII.

FInis non erit si expatiari parte in hac,& indulgere voluptati velim. Transeamus igitur ad eam quæstiõnem quæ sequitur,an rhetorice ars sit. Quod quidẽ adeo ex ijs qui præcepta dicendi tradiderũt, nemo dubitauit,vt etiam ipsis librorum titulis testatum sit, scriptos eos esse de arte Rhetorica: Cicero vero etiam eam quæ Rhetorice vocetur, esse artificiosam eloquentiam dicat. Quod non oratores tantum vindicauerũt,vt studijs aliquid suis præstitisse videantur: sed cum ijs Philosophi, & Stoici,& Peripatetici plerique consentiunt. [Ac me dubitasse confiteor, an hanc partem quæstionis tractandam putarem. Nam quis est adeo non ab eruditione modo,sed à sensu remotus hominis,vt fabricãdi quidem & texendi, & è luto vasa ducendi artem putet, Rhetoricen autem maximum ac pulcherrimum(vt supra diximus) opus, in tam sublime fastigium existimet sine arte venisse? Equidem illos,qui contra disputarũt,non tam id sensisse quod dicerent, quàm exercere ingenia materiæ difficultate credo voluisse:sicut Polycratem cum Busirim laudaret, & Clytemnestram: quanquam is, quod his dissimile non esset, composuisse orationem, quæ est habita contra Socratem, dicitur. [Quidam naturalem esse Rhetoricen volunt, & tamen adiuuari exercitatione non diffitentur.vt in libris Ciceronis de

Rhetori. 1.

Oratore dicit Antonius, obſeruationem quandam eſſe, non artem. Quod non ideo, vt pro vero accipiamus, eſt poſitum, ſed vt Antonij perſona ſeruetur, qui diſſimulator artis fuit.

Refert varias argumẽtationes contra artem, & eaſdẽ ſoluit.

¶Hanc autem opinionem habuiſſe Lyſias videtur, cuius ſententiæ talis defenſio eſt, quòd indocti, & barbari, & ſerui pro ſe quum loquũtur, aliquid dicãt ſimile principio, narrent, probent, refutent, & (quod vim habeat epilogi) deprecentur. [Deinde adijciunt illas verborum cauillationes: Nihil quod ex arte fiat, ante artem fuiſſe: atqui dixiſſe homines pro ſe, & in alios ſemper, doctores artis ſerò iam & circa Tiſiam & Coraca primum repertos: orationem igitur ante artem fuiſſe, eóque artem non eſſe. Nos porrò quãdo cœperit huius rei doctrina, non laboramus exquirere, quanquam apud Homerum, & præceptorem Phœnicem, tum agendi, tum etiam eloquendi, & oratores plures, & omne in tribus ducibus orationis genus, & certamina quoque propoſita eloquentiæ inter iuuenes inuenimus: quin in cælatura clypei Achillis & lites ſũt, & actores. Illud enim admonere ſatis eſt, omnia quæ ars cõſummarit, à natura initia duxiſſe. Aut tollatur medicina, quæ ex obſeruatione ſalubrium, atque his contrariorum reperta eſt, & vt quibuſdã placet, tota cõſtat experimẽtis. Nam & vulnus deligauit aliquis antequã hæc ars eſſet: & febrem quiete & abſtinentia, non quia rationem videbat, ſed quia id valetudo ipſa coegerat, mitigauit. Nec fabrica ſit ars: caſas enim primi illi ſine arte fecerunt: Nec muſica, cantatur ac ſaltatur per omnes gentes aliquo modo. Ita ſi rhetorice vocari debet ſermo quicunque, fuiſſe eam antequam eſſet ars, confitebor. Si vero non quiſquis loquitur orator eſt, & tum non tanquam oratores loquebantur, neceſſe eſt oratorem factum arte, nec ante artem fuiſſe fateantur. [Quo illud quoque excluditur, quod dicunt, nõ eſſe artis id, quod faciant qui non didicerint: dicere autem homines, & qui non didicerunt. Ad cuius rei confirmationem afferũt, Demadem remigem & Aeſchinem hypocriten oratores fuiſſe, falſò. Nam neque orator eſſe qui non didicit, poteſt: & hos ſero potius quàm nunquã didiciſſe quis dixerit: quanquam Aeſchines ab initio ſit verſatus in literis, quas pater eius etiam docebat. Demadem neque non didiciſſe certum ſit, & continua dicendi exercitatio potuerit tantum, quantuſcunque poſtea fuit, feciſſe. Nam id potentiſſimum diſcendi genus eſt. Sed adhuc præſtantiorem, ſi di-

X
1 Iſia. 9. Iſia. 15. Iſia. 18.
2
3

diciſſet,futurum fuiſſe dicere licebit. Neque enim orationes ſcribere eſt auſus, vt eum multũ valuiſſe in dicendo ſciamus. [Ariſtoteles, vt ſolet, quærendi gratia quædã ſubtilitatis ſuæ argumenta excogitauit in Gryllo:ſed idem & de arte rhetorica tres libros ſcripſit, & in eorũ primo non artem ſolum eam fatetur,ſed ei particulam ciuilitatis,ſicut dialecticis,aſſignat. [Multa Critolaus cõtrà,multa Rhodius Athenodorus. Agnon quidem detraxit ſibi inſcriptione ipſa fidem, qua rhetorices accuſationem profeſſus eſt. Nam de Epicuro, qui diſciplinas omnes fugit,nihil miror. Hi cõplura dicunt, ſed ex paucis locis ducta. Itaque potentiſſimis eorum breuiter occurrã, ne in infinitũ quæſtio euadat. ¶ Prima his argumentatio ex materia eſt. Omnes enim artes aiunt habere materiã, quod eſt verum: Rhetorices nullam eſſe propriã, quod eſſe falſum in ſequentibus probabo. [Altera eſt calumnia,nullam artem falſis aſſentire opinionibus, quia conſtitui ſine præceptione non poſſit, quæ ſemper vera ſit:rhetoricen aſſentiri falſis, non eſſe igitur artem. Ego rhetoricen nonnunquã dicere falſa pro veris confitebor, ſed non ideo in falſa quoq; eſſe opinione concedam: quia longe diuerſum eſt ſibijpſi quid videri,& vt alij videatur efficere. Nam & imperator falſis vtitur ſæpe,vt Hannibal,cũ incluſus à Fabio ſarmentis circum cornua boum deligatis,incenſiſque,per noctem in aduerſos montes agens armẽta, ſpeciem hoſti abeuntis exercitus dedit:ſed illũ fefellit, ipſe quid verum eſſet,nõ ignorauit. Nec verò Theopompus Lacedæmonius, cum permutato cum vxore habitu è cuſtodia, vt mulier euaſit,falſam de ſe opinionem habuit,ſed cuſtodibus præbuit. Item orator cum falſo vtitur pro vero, ſcit eſſe falſum, eóque ſe pro vero vti:non ergo falſam habet ipſe opinionẽ,ſed fallit alium. Nec Cicero quũ ſe tenebras offudiſſe iudicibus in cauſa Cluentij gloriatus eſt,nihil ipſe vidit. Et pictor cum vi artis ſuæ efficit,vt quædam eminere in opere, quædã receſſiſſe credamus,ipſe ea plana eſſe non neſcit. [Aiunt etiam omnes artes habere finem aliquem propoſitum ad quem tendant:hunc modo nullũ eſſe in rhetorice,modo non præſtari eum qui promittatur,mentiuntur. Nos enim eſſe finem iam oſtendimus,& quis eſſet diximus. præſtabit hunc ſemper orator,ſemper enim benè dicet. Firmum autem hoc,quod opponitur aduerſus eos fortaſſe ſit, qui perſuadere finem putauerunt. Noſter orator, árſque à nobis finita,nõ ſunt poſita in euentu. Tendit quidem

4

Contra Critolaum & Athenodorũ.

5

6

ad victotiam qui dicit,ſed cum bene dixit,etiamſi nõ vincat, id quod arte continetur,effecit.Nam & gubernator vult ſalua naue in portũ peruenire: ſi tamen tempeſtate fuerit abreptus, non ideo minus erit gubernat or,dicẽtque notum illud,Dum clauum rectum teneam . Et medicus ſanitatem ægri petit : ſi tamen aut valetudinis vi, aut intemperantia ægri, aliõve quo caſu ſumma non contigit, dum ipſe omnia ſecundum rationem fecerit, medicinæ fine non excidit. Ita oratori benè dixiſſe finis eſt. Nam eſt ars ea , vt poſt paulum clarius oſtendemus, in actu poſita,non in effectu.[Ita falſum erit illud quoq; quod dicitur , Artes ſcire quando ſint finem conſecutæ , rhetoricen neſcire . Nam ſe quiſque benè dicere intelligit . Vti etiam vitijs rhetoricen , quod ars nulla faciat, criminantur : quia & falſum dicat, & affectus moueat. Quorum neutrũ eſt turpe,cum ex bona ratione proficiſcitur,ideõque nec vitium. Nam & mendaciũ dicere, etiam ſapienti aliquãdo cõceſſum eſt:& affectus,ſi aliter ad æquitatem perduci iudex non poterit,neceſſario mouebit orator. Imperiti enim iudicant,& qui frequenter in hoc ipſum fallendi ſunt,ne errent.Nam ſi mihi ſapientes iudices dentur , ſapientum conciones , atque omne concilium, nihil inuidia valeat,nihil gratia, nihil opinio præſumpta, falſiq; teſtes, perquã ſit exiguus eloquentiæ locus,qui propè in ſola delectatione ponatur . Sin & audientiũ mobiles animi , & tot malis obnoxia veritas , arte pugnandum eſt , & adhibenda quæ proſunt:nec enim qui recta via depulſus eſt, reduci ad eam,niſi alio flexu poteſt. [Plurima verò ex eo contra rhetoricen cauillatio eſt, quòd ex vtraque cauſæ parte dicatur. Inde hoc,nullam eſſe artem ſibi contrariam,rhetoricã eſſe contrariã ſibi. Nullã artem deſtruere quod effecerit,accidere hoc rhetorices operi. Item,aut dicenda eam docere, aut non dicenda. Itaque vel per hoc non eſſe artem quòd non dicenda præcipiat, vel per hoc ,quòd cum dicenda præceperit, etiam contraria his doceat. [Quæ omnia apparet de ea rhetorice dici,quæ ſit à bono viro,atque ab ipſa virtute ſeiuncta: alioqui vbi iniuſta cauſa eſt , ibi rhetorice non eſt : adeo vt vix ex admirabili quodam caſu poſſit accidere,vt ex vtraque parte orator, id eſt vir bonus,dicat. Tamen quoniã hoc quoque in rerum naturam cadit , vt duos ſapientes aliquando iuſtæ cauſæ in diuerſum trahant, quando etiam pugnaturos inter ſe eos ſi ratio ita duxerit,credunt: reſpondebo propoſitis,

8 Hæc pro-
9 ponit ſi-
10 mul,de-
inde or-
dine ſol-
uit.

atque ita quidē, vt appareat hęc aduerſus eos quoque fruſtra excogitata,qui malis moribus nomē oratoris indulgent.Nam rhetorice non eſt cōtraria ſibi:cauſa enim cum cauſa, nō illa ſecum ipſa componitur.Nec ſi pugnent inter ſe qui idem didicerūt, idcirco ars,quæ vtriq; tradita eſt,nō erit.Alioqui nec armorum, quia ſæpe gladiatores ſub eodem magiſtro eruditi inter ſe cōponuntur:Nec gubernandi, quia naualibus prælijs gubernator eſt gubernatori aduerſus: Nec imperatoria, quia imperator cum imperatore contendit.Item non euertit opus rhetorice quod efficit.neque enim poſitum à ſe argumentum ſoluit orator, ſed ne rhetorice quidem.Quia apud eos,qui in perſuadendo finem putant,aut ſi quis(vt dixi)caſus,duos inter ſe bonos viros compoſuerit, veriſimilia quærentur. Non autem ſi quid eſt altero credibilius,id ei contrarium eſt,quod fuit credibile.Nam vt candido candidius,& dulci dulcius nō eſt aduerſum,ita nec probabili probabilius. Nec præcipit vnquam non dicenda, nec dicendis contraria, ſed quæ in quaque cauſa dicenda ſunt.Non ſemper autem,etiam ſi frequentiſſimè, veritas tuenda erit, ſed aliquando exigit communis vtilitas, vt etiam falſa defendantur. [Ponuntur hæc quoque 11
in ſecundo Ciceronis de Oratore libro contradictiones: artem earum rerum eſſe quæ ſciantur : oratoris omnem actionem opinione non ſcientia contineri : quia & apud eos dicat qui neſciant,& ipſe dicat aliquando quæ neſciat. Ex his alterum,id eſt,an ſciat iudex de quo dicatur,nihil ad oratoris artem:alteri reſpondendum. Ars earum rerū eſt, quæ ſciuntur, rhetorice eſt ars benè dicendi,benè autem dicere ſcit orator. [Sed neſcit an verū ſit, quod dicit.Ne hi quidem qui ignem, 12
aut aquā, aut quatuor elementa, aut corpora inſecabilia eſſe, ex quibus res omnes initium duxerūt, tradunt:nec qui interualla ſiderum,& menſuras ſolis ac terræ colligunt, diſciplinā tamen ſuam artem vocant. Quòd ſi ratio efficit, vt hæc non opinari, ſed propter vim probationū ſcire videantur,eadem ratio idem præſtare oratori pōteſt. [Sed an cauſa vera ſit, neſcit.Ne medicus quidē, an dolorem capitis habeat qui hoc ſe pati dicet, curabit tamen tanquā id verū ſit, & erit ars medicina. Quid? quòd rhetorice non vtique propoſitum habet ſemper vera dicendi, ſed ſemper veriſimilia: ſcit autem eſſe veriſimilia quæ dicit. [Adijciunt his qui contra ſentiūt, quòd ſæpe quæ in alijs litibus impugnarunt actores cauſarū, eadem

in alijs defendant: quod non artis, ſed hominis eſt vitiũ. Hęc ſunt præcipua, quæ contra rhetoricen dicãtur. Alia & minora & tamen ex his fontibus deriuata. ¶Confirmatur autẽ eam eſſe artem breuiter. Nam ſiue (vt Cleãthes voluit) ars eſt poteſtas viam ac ordinem efficiens, eſſe certam viam atque ordinem in benè dicendo nemo dubitauerit: ſiue ille ab omnibus ferè approbatus finis obſeruatur, artem cõſtare ex præceptionibus conſentientibus, & coexercitatis ad finem vtilem vitæ, iam oſtendimus nihil non horum rhetoricę ineſſe. Quid? & inſpectione & exercitatione, vt artes cæteræ, conſtat. Nec poteſt ars non eſſe, ſi eſt ars dialectice, quod ferè conſtat: cum ab ea, ſpecie magis quàm genere differat. Sed nec illa omittenda ſunt, qua in re alius ſe inartificialiter, alius artificialiter gerat, in ea eſſe artem: & in eo quod qui didicerit, melius faciat quàm qui non didicerit, eſſe artem. Atqui non ſolum doctus indoctum, ſed etiam doctior doctum in rhetorices opere ſuperabit: nec eſſent eius aliter tam multa præcepta, támque magni qui docerent. Idque cum omnibus confitendũ eſt, tum nobis præcipuè, qui rationem dicendi à bonò viro non ſeparamus.

Rhetoricen artem eſſe confirmat.

¶Generalis diuiſio artium, & ex quibus ſit rhetorica. Cap. XIX.

CVm ſint autẽ artium aliæ poſitæ in inſpectione, id eſt, cognitione & æſtimatione rerũ, qualis eſt Aſtrologia, nullum exigens actum, ſed ipſo rei, cuius ſtudium habet, intellectu contenta, quæ θεωρητικὴ vocatur: aliæ in agendo, quarum in hoc finis eſt, & ipſo actu perficitur, nihílque poſt actum operis relinquit, quæ πρακτικὴ dicitur, qualis eſt ſaltatio: aliæ in effectu, que operis, quod oculis ſubijcitur, conſummatione finem accipiunt, quam Poeticen appellamus, qualis eſt pictura ferè: iudicandum eſt Rhetoricen in actu cõſiſtere. Hoc enim quod eſt officij ſui perficit, atque ita ab omnibus dictum eſt. [Mihi autem videtur etiam ex illis cæteris artibus multum aſſumere. Nam & poteſt aliquando ipſa res per ſe inſpectione eſſe cõtenta. Erit enim rhetorice in oratore etiam tacente, & ſi deſierit agere, vel propoſito, vel aliquo caſu impeditus, non magis deſinet eſſe orator, quàm medicus, qui curandi fecerit finem. Nam eſt aliquis, ac neſcio an maximus, etiam ex ſecretis ſtudijs fructus, ac tum pura voluptas literarum, cum ab actu, id eſt opere receſſerunt, & con-

Rhetorica actiua ſciẽtia eſt, vt actu conſiſtẽs. Aſſumit tamen & ex cæteris generibus nõ parũ, ita vt media videri poſſit.

templatione sui fruuntur. [Sed effectiuæ quoq; aliquid simile, scriptis orationibus, vel historijs, quod ipsum opus in parte oratoria meritò ponimus, cõsequetur. [Si tamen vna ex tribus artibus habenda sit, quia maximus eius vsus actu continetur, atque est in eo frequentissima, dicatur actiua, vel administratiua. Nam & hoc eiusdem rei nomen est.

¶Vtrum plus cõferat eloquentiæ ars, an natura. Cap. X X.

SCio quæri etiam, natura ne plus ad eloquentiam conferat, an doctrina. Quod ad propositum quidem nostri operis nihil pertinet, nec enim consummatus orator, nisi ex vtroque fieri potest, plurimum tamẽ referre arbitror, quam esse quæstionem in hoc loco velimus. Nam si parti vtrilibet omnino alteram detrahas, natura etiam sine doctrina multum valebit, doctrina nulla esse sine natura poterit. Sin ex pari coeant, in mediocribus quidem vtrisque maius adhuc naturæ credam esse momentum, consummatos autem plus doctrinæ debere quàm naturæ putabo. Sicut terræ nullã fertilitatem habenti nihil optimus agricola profuerit, è terra vberi vtile aliquid, etiam nullo colente, nascetur. At in solo fœcundo plus cultor, quàm ipsa per se bonitas soli efficiet. Et si Praxiteles signum aliquod ex molari lapide conatus esset exculpere, Parium marmor mallem rude. At si illud idem artifex expolisset, plus in manibus fuisset quàm in marmore. Denique natura materiæ, ars doctrinæ est. Hæc fingit, illa fingitur. Nihil ars sine materia: materiæ etiam sine arte precium est. Ars summa, materia optima melior.

¶An virtus sit rhetorica. Cap. X X I.

ILla quæstio est maior, an ex medijs artibus, quæ neque laudari per se, neque vituperari possunt, sed vtiles aut secus secundum mores vtentiũ fiunt, habenda sit Rhetorice: an sit, vt compluribus etiam philosophorum placet, virtus. Equidem illud quod in studijs dicendi plerique & exercuerunt & exercent, aut nullã artem, quæ ἀτεχνία nominatur, puto (multos enim video, sine ratione, sine literis, qua vel impudentia, vel fames duxit, ruentes) aut malã quasi artẽ, quam κακοτεχνίαν dicimus. Nã & fuisse multos, & esse nõnullos existimo, qui facultatẽ dicendi ad hominũ perniciem cõuerterũt. Ματαιοτεχνία quoq; est quædã, id est, superuacua artis imitatio, quæ nihil sanè nec boni nec mali habeat, sed vanũ laborẽ: qualis illius fuit, qui grana ciceris ex spatio distãti missa, in acũ cõ

Alex. Ma. de arte friuola iudicium.

tinuo & ſine fruſtratione inſerebat. Quẽ cum ſpectaſſet Alexander, donaſſe eum dicitur eiuſdẽ leguminis modio. Quod quidem præmiũ fuit illo opere digniſſimũ. His ego cõparandos exiſtimo, qui in declamationibus, quas eſſe veritati diſſimillimas volunt, ætatem multo ſtudio ac labore conſumunt.

Rhetorice eſt virtus.

¶ Verum hæc quã inſtituere conamur, & cuius imaginẽ animo cõcepimus, quæ bono viro cõuenit, quæque eſt vera Rhetorice, virtus erit. Quod philoſophi quidem multis & acutis concluſionibus colligunt: mihi vero etiam planiore hac, propriéque noſtra probatione videtur eſſe perſpicuũ. Ab his hæc dicuntur. [Si conſonare ſibi in faciendis ac non faciendis, virtutis eſt, quæ pars eius prudentia vocatur, eadem in dicẽdis ac non dicendis erit. [Et ſi virtutes ſunt, ad quas nobis etiam, antequã doceremur, initia quædam ac ſemina ſunt conceſſa natura, vt ad iuſtitiam, cuius ruſticis quoque ac barbaris apparet aliqua imago: nos certè ſic eſſe ab initio formatos, vt poſſemus orare pro bonis, etſi non perfecte, tamen vt ineſſent quædam (vt dixi) ſemina eius facultatis, manifeſtũ eſt. [Non eadem autem his natura artibus eſt, quæ à virtute ſunt remotæ. Itaque cum duo ſint genera orationis, altera perpetua, quæ rhetorice dicitur: altera conciſa, quæ dialectice: quas quidem Zeno adeo cõiunxit, vt hanc compreſſæ in pugnum manus, illam explicitæ diceret ſimilem, etiam diſputatrix virtus erit adeo de hac, quæ ſpecioſior atque apertior tanto eſt, nihil dubitabitur. [Sed planius hoc idem atque apertius intueri ex ipſis operibus volo. Nam quid orator in laudando faciet, niſi honeſtorum ac turpium peritus: aut in ſuadendo, niſi vtilitate perſpecta: aut in iudicijs, ſi iuſtitiæ ſit ignarus? [Quid? non fortitudinem poſtulat res eadem, cum ſæpè contra turbulentas populi minas, ſæpè cum periculoſa potentium offenſa, nonnunquam, vt in iudicio Miloniano, inter circumfuſa militum arma dicendum ſit? vt ſi virtus non eſt, ne perfecta quidem eſſe poſſit oratio. [Quòd ſi ea in quoque animalium eſt virtus, qua præſtat cætera vel pleraque, vt in leone impetus, in equo velocitas, hominem porrò ratione atq; oratione excellere cæteris certum eſt: cur non tam in eloquentia, quàm in ratione virtutem eius eſſe credamus? Rectéque hoc apud Ciceronem diſſerit Craſſus. Eſt enim eloquentia vna quædã de ſummis virtutibus. Et ipſe Cicero in ſua perſona, cum ad Brutũ in epiſtolis, tum etiam alijs locis, virtutẽ eam appellat.

Rhetoricæ & dialecticæ differentia ex Zenone.

[At proœmium aliquãdo & narrationem dicit malus homo, & argumẽta,ſic,vt nihil ſit in his requirendum.Nam & latro pugnabit acriter,virtus tamen erit fortitudo:& tormenta ſine gemitu feret malus ſeruus,tolerantia tamen doloris laude ſua non carebit.Multa fiunt eadẽ,ſed aliter.Sufficiant igitur hæc, quia de vtilitate ſuprà tractauimus.

¶Quæ ſit materia rhetorices. Cap.XXII.

MAteriam Rhetorices quidam dixerunt eſſe orationem , quam ſententiam ponit apud Platonem Gorgias. Quæ ſi ita accipitur,vt ſermo quacunque de re compoſitus dicatur oratio,non materia,ſed opus eſt:vt ſtatuarij,ſtatua: nam & oratio efficitur arte,ſicut ſtatua. Sin hac appellatione verba ipſa ſignificari putamus , nihil hæc ſine rerum ſubſtantia faciunt. [Quidam argumenta perſuadibilia: quæ & ipſa in parte ſunt operis, & arte fiunt , & materia egent.[Quidam ciuiles quæſtiones:quorum opinio non qualitate, ſed modo errauit. Eſt enim hæc materia rhetorices,ſed non ſola. [Quidam, quia virtus ſit rhetorice, materiam eius totam vitam vocant.[Alij,quia non omnium virtutum materia ſit tota vita,ſed pleræque earum verſentur in partibus, ſicut iuſtitia,fortitudo,continentia,proprijs officijs,& ſuo fine intelliguntur: Rhetoricen quoque dicunt in vna aliqua parte ponẽdam,eíque locum in Ethice negotialem aſſignant, id eſt πραγματικὸν.¶Ego(neque id ſine authoribus)materiã eſſe rhetorices iudico, omnes res quæcunque ei ad dicendum ſubiectæ erunt.Nam Socrates apud Platonem dicere Gorgiæ videtur,non in verbis eſſe materiam, ſed in rebus.Et in Phædro, palàm non in iudicijs modo & concionibus,ſed in rebus etiã priuatis ac domeſticis Rhetoricen eſſe demonſtrat. Quo manifeſtum eſt,hanc opinionem ipſius Platonis fuiſſe. Et Cicero quodam loco materiam rhetorices vocat res, quæ ſubiectæ ſunt ei,ſed certas demum putat eſſe ſubiectas:alio verò de omnibus rebus oratori dicendũ arbitratur, his quidem verbis, Quanquam vis oratoris profeſſióque ipſa benè dicendi hoc ſuſcipere ac polliceri videatur, vt omni de re quæcunque ſit propoſita,ornate ab eo copioſéque dicatur. Arq; adhuc alibi, Verum enim oratori,quæ ſunt in hominum vita(quandoquidem in ea verſatur orator,atque ea eſt ei ſubiecta materia)omnia quæſita,audita,lecta,diſputata,tractata, agitata eſſe debent. ¶Hanc autem quam nos materiam vocamus,id eſt res

Materia rhetorices.

De Orat. 1.

Ibidem.

De Orat. 3.

ſubiectas,quidam modo infinitam,modo non propriam rhetorices eſſe dixerunt, eámque artem circumcurrentem vocauerunt,quòd in omni materia diceret:cum quibus mihi minima pugna eſt. Nam de omni materia dicere eam fatẽtur,propriam habere materiam, quia multiplicem habeat, negant.

Soluit diuerſas opiniones.

[Sed nec infinita eſt,etiam ſi eſt multiplex:& aliæ quoque artes minores habent multiplicem materiam,velut architectonice.Nanque ea in omnibus,quæ ſunt in ædificio vtilia verſatur.Et cælatura,quæ auro,argẽto,ære,ferro,opera efficit. Nam ſculptura etiam lignum,ebur,marmor,vitrum gemmas, præter ea,quæ ſupra dixi,cõplectitur.Neque protinus non eſt materia rhetorices,ſi in eadem verſatur & alius. Nam ſi quæram quæ ſit materia ſtatuarij,dicetur æs:ſi quæram quæ ſit excuſoris,id eſt eius fabricæ;quam Græci vocant χαλκευτικὴν,ſimiliter æs eſſe reſpondeant . Atqui plurimum ſtatuis differunt vaſa. Nec medicina ideo nõ erit ars,quia vnctio & exercitatio cum palæſtrica, ciborum vero qualitas etiam cum coquorum ei ſit arte communis.[Quòd verò de bono,vtili,iuſto diſſerere,philoſophiæ officium eſſe dicunt,non obſtat. Nam cum philoſophum dicunt,hoc accipi volunt,virum bonum.Cur igitur oratorem,quem à bono viro non ſeparo,in eadem materia verſari mirer?.Cum præſertim primo libro iam oſtenderim,philoſophos omiſſam hanc ab oratoribus partem occupaſſe, quæ rhetorices propria ſemper fuiſſet,vt illi potius in noſtra materia verſentur.

Alia obiectio.

[Denique cum ſit dialectices materia de rebus ſubiectis diſputare,ſit autẽ dialectices oratio conciſa,cur non eadem perpetuæ quoq; materia videatur?[Solet à quibuſdam & illud poni,Omnium igitur artium peritus erit orator, ſi de omnibus ei dicendum eſt . Poſſem hic Ciceronis reſpondere verbis,apud quem hæc inuenio, Mea quidem ſententia nemo poterit eſſe omni laude cumulatus orator,niſi erit omnium rerum magnarum,atque artium ſcientiam conſecutus.Sed mihi ſatis eſt , eius eſſe oratorem rei de qua dicit, non inſcium. Nec enim omnes cauſas nouit, & debet poſſe de omnibus dicere.De quibus ergo dicet?de quibus didicit.Similiter de artibus quoque,de quibus dicẽdum erit,interim diſcet:& de quibus didicerit,dicet.[Quid ergo,non aut faber de fabrica melius, aut de muſice muſicus? Si neſciat orator, quid ſit, de quo quæratur, planè melius. Nam & litigator ruſticus illiteratúſque de cauſa ſua melius quàm orator , qui neſciet quid in li-

De Orat. 1.

te sit, dicet. Sed accepta à musico, à fabro, sicut à litigatore, melius orator quàm ipse qui docuerit. Verùm & faber cum de fabrica, & musicus cum de musica, siquid cõfirmationem desiderauerit, dicet: nõ erit quidem orator, sed faciet illud quasi orator. Sicut cum vulnus imperitus deligabit, nõ erit medicus, sed faciet vt medicus. An huiusmodi res, nec in laudem, nec in deliberationem, nec in iudicium veniunt? Ergo cum de faciendo portu Hostiensi deliberatum est, non debuit dicere sententiam orator? atqui opus erat ratione architectorum. Liuores & tumores in corpore, cruditatis an veneni signa sint, non tractat orator? at est id ex ratione medicinæ. Circa mensuras & numeros non versabitur? dicamus has Geometriæ esse partes. Equidem omnia credo posse ferè casu aliquo venire in officium oratoris, quod si non accidet, non erunt ei subiecta. Ita sic quoque rectè diximus materiam rhetorices esse, omnes res ad dicendum ei subiectas, quod quidem probat etiam sermo communis. Nam cum aliquid de quo dicamus accepimus, posítam nobis esse materiam frequenter etiam præfatione testamur. [Gorgias quidem adeo rhetori de omnibus putauit esse dicendum, vt se in auditorijs interrogari pateretur, qua quisque audire de re vellet. [Hermagoras quoque, dicendo materiam esse in causa & in quæstionibus, omnes res subiectas erat complexus. Sed quæstiones si negat ad rhetoricen pertinere, dissentit à nobis: si autem ad rhetoricen pertinent, ab hoc quoque adiuuamur. Nihil est enim quod non in causam, aut in quæstiones cadat. [Aristoteles tres faciendo partes oratio- *Instrumentũ Rhetorices.*
nis, iudicialem, deliberatiuam, demonstratiuam, penè & ipse oratori subiecit omnia. nihil enim non in hæc cadit. ¶ Quæsitum à pauciſſimis etiam de instrumento est. Instrumẽtum voco, sine quo formari materia in id, quod velimus effici opus, non possit. Verum hoc ego non artem credo egere, sed artificem. Neque enim scientia desiderat instrumentum, quę potest esse consummata etiam si nihil faciat: sed ille opifex, vt cælator cælum, & pictor penicilla. Itaque hæc in eum locum, quo de oratore dicturi sumus, differamus.

M. FABII QVINTILIANI DE institutione oratoria, Liber III.

De scriptoribus artis rhetoricæ. Cap. I.

Propositio cũ præfatiũcula in sequentem partẽ operis.

QVoniam in libro secundo quæsitũ est, quid esset Rhetorice, & quis finis eius: artẽ quoque esse eam, & vtilem, & virtutẽ, vt vires nostræ tulerunt, ostendimus: materiámque ei res omnes de quib⁹ dicere oporteret, subiecimus. Iam hinc vnde cœperit, quibus cõstet, quo quæque in ea modo inueniẽda atque tractanda sint, exequar. Intra quem modum plerique scriptores artium constiterunt, adeo vt Apollodorus contentus solis iudicialibus fuerit. [Nec sum ignarus hoc à me præcipuè quod hic liber inchoat, opus studiosos eius desiderasse, vt inquisitione opinionum, quę diuersissimæ fuerunt, longe difficillimum, ita nescio an minimè legentibus futurum voluptati: quippe quod propè nũdam præceptorum traditionem desideret. In cæteris enim admiscere tentauimus aliquid nitoris, nõ iactandi ingenij gratia (nanque in id eligi materia poterat vberior) sed vt hoc ipso alliceremus magis iuuentutem ad cognitionem eorum, quæ necessaria studijs arbitrabamur, si ducti iucunditate aliqua lectionis, libentius discerẽt ea, quorum ne ieiuna atq; arida traditio auerteret animos, & aures (præsertim tam delicatas) raderet, verebamur. Qua ratione se Lucretius dicit præcepta philosophiæ carmine esse cõplexum. Nanque hac, vt est notum, similitudine vtitur:

Ac veluti pueris absynthia tetra medentes
Cum dare conantur, prius oras pocula circum
*Aspirant mellis dulci flauóque liquore, & quæ sequuntur.

Sed nos veremur, ne parum hic liber mellis, & absynthij multum habere videatur, sítque salubrior studijs quàm dulcior. Quinetiam hoc timeo, ne ex eo minorẽ gratiam ineat, quòd pleraque non inuenta per me, sed ab alijs tradita continebit: habeat etiam quosdã qui contrà sentiant & aduersentur, propterea quòd plurimi authores, quamuis eodem tenderent, diuersas tamen vias munierunt, atque in suam quisque induxit sequentes. Illi autem probant qualecunque ingressi sunt iter: nec facilè inculcatas pueris persuasiones mutaueris, quia ne-

Contingunt.

mo non didiciſſe mauult quàm diſcere. ¶Eſt autem, vt proce dente libro patebit, infinita diſſenſio authorum, primo ad ea quæ rudia atque imperfecta adhuc erant, adijcientibus quod inueniſſent ſcriptoribus: mox, vt aliquid ſui viderentur afferre, etiam recta mutantibus. Nam primus poſt eos quos poetæ tradiderunt, mouiſſe aliqua circa rhetoricen Empedocles dicitur. Artium autem ſcriptores antiquiſſimi Corax & Thyſias Siculi, quos inſecutus eſt vir eiuſdem inſulæ Gorgias Leontinus, Empedoclis (vt traditur) diſcipulus. Is beneficio longiſſimæ ætatis (Nam centum & nouem vixit annos) cum multis ſimul floruit. Ideóque & illorum, de quibus ſupra dixi, fuit æmulus, & vltra Socratem vſque durauit. Thraſymachus Chalcedonius cũ hoc, & Prodicus Chius & Abderites Protagoras: à quo decem millibus denariorum didiciſſe artem, quam edidit Euathlus, dicitur: & Hippias Elæus, & quẽ Palameda Plato appellat, Alcidamas Eleates. Antiphon quoque, & primus omnium orationem ſcripſit, & nihilominus artem ipſe compoſuit, & pro ſe dixiſſe optimè eſt creditus. Etiam Polycrates, à quo ſcriptam in Socratem diximus orationem. Et Theodorus Byzantius, ex his & ipſe, quos Plato appellat λογοδαιδάλους. Horum primi communes locos tractaſſe dicuntur, Protagoras, Gorgias, Prodicus, & Thraſimachus. Cicero in Bruto negat ante Periclem ſcriptum quicquam, quod ornatum oratorium habeat: eius aliqua ferri. Equidem nõ reperio quicquam tantæ eloquẽtiæ fama dignum. Ideóque minus miror, eſſe qui nihil ab eo ſcriptum putent: hæc autem, quæ feruntur, ab alijs eſſe cõpoſita. His ſucceſſere multi, ſed clariſſimus Gorgiæ auditor Iſocrates, quanquam de præceptore eius inter authores non cõuenit. Nos autẽ Ariſtoteli credimus. Hinc velut diuerſę ſecari cœperũt vię. Nã & Iſocratis præſtãtiſſimi diſcipuli fuerũt in omni ſtudiorũ genere: eóque iam ſeniore (octauũ enim & nonageſimum impleuit annum) pomeridianis ſcholis Ariſtoles præcipere artem oratoriam cœpit, noto quidem illo (vt traditur) verſu ex Philocteta frequẽter vſus, αἰσχρὸν σιωπᾶν, καὶ Ἰσοκράτην ἐᾶν λέγειν, Turpe eſſe tacere, & Iſocratem pati dicere. Ars eſt vtriuſque, ſed pluribus eam libris Ariſtoteles complexus eſt. Eodem tempore Theodectes fuit, de cuius opere ſupra dictum eſt. Theophraſtus quoque Ariſtotelis diſcipulus, de rhetorice diligenter ſcripſit, atque hinc vel ſtudioſius philoſophi quàm rhetores, præcipuéque Stoicorum ac Peripatetico-

Recẽſet ſcriptores artis rhetoricæ, & primum Græcos, deinde Latinos.

rum principes. Fecit deinde velut propriã Hermagoras viam, quam plurimi sunt secuti, cui maximè par atque æmulus videtur Athenæus fuisse. Multa pòst Apollonius Molon, multa Areus, multa Cæcilius, & Halycarnaseus Dionysius. Præcipuè tamen in se conuerterunt studia Apollodorus Pergamenus, qui præceptor Apolloniæ Cæsaris Augusti fuit: & Theodorus Gadaræus, qui se dici maluit Rhodium: quem studiosè audisse, cum in eam insulam secessisset, dicitur Tyberius Cæsar. Hi diuersas opiniones tradiderunt, appellatíque inde Apollodorei ac Theodorei, ad morem certas in philosophia sectas sequendi. Sed Apollodori præcepta magis ex discipulis cognoscas, quorũ diligentissimus in tradendo latinè fuit *C. Valgius, græce Atticus. Nam ipsius sola videtur ars edita ad Matium, quia cæteras missa ad Domitiũ epistola nõ agnoscit. Plura scripsit Theodorus, cuius auditorem Hermagorã sunt qui viderunt.

Eualgius.

Romani scriptores Rhetoricorum.

[Romanorum primus (quãtum ego quidem sciam) condidit aliqua in hac materia M. Cato ille Cẽsorius: post M. Antonius inchoauit. Nam hoc solum opus eius, & id ipsum imperfectũ, manet. Secuti minus celebres, quorum memoriam si quo loco res poscet, non omittã. Præcipuũ vero lumen sicut eloquentiæ, ita præceptis quoq; eius dedit vnicũ apud nos specimen orandi, docẽdiq; oratorias artes M. Tullius, post quẽ tacere modestissimũ foret, nisi & rhetoricos suos ipse adolescẽti sibi elapsos diceret, & in oratorijs hæc minora quæ pleriq; desiderãt, sciens omisisset. Scripsit de eadẽ materia non pauca Cornificius, aliqua Stertinius, nonnihil pater Gallio: accuratius verò priores Gallione Celsus & Lenas, & ætatis nostræ Virginius, Plinius, Rutilius. Sunt & hodie clari eiusdem operis authores, qui si omnia cõplexi forẽt, consuluissent labori meo, sed parco nominibus viuentiũ: veniet eorũ laudi suum tẽpus, ad posteros enim virtus durabit, nõ perueniet inuidia. ¶ Non tamẽ post tot ac tantos scriptores pigebit, meam quibusdã locis posuisse sententiam. Neque enim me cuiusquã sectæ, velut quadã superstitione imbutus, addixi: & electuris quæ volent facienda copia fuit. sicut ipse plurium in vnũ confero inuenta, vbicunq; ingenio non erit locus, curæ testimonium promeruisse contentus.

De Orat. I.

¶ Quod initium rhetorices. Cap. II.

Rhetoricæ origo, sicut & sermõis à natura

NEc diu nos moretur quæstio, quæ Rhetorices origo sit. Nam cui dubium est, quin sermonem ab ipsa rerũ natura geniti protinus homines acceperint? quod certe

principium est eius rei,huic studium & incremẽtum dederit vtilitas,summã ratio & exercitatio? ¶Nec video quare curam dicendi putẽt quidam inde cœpisse,quòd ij qui in discrimen aliquod vocabantur,accuratius loqui defendẽdi sui gratia instituerint. Hæc enim vt honestior causa,ita non vtique prior est,cum præsertim accusatio præcedat defensionem: nisi quis dicit etiam gladium fabricatum ab eo prius qui ferrum in tutelam sui, quàm qui in perniciem alterius cõparauit. Initium ergo dicendi dedit natura:initium artis,obseruatio.Homines enim,sicut in medicina cum viderent alia salubria,alia insalubria,ex obseruatione eorum effecerunt artem: ita cum in dicendo alia vtilia,alia inutilia deprehenderent,notarunt ea ad imitandum vitandúmque, & quædam secundum rationem eorum adiecerunt ipsi quoque: hæc confirmata sunt vsu,tum quæ sciebat quisque docuit. ¶Cicero quidem initium orandi conditoribus vrbium ac legum latoribus dedit, in quibus fuisse vim dicendi necesse est:cur tamen hanc primam originem putet,non video,cum sint adhuc quædam vagæ,& sine vrbibus ac sine legibus gentes,& tamen qui sunt in his nati,& legationibus fungantur, & accusent aliqua ac defendant, & denique alium melius alio loqui credant.

In prologo Rhetoricorũ veterum.

¶Quinque esse partes rhetoricæ. Cap.III.

OMnis autem orandi ratio, vt plurimi maximíque authores tradiderunt, quinque partibus constat: inuentione,dispositione, elocutione, memoria, pronuntiatione siue actione: vtroque enim modo dicitur. Omnis verò sermo,quo quidem voluntas aliqua enntiatur,habeat necesse est & rem, & verba. Ac si est breuis, & vna concluſione finitur,nihil fortasse vltra desideret.At oratio longior plura exigit. Non enim tantum refert,quid,& quo modo dicamus,sed etiam quo loco:opus ergo est & dispositione. Sed neq; omnia quæ res postulat, dicere, neque suo quæq; loco poterimus,nisi adiuuãte memoria.Quapropter ea quoq; pars quarta erit.Verum hæc cuncta corrũpit ac propemodũ perdit indecora vel voce vel gestu pronuntiatio.Huic quoque igitur necessariò tribuendus est quintus locus. ¶Nec audiendi quidam,quorũ est Albutius,qui tres modò primas esse partes volunt,quia memoria atque actio natura, non arte contingant:quarum nos præcepta suo loco dabimus,licet Thrasimachus quoq; idem de actione tradiderit. [His adiecerũt quidã sextam partem,ita vt

Quinque partes rhetoricæ

Varietas opinionum circa partes Rhetoricæ.

inuentioni iudicium ſubnecterent: quia primũ eſſet inuenire, deinde iudicare. Ego porrò ne inueniſſe quidẽ credo eum, qui non iudicauit: nec enim contraria, communia, ſtulta inueniſſe dicitur quiſquam, ſed non vitaſſe. Et Cicero quidem in rhetoricis iudicium ſubiecit inuentioni. Mihi autem adeo primis tribus partibus videtur eſſe permixtum (nam neque diſpoſitio ſine eo, neque elocutio fuerit) vt pronuntiationem quoque vel plurimũ ab eo mutuari putem. Quod hoc audacius dixerim, quòd in partitionibus oratorijs ad eaſdem, de quibus ſupra dictum eſt, quinque peruenit partes. Nam cũ dupliciter primũ diuiſiſſet, in inuẽtionem atq; elocutionẽ, res ac diſpoſitionem inuẽtioni, verba & pronuntiationẽ elocutioni dedit: quintam quoque conſtituit communem, ac velut cuſtodem omniũ, memoriam. Idem in Oratore quinque rebus conſtare eloquentiam dicit, in quibus poſtea ſcriptis certior eius ſententia eſt. [Non minus mihi cupidi nouitatis alicuius videtur fuiſſe, qui adiecerũt ordinem, cum diſpoſitionem dixiſſent, quaſi aliud ſit diſpoſitio, quàm rerum ordine quamoptima collocatio. [Dion inuẽtionem modo & diſpoſitionem tradidit, ſed vtranque duplicem, rerum ac verborum: vt ſit elocutio inuentionis, pronuntiatio diſpoſitionis: his quinta pars, memoria accedat. [Theodorei ferè inuentionem duplicem, rerum atque elocutionis, deinde tres partes cęteras. [Hermagoras, iudiciũ, partitionem, ordinẽ, quæque elocutionis ſunt, ſubiecit œconomiæ: quæ græcè appellata ex cura rerum domeſticarum, & hic per abuſionem poſita, nomine latino caret. [Eſt etiam circa hoc quæſtio: quòd memoriam in ordine partium quidam inuentioni, quidam diſpoſitioni ſubiunxerunt: nobis vt quartus ſit ei locus, maximè placet. Non enim inuenta tantum tenere, vt diſponamus, nec diſpoſita vt eloquamur, ſed etiam verbis formata memoriæ mandare debemus. Hac enim omnia quæcunque in orationem collata ſunt, continentur. ¶Fuerunt etiam in hac opinione non pauci, vt has non rhetorices partes eſſe exiſtimarẽt, ſed opera oratoris. Eius enim eſſe inuenire, diſponere, eloqui, & cætera. Quod ſi accipimus, nihil arti relinquemus. Nam benè dicere eſt oratoris. Rhetorice tamen eſt benè dicendi ſcientia: vel, vt alij putant, artificis eſt perſuadere: vis autem perſuadendi, artis. Ita inuenire quidem & diſponere, oratoris: inuentio autem & diſpoſitio, rhetorices propria videri poteſt. ¶In eo plures diſſenſerũt, vtrum ne hæ partes eſſent

Oeconomia.

Aſia opinio.

Partes an opera rhetoricæ ſint appellanda.

rhetorices,an eiusdem opera,an(vt Athenęus credit)elementa quæ vocant στοιχεῖα. Sed neque elementa rectè quis dixerit, alioqui tantum initia erunt, vt mundi, vel humor, vel ignis, vel materia,vel corpora insecabilia: nec operũ rectè nomen accipient, quæ non ab alijs perficiuntur, & aliud ipsa perficiunt.Partes igitur.Nam cum sit ex his Rhetorice,fieri non potest,vt totum ex partibus cõstet,nisi sint partes totius,ex quibus constet. [Videntur autem mihi,qui hæc opera dixerunt, eo quoque moti,quòd in alia rursus diuisione nollent in idem nomen incidere,partes enim Rhetorices esse dicebant laudatiuam,deliberatiuam, iudicialem. Quæ si partes sunt, materiæ sunt potius quàm artis. Namque in his singulis Rhetorice tota est, quia & inuentionem,& dispositionem,& elocutionem, & memoriam, & pronuntiationem, quæcunque earum desiderat.Itaque quidam ea tria genera Rhetorices dicere maluerunt: optimè autem ij,quos secutus est Cicero, qui genera causarum.

¶Tria esse genera causarum. Cap.IIII.

Disputatio & varietas opinionũ de causarũ generib⁹

SEd tria an plura sint, ambigitur. Nec dubiè,propè omnes vtique summæ apud antiquos authoritatis scriptores Aristotelem secuti,qui nomine tantum alio concionalem pro deliberatiua appellat,hac partitione contenti fuerunt. [Verum & tum leniter est tentatum,cum apud Græcos quosdam,tum apud Ciceronem in libris de Oratore, & nunc maximo temporum nostrorum authore propè impulsum, vt non modo plura hæc genera, sed etiã penè innumerabilia videantur. Nam si laudandi ac vituperandi officium in parte tertia ponimus,in quo genere versari videbimur, cum quærimur,consolamur,mitigamus,concitamus,terremus,cõfirmamus,præcipimus, obscurè dicta interpretamur,narramus,deprecamur,gratias agimus,gratulamur,obiurgamus,maledicimus, describimus, mandamus,renuntiamus,optamus,opinamur, & plura alia? vt mihi in illa vetere persuasione permanenti,velut petendasit venia;quæ rendúmque,quo moti priores rem tam latè fusam, tam breuiter astrinxerint. Quos qui errasse putant, hoc secutos arbitrantur, quòd in his ferè versari tum oratores videbant. Nam & laudes & vituperationes scribebantur,& ἐπιδείξεις dicere erat moris,& plurimũ in consilijs ac iudicijs insumebatur operæ, vt scriptores artium pro solis comprehenderint frequentissima. Qui vero defendunt,

tria faciunt genera auditorum: vnum quod ad delectationem conueniat, alterum quod consilium accipiat, tertium quod de causis iudicet. [Mihi cuncta rimanti talis quædam ratio succurrit, quòd omne oratoris officium, aut in iudicijs est, aut extra iudicia. Eorum de quibus in iudicio quæritur, manifestum genus est: ea quæ ad iudicem non veniunt, aut præteritū habēt tempus, aut futurum. Præterita laudamus aut vituperamus, de futuris deliberamus. Item omnia, de quibus dicendum est, aut certa sint necesse est, aut dubia. Certa, vt cuique est animus, laudat aut culpat: ex dubijs partim nobisipsis ad electionem sunt libera, de his deliberatur, partim aliorum sententiæ commissa, de his lite cōtenditur. [Anaximenes iudicialem & concionalem generales partes esse voluit. Septem autem species: hortandi, dehortandi, laudandi, vituperandi, accusandi, defendendi, exquirendi, quod ἐξεταστικὸν dicunt: quarum duæ primæ deliberatiui, duæ sequentes demonstratiui, tres vltimæ iudicialis generis sunt partes. [Protagoram transeo, qui interrogandi, respondendi, mandandi, precādi, quod εὐχωλὴν dixit, partes solas putat. [Plato in Sophiste iudiciali, & concionali tertiam adiecit πρὸς ἔριν λεκτικὴν, quam sanè permittamus nobis dicere sermocinatricem, quæ à forensi ratione diffungitur, & est accommodata priuatis disputationib⁹, cuius vis eadem profecto est, quæ dialecticæ. [Isocrates in omni genere inesse laudem ac vituperationem existimauit. Nobis autem & tutissimum est authores plures sequi, & ita videtur ratio dictare. ¶Est igitur, vt dixi, vnum genus, quo laus ac vituperatio continetur, sed est appellatum à parte meliore laudatiuum: idem alij demonstratiuum vocāt, vtrunque nomen ex græco creditur fluxisse. Nam & ἐγκωμιαστικὸν & ἐπιδεικτικὸν dicunt. Sed mihi ἐπιδεικτικὸν non ita demonstrationis vim habere, quàm ostentationis videtur, & multum ab illo ἐγκωμιαστικῷ differre. nam vt continet laudatiuum in se genus, ita non intra hoc solum consistit. An quisquam negauerit panegyricos ἐπιδεικτικοὺς esse? Atqui formam suadendi habent, & plerūque de vtilitatibus Græciæ loquuntur, vt causarū quidem genera tria sint, sed ea tum in negotijs, tum in ostentatione posita. Nisi forte non ex græco mutuantes demonstratiuum vocant, verum id sequuntur quòd laus ac vituperatio quale sit quicque demonstrat. [Alterum est deliberatiuū, tertium iudiciale. Cæteræ species in hæc tria incidūt genera. Nec inuenitur ex his vlla, in qua non lau-

Interponit suam sententiā

Cōfirmat suā sentētiam de tribus causarū generibus.

dare aut vituperare, ſuadere aut diſſuadere, intẽdere quid vel depellere debeamus. Illa quoque ſunt communia, conciliare, narrare, docere, augere, diminuere, cõcitandis componendíſque affectibus animos audiẽtium fingere. ¶Ne his quidem ac ceſſerim, qui laudatiuã materiam honeſtorum, deliberatiuam vtilium, iudicialem iuſtorum quæſtione contineri putant, celeri magis ac rotũda vſi diſtributione, quàm vera. Stant enim quodammodo mutuis auxilijs omnia. Nam & in laude iuſtitia vtilitáſque tractantur, & in conſilijs honeſtas: & raro iudicialem inueneris cauſam, in cuius non parte aliquid eorum, quæ ſupra diximus, reperiatur.

¶Quibus contineatur omnis ratio dicendi. Cap. V.

Repetit mẽbra diuiſionis quã priori ſi. ca. 15. poſuit, & porrò in alias partes diuidit.

OMnis autem oratio conſtat ex his quæ ſignificantur, aut ex his quæ ſignificant, id eſt rebus & verbis. Facultas orandi conſummatur natura, arte, exercitatione: cui quartam partem adijciunt quidam imitationis, quam nos arti ſubijcimus. Tria ſunt autem quæ præſtare debet Orator, vt doceat, moueat, delectet. Hæc enim clarior diuiſio, quàm eorum qui totum opus in res & in affectus partiuntur. ¶Non ſemper autem omnia in eam, quæ tractabitur, materiam cadent. Erunt enim quædam remota ab affectibus, qui vt non vbique habent locum, ita quocunque irruperint, plurimum valent. ¶Præſtãtiſſimis authoribus placet, alia in Rhetorica eſſe quæ probationem deſiderent, alia quæ non deſiderent: cum quibus ipſe conſentio. ¶Quidam vero, vt Celſus, de nulla re dicturum oratorem niſi de qua quæritur, exiſtimant: cui cum maxima pars ſcriptorum repugnat, tum etiam ipſa partitio, niſi forte laudare quæ conſtet eſſe honeſta, & vituperare quæ ex cõfeſſo ſint turpia, non eſt oratoris officium. ¶Illud iam omnes fatentur eſſe quæſtiones aut in ſcripto, aut in non ſcripto. In ſcripto ſunt de iure, in non ſcripto de re. Illud legale, hoc rationale genus. Hermagoras atque eum ſecuti, vocant νομικὸν & λογικὸν. Idem ſentiunt, qui omnẽ quæſtionem ponunt in rebus & inb veris. ¶Item conuenit quæſtiones eſſe aut infinitas aut finitas. Infinitæ ſunt, quæ remotis perſonis, & temporibus, & locis, cæteríſque ſimilibus, in vtramque partem tractantur: quod Græci θέσιν dicunt, Cicero propoſitum, alij quæſtiones vniuerſales ciuiles, alij quæſtiones philoſopho conuenientes. Athenæus partem cauſæ appellat. Hoc genus Cicero ſcientia & actione diſtinguit: vt ſit ſcientiæ, an

Ea ſunt opus, facultas, & artifex. Opꝰ oratio eſt quę rebus & verbis cõſtat, res quæſtione cõtinentur, quã hic porrò i finitã & in infinitã diuidit.

prouidentia mundus regatur:actionis,an accedẽdum ad rempublicam administrandam.Prius trium generum,an sit,quid sit, quale sit: omnia enim hæc ignorari possunt. Sequens duorum,quomodo adipiscamur,quomodo vtamur.[Finitę autem sunt ex complexu rerum, personarum, temporum, cæterorúmque:hæ περιοχαὶ à Græcis dicuntur,causæ à nostris.In his omnis quæstio videtur circa res personásque consistere. Amplior est semper infinita,inde enim finita descendit.Quod vt exemplo pateat infinita est,an vxor ducenda:finita, an Catoni ducenda.Ideóque esse suasoria potest. Sed etiam remotæ à personis proprijs ad aliquid referri solent. Est enim simplex an respub. administranda:refertur ad aliquid, an in tyranni de administranda. Sed hic quoque subest velut latens persona,tyrannus enim geminat quæstionem, subéstque & temporis & qualitatis tacita vis,nondum tamen hoc propriè dixeris causam. [Hæ autem quas infinitas voco, & generales appellantur:quod si est verum,finitæ speciales erunt. [In omni autem speciali vtique inest generalis,vt quæ sit prior.[Ac nescio an in causis quoque quicquid in quæstionem venit qualitatis, generale sit.Milo Clodium occidit,iure occidit insidiatorem, nónne hoc quæritur, an sit ius insidiatorem occidi? Quid in coniecturis?non illa generalia, an causa sceleris odium, cupiditas:an tormentis credendum:testibus an argumentis maior fides habẽda?Nam finitione quidem comprehendi nihil non in vniuersum certum erit. [Quidam putant etiam eas posse Theses aliquando nominari,quæ personis causísq; contineantur,aliter tantummodo positas:vt causa sit,cum Orestes accusatur:Thesis,an Orestes rectè sit absolutus. Cuius generis est, an Cato rectè Martiã Hortensio tradiderit. Hi thesim à causa sic distinguũt,vt illa sit spectatiuę partis,hęc actiuę.Illic enim veritatis gratia tantum disputari,hic negotiũ agi.¶Quanquã inutiles quidam oratori putãt vniuersales quæstiones,quia nihil prosit quòd constet ducendam esse vxorem, vel administrãdam rempub.si quis vel ætate,vel valetudine impediatur. [Sed non in omnibus eiusmodi quæstionibus sic occurri potest,vt illis,sit ne virtus finis, regatur ne mundus prouidentia. [Quinetiam in ijs,quæ ad personã referuntur, vt non est satis generalem tractasse quæstionẽ,ita perueniri ad speciem,nisi illa prius excussa,non potest. Nã quomodo an sibi vxor ducẽda sit,deliberabit Cato,nisi cõstiterit vxores esse ducẽdas?Et quo-

modo an ducere debeat Martiam quæretur, nisi Catoni ducenda vxor est? [Sunt tamen inscripti nomine Hermagoræ libri, qui confirment illam opinionem, siue falsus est titulus, siue hic Hermagoras alius fuit. Nam eiusdem esse quomodo possunt, qui de hac arte mirabiliter multa composuit? Cum sicut ex Ciceronis quoque Rhetorico primo manifestum est, materiam Rhetorices in theses & causas diuiserit. Quod reprehendit Cicero, ac thesim nihil ad oratorem pertinere contendit, totúmq; hoc genus quæstionis ad philosophos refert. Sed me liberauit respondēdi verecundia, & quòd ipse hos libros improbat, & quòd in Oratore, atque ijs quos de Oratore scripsit libris, & Topicis, præcipit, vt à proprijs personis atque temporibus auocemus controuersiam, quia latius liceat dicere de genere quàm de specie: & quod in vniuerso probatum est, id in parte probatum esse necesse sit. ¶ Status autē in hoc omne genus materiæ idem, qui in causas cadunt. ¶ Adhæc adijcitur alias esse quæstiones in rebus ipsis, alias quæ ad aliud referantur. Illud, an vxor ducenda: hoc, an seni ducenda. Illud an fortis, hoc an fortior, & similia. [Causam finit Apollodorus, vt interpretatione Valgij discipuli eius vtar, ita: Causa est negotium omnibus suis partibus spectans ad quæstionem, aut causa est negotium, cuius finis est controuersia. [Ipsum deinde negotium sic finit: Negotium est congregatio personarum, locorum, temporum, causarum, modorum, casuum, factorum, instrumentorum, sermonum, scriptorum, & non scriptorum. Causam nunc intelligimus ὑπόθεσιν, negotium περίστασιν. Sed ipsam causam quidam similiter finierunt, vt Apollodorus negotium. [Isocrates causam esse ait, quæstionem finitam ciuilem, aut rerum controuersiam in personarum finitarum complexu. [Cicero his verbis, Causa certis personis, locis, temporibus, actionibus, negotijs cernitur, aut in omnibus, aut in plerisque eorum.

Hermagoras *De inuent.* *De Orat. 3.* *Causa.* *Negotium.*

¶ Quid sit Status. Cap. VI.

ERgo cum omnis causa contineatur aliquo statu, priusquam dicere aggrediar quomodo genus quodque causæ sit tractādum, id quod commune est omnibus, quid sit status, & vnde ducatur, & quot, & qui sint, intuendum puto: quanquam id nonnulli ad iudiciales tantum pertinere materias putauerunt. Quorum inscitiam cum omnia tria genera fuero executus, res ipsa deprehendet. ¶ Quod nos statum, id

quidam constitutionem vocant, alij quæstionem, alij quod ex quæstione appareat, caput. Theodorus generale caput, id est, κεφάλαιον γενικώτατον, ad quod referuntur omnia. Quorum diuersa appellatio, vis eadem est: nec interest discentium quibus quicque nominibus appelletur, dum res ipsa manifesta sit. [Statum Græci στάσιν vocant, quod nomen non primum ab Hermagora traditum putant, sed alij ab Eucrate Socratis discipulo: alij à Zopyro Clazomenio: quanquam videtur Aeschines quoque in oratione, contra Ctheſiphōtem vti hoc verbo, cum à iudicibus petit, ne Demosthenem permittant euagari, sed eum dicere de ipso causæ statu cogant. Quæ appellatio dicitur ducta vel ex eo, quòd ibi sit primus causæ congressus, vel quòd in hoc causa cōsistat. Et nominis quidem hæc origo. Nunc quid sit. ¶ Statum quidam dixerunt primam causarum conflictionem: quos recte sensisse, sed parum elocutos puto. Non est enim status prima cōflictio, feci sti: non feci: sed quod ex prima cōflictione nascitur, id est genus quæstionis, feci sti, non feci: An fecerit: hoc feci sti, hoc non feci, Quid fecerit, quia ex his apparet, illud coniectura, hoc finitione quærendū: atque in eo pars vtraque insistit, erit quæstio coniecturalis vel finitiui status. Quid enim? si dicat quis, Sonus est duorum inter se corporum conflictio, erret, vt opinor: non enim sonus est conflictio, sed ex conflictione. Et hoc leuius: intelligitur enim vtcunque dictum. ¶ Inde vero ingens male interpretantibus innatus est error, qui quia primam conflictionem legerant, crediderunt statum semper ex prima quæstione ducendum, quod est vitiosissimū. Nam quæstio nulla non habet vtique statum, constat enim ex intentione & depulsione: sed aliæ sunt propriæ causarum, de quibus ferenda sententia est: aliæ adductæ extrinsecus, aliquid tamen ad summam causæ conferentes, velut auxilia quædam: quo fit, vt in controuersia vna plures quæstiones esse dicantur. Porrò harum plerunque leuissima quæque primo loco fungitur. Namque & illud frequens est, vt ea quibus minus confidimus, cum tractata sint omittamus, interim sponte nostra velut donantes, interim ad ea, quę sunt potentiora, gradum ex ijs feciſſe contēti. Simplex autem causa etiam si variè defenditur, non potest habere plus vno de quo pronūtietur: atque erit inde status causæ, quod & orator præcipue sibi obtinendum, & iudex spectandum maxime intelligit. In hoc enim causa consistet. Cæterum quæstionum

Status varia appellatio, & nominis origo

Status quid.

Status nō ex quæstione prima vel secunda, sed ex causa nascitur.

possunt esse diuersi. Quod vt breuissimo pateat exemplo, cum dicit reus, etiã si feci, rectè feci, qualitatis vtitur statu: cum dicit, Non feci, coniecturam mouet. Semper autem firmius est non feciſſe. Ideóque statum esse in eo iudicabo, quod dicerem, si mihi plus quàm vnum dicere non liceret. [Rectè igitur est appellata causarum prima conflictio, non quæstionũ. Nam & pro Rabirio Posthumo Cicero prima parte orationis in hoc intendit, vt actionem competere in equitem Romanũ neget: secunda nullam ad eum pecuniam peruenisse confirmat. Statum tamẽ dicam in eo fuisse, quod est potentius. Nec in causa Milonis circa primas quæstiones, quæ sunt ante in procœmiũ positæ, iudicabo conflixisse causam: sed vbi totis viribus insidiator Clodius, ideóque iure interfectus ostenditur. ¶Et hoc est quod ante omnia constituere in animo suo debeat orator, etiam si pro causa plura dicturus est, quod maxime liquere iudici velit. Quod tamen vt primum cogitandum, ita non vtique primum dicendum erit.

¶Vnde ducatur status, & reus an actor statũ faciat: Cap. VII.

ALij statum crediderunt primum eius, cum quo ageretur, *deprecationem: Quam sententiam his verbis Cicero complectitur: In quo primum consistit, quasi ad repugnandum congressa defensio. ¶Vnde rursus alia quæstio, an eum semper is faciat, qui respondet. Cui rei præcipuè repugnat Cornelius Celsus, dicens non à depulsione sumi, sed ab eo qui propositionem suam confirmet: vt si hominem occisum reus negat, status ab accusatore nascatur, quia is velit probare: si iure occisum reus dicit, translatæ probationis necessitate idem à reo fiat, & sit eius intentio. [Cui non accedo equidem: nam est vero propius quod contra dicitur, nullam esse litem, si is, cum quo agitur, nihil respondeat, ideóque fieri statum à respondente. ¶Mea tamen sententia varium id est, & accidit pro conditione causarum, quia videri potest propositio aliquando statum facere, vt in coniecturalibus causis: vtitur enim coniectura magis qui agit. [Quo moti quidam eundem à reo inficialem esse dixerũt, & in syllogismo tota ratiocinatio ab eo est, qui intendit. [Sed quia videtur illis quoq; necessitatem hos status exequendi facere qui negat (is enim si dicat, non feci, coget aduersarium cõiectura vti: & si dicat, non habet legẽ, syllogysmo) cõcedamus ex depulsione nasci statũ, nihilominus enĩ res eò reuertetur, vt modo is qui agit, modo is

depulsionem. in Topicis.

Status varie modo ab accusatore modo à reo oritur, quod remota diuersa opinione exẽplis confirmatur.

cum quo agitur ſtatum faciat.Sit enim accuſatoris intentio, hominem occidiſti:ſi neget reus,faciet ſtatũ qui negat.Quid ſi cõfitetur,ſed iure à ſe adulterum dicit occiſum?Nempe eſſe legem certum eſt,quæ permittat: niſi aliquid accuſator reſpondeat, nulla lis eſt. Non fuit(inquit) adulter. Ergo depulſio incipit eſſe actoris, ille ſtatum faciet. Ita erit quidem ſtatus ex prima depulſione, ſed ea fiet ab accuſatore,non à reo. [Quid?quòd eadem quæſtio poteſt eundem vel accuſatorem facere,vel reum?Qui artẽ ludicram exercuerit,in quatuordecim primis ordinibus ne ſedeat:qui ſe Prætori in hortis oſtenderat, neque erat productus, ſedit in quatuordecim ordinibus. Nempe intentio eſt,artem ludicram exercuiſti:depulſio, nõ exercui artem ludicram:quæſtio,quid ſit artem ludicram exercere. Si accuſabitur theatrali lege, depulſio erit rei:ſi excitatus fuerit de ſpectaculis, & aget iniuriarum, depulſio erit accuſatoris.Frequentius tamen illud accidet,quod eſt à pluribus traditum. ¶Effugerunt has quæſtiones , qui dixerunt ſtatum eſſe id,quod appareat ex intentione & depulſione, vt feciſti:non feci,aut recte feci. ¶Viderimus tamen vtrum ſit ſtatus,an in eo ſtatus. [Hermagoras ſtatum vocat,per quem ſubiecta res intelligatur, & ad quem probationes etiam partium referantur. [Noſtra opinio ſemper hæc fuit,vt cum eſſent frequẽter in cauſa diuerſi quæſtionum ſtatus,in eo crederem ſtatum cauſæ, quod eſſet in ea potẽtiſſimum,& in quo maxime res verteretur.Id ſi quis generalem quæſtionem,vel caput generale dicere malit,cum hoc mihi non erit pugna:non magis quàm ſi aliud adhuc,quo idem intelligatur,eius rei nomẽ inuenerit: quãquam tota volumina in hanc diſputationem impendiſſe multos ſciam, nobis ſtatum dici placet. ¶Sed cum in alijs omnibus inter ſcriptores ſumma diſſentio eſt, tum in hoc videtur mihi præcipuum ſtudium quoq; diuerſa tradendi fuiſſe:adeo nec qui ſit numerus,nec quæ nomina, nec qui generales,quíve ſpeciales ſint ſtatus,conuenit.Ac primum Ariſtoteles elementa decem conſtituit , circa quæ verſari videatur omnis quæſtio, οὐσίαν quam Plautus eſſentiam vocat, nec ſanè aliud eſt eius nomen latinum : ſed ea quæritur , an ſit. Qualitatem, cuius apertus intellectus eſt. Quantitatem,quæ dupliciter à poſterioribus diuiſa eſt,quàm magnum, & quàm multum ſit. Ad aliquid, vnde ductæ trãſlatio & comparatio. Poſt hæc vbi,& quando,deinde facere,pati, habere: quod eſt

Status omnis ex intentione & depulſione apparet , ſed non quiuis eſt cauſſę ſtatus.

Varietas opinionum de numero ſtatuũ, quam ſequẽti capite pleniꝰ perſequitur & poſtremo loco ſuam ponit.

quasi armatum esse,& vestitum esse.Nouissimè συγκεῖσθαι quod est compositũ esse quodãmodo,vt calefacere,stare,irasci. Sed ex his omnibus prima quatuor ad status pertinere, cætera ad quosdam locos argumentorum videntur . [Alij nouem elementa posuerunt. Personam,qua de animo,corpore, & extra positis quæratur, quod pertinere ad coniecturæ & qualitatis instrumenta video.Tempus,quod χρόνον vocant, ex quo quæstio,an is, quẽ dum addicta est mater peperit, seruus sit natus. Locũ,vnde cõtrouersia videtur, an fas fuerit tyrannũ in templo occidere: an exulauerit qui domi latuit. Tempus iterum, quod καιρὸν appellant : hanc autem videri volunt speciẽ illius temporis,vt æstatem,vel hyemem. Huic subijcitur ille in pestilẽtia comessator.Actum,id est πρᾶξιν,quod eò referũt,sciens commiserit an insciens,necessitate an casu,& talia. Numerũ, qui cadit in speciem quantitatis, an Thrasybulo triginta præmia debeãtur,qui tot tyrãnos sustulerit.Causam,cui plurimæ subiacent lites,quoties factum non negatur,sed quia iusta ratione sit factum, defenditur. τρόπον,cum id quod alio modo fieri licet,alio dicitur factum: hinc est adulter loris cæsus, vel fame necatus. Occasionem factorũ,quod est apertius, quàm vt vel interpretandum,vel exemplo sit demonstrandũ:tamen ἀφορμὰς ἔργων vocãt.Hi quoque nullam quæstionem extra hęc putant. [Quidam detrahunt duas partes, numerum & occasionem,& pro illo quẽ dixi actu subijciũt res,id est πράγματα. Quæ ne præteriisse viderer,satis habui attingere.Cæterum his nec status satis ostendi, nec omnes cõtineri locos credo,quod apparebit diligentius legẽtibus,quæ de vtraque re dicã.Erunt enim plura multo,quàm quæ his elementis comprehendũtur. [Apud plures authores legi,placuisse quibusdam,vnũ omnino statum esse coniecturalẽ. Sed quibus placuerit, neque illi tradiderunt,neque ego vsquam reperire potui.Rationem tamen hanc secuti dicuntur, ꝙ res omnes signis colligantur quomodolibet: vnde sunt qui qualitatis quoque solũ statum faciant, quia vbiq; qualis sit cuiusq; rei natura,quæri potest, sed vtrocunque modo sequetur summa confusio. Neque interest,vnũ quis statum faciat,an nullum, si omnes causæ sint cõditionis eiusdem . Coniectura dicta est à coniectu, id est directione quadam rationis ad veritatem : vnde etiam somniorũ atque omninum interpretes coniectores vocamus . Appellatum tamen est hoc genus variè,sicut in sequentibus apparebit.

Qui vnũ statũ fecerunt.

Coniectura.

¶Quot,& qui ſtatus. Cap.VIII.

Qui duos ſtatus fecerunt.

FVerunt qui duos ſtatus facerent. Archidemus coniecturalem & finitiuum excluſa qualitate,quia ſic de ea quæri exiſtimabat,quid eſſet iniquũ,quid iniuſtũ,quid dicto audientem nõ eſſe,quod vocat,de eodem & alio.[Huic diuerſa ſententia eorum fuit, qui duos quidem ſtatus eſſe voluerũt, ſed vnum inficialem,alterum iuridicialẽ.Inficialis quẽ nos dicimus cõiecturalem,cui ab inficiãdo nomen alij in totũ dederunt,alij in partẽ,quia accuſatorem cõiectura,reum inficiatione vti putauerunt.Iuridicialis eſt qui δικαιολογικὸς græcè dicitur. Sed quemadmodum ab Archidemo qualitas excluſa eſt,ſic ab his repudiata finitio.Nam ſubijciunt eam iuridiciali,quærendúmque arbitrantur, iuſtum ne ſit ſacrilegiũ appellari quod obijciatur, vel furtum, vel amentiam. Qua in opinione Pamphilus fuit:ſed qualitatẽ in plura partitus eſt.[Plurimi deinceps, mutatis tantũ nominibus, in rem de qua non conſtet,& in rem de qua cõſtet,partiti ſunt.Nam eſt verũ,nec aliter fieri poteſt,q̃ vt aut certum ſit factum eſſe quid,aut nõ ſit:ſi non eſt certum,cõiectura ſit:ſi certum eſt,reliqui ſtatus. Nam idem dicit Apollodorus, cum quæſtionem aut in rebus extra poſitis quibus coniectura explicatur, aut in noſtris opinionibus exiſtimet poſitam: quorũ illud πραγματικὸν,hoc περὶ ἐννοίας,vocat.Idémque ἄπορον καὶ πολυπτωτικὸν dicũt,quo dubiũ & præſumptũ ſignificatur, de quo liquet.[Item Theodorus, qui de eo an ſit,& de accidentibus ei,quod eſſe conſtat,id eſt περὶ οὐσίαν & συμβεβηκότων,exiſtimat quæri. Nam in his omnibus prius genus coniecturam habet, ſequens reliqua. Sed hæc reliqua Apollodorus duo vult eſſe: qualitatem, & de nomine id eſt,finitiuam: Theodorus,quid,quale,quantum,ad aliquid. Sunt & qui de eodem, & de alio, modo qualitatem eſſe, modo finitionem velint. In duo & Poſſiodonius diuidit,vocem, & res. In voce quæri putat an ſignificet quicquam multa,quomodo in rebus cõiecturam,quod κατάσασιν vocat,& qualitatẽ, & finitionem,cui nomen dat κατ' ἔννοιαν,& ad aliquid. Vnde & alia diuiſio eſt,alia eſſe ſcripta,alia inſcripta.[Celſus Cornelio duos & ipſe fecit ſtatus generales,an ſit,quale ſit.Priori ſubiecit finitionem,quia æquè quæratur, an ſit ſacrilegus qui nihil ſe ſuſtuliſſe de templo dicit,& qui priuatam pecuniam confitetur ſe ſuſtuliſſe.Qualitatẽ in rem,& ſcriptum diuidit. Scripto quatuor partes legales,excluſa tranſlatione,quantitatem,

& mentis quæſtionem coniecturæ ſubiecit. [Eſt etiam alia in duos diuidendi ſtatus ratio, quæ docet, aut de ſubſtantia controuerſiam eſſe, aut de qualitate: ipſam porrò qualitatem, aut in ſummo genere cõſiſtere, aut in ſuccedentibus. De ſubſtãtia eſt coniectura. Quæſtio enim tractatur rei, an facta ſit, an fiat, an futura ſit. Interdũ etiam mentis, ídque melius quàm quod ijs placuit, qui ſtatum eundem facti nominauerunt, tanquã de præterito tantum & tantum de facto quæreretur. Pars qualitatis, quæ eſt de ſummo genere, raro in iudiciũ venit: quale eſt, id ne ſit honeſtum, quod vulgo laudatur. Succedentium autem aliæ de communi appellatione, vt ſit ne ſacrilegus qui pecuniam priuatam ex templo furatus eſt, aut de re denominata, vbi & factum eſſe certum eſt, nec dubitatur quid ſit, quod factũ eſt. Cui ſubiacent omnes de honeſtis, iuſtis, vtilibus, quęſtiones. His etiam cæteri ſtatus cõtineri dicuntur, quia & quãtitas modo ad coniecturam referatur, vt maior ne ſol q̃ terra: modo ad qualitatem, quanta pœna quempiam quantóve præmio ſit affici iuſtum: & tranſlatio verſetur circa qualitatẽ, & definitio pars ſit tranſlationis. Quin & contrariæ leges & ratiocinatiuus ſtatus, id eſt, ſyllogiſmus, & plerũque ſcripti & voluntatis æquo nitantur, niſi quòd hic tertius aliquando coniecturam accipit, quid ſenſerit legis conſtitutor. Ambiguitatem vero ſemper coniectura explicari neceſſe ſit, quia cum ſit manifeſtum verborũ duplicem eſſe intellectum, de ſola quæritur volũtate. ¶ A plurimis tres ſunt facti generales ſtatus, quibus & Cicero in Oratore vtitur, & omnia quæ aut in controuerſiã, aut in contentionẽ veniant, contineri putat, Sit ne, Quid ſit, Quale ſit: quorũ nomina apertiora ſunt, q̃ vt dicenda ſint. Idẽ Patrocles ſentit. [Tres fecit & M. Antonius, his quidẽ verbis, Paucæ res ſunt, quibus ex rebus omnes orationes naſcuntur, factum non factum, ius iniuria, bonum malum. [Sed quoniã quod iure dicimur feciſſe, non hunc ſolum intellectũ habet, vt lege: ſed illum quoq;, vt iuſtè feciſſe videamur ſecuti Antonium apertius voluerunt eoſdem ſtatus diſtinguere. Itaque dixerunt coniecturalẽ, legalem, iuridicialem. Qui & Virginio placent. Horũ deinde fecerũt ſpecies, ita vt legali ſubijcerent finitionem, & alios qui ex ſcripto dicũtur legum contrariarũ, quæ Ἀντινομία dicitur: & ſcripti & ſentẽtiæ vel volũtatis, id eſt, κατὰ ῥητὸν καὶ διάνοιαν: & μεταλήψιν, quam nos variè tranſlatiuam, tranſlũptiuã, tranſpoſitiuã vocamus: συλλογισμὸν quẽ accipimus

Qui tres.

Lib. 2.

ratiocinatiuũ vel collectiuũ:ambiguitatis,quæ ἀμφιβολία, nominatur.Quos poſui,quia & ipſi à pleriſq; ſtatus appellantur,
Qui quatuor. quibuſdã legales potius quęſtiones eas dici placuit.¶Quatuor fecit Athenęus,προτρεπτικὴν σάσιν vel παραινετικὴν.i.exhortatiuũ, qui ſuaſoriæ eſt proprius, τελικὴν qua coniecturã ſignificari magis ex his quæ ſequũtur,q̃ ex ipſo nomine apparet,ὑπαλλακτικὴν, ea finitio eſt(mutatione enim nominis conſtat) iuridicialem : eadem appellatione græca,qua cæteri, vſus. Nam eſt (vt dixi)multa in nominibus differẽtia. Sunt qui ὑπαλλακτικὴν tranſlationẽ exiſtiment,ſecuti hãc mutationis ſignificationẽ. [Fecerunt alij totidẽ ſtatus,ſed alios, an ſit,quid ſit,quale ſit, quantum ſit,vt Cæcilius & Theon.[Ariſtoteles in Rhetoricis etiam ſic omne opus diuidit in veritatẽ,& petenda ac fugienda, quod eſt ſuaſoriæ,& de eodẽ atque alio: partiendo tamen ad hoc peruenit,vt an ſit,quid,quale,quantum, & quàm multum ſit,quærendũ putet.Quodam tamen loco finitionis quoque vim intelligit, quando dicit quædam ſic defendi,Suſtuli, ſed non furtum feci: percuſſi,ſed nõ iniuriam feci. [Poſuerat & Cicero in libris Rhetoricis, facti,nominis,generis,actionis: vt in facto coniectura,in nomine finitio,in genere qualitas,in actione ius intelligeretur:iuri ſubiecerat tranſlationẽ.Verum hic legales quoq; quæſtiones alio loco tractat,vt ſpecies actionis.
Alio loco in partitionibus.
¶Fuerunt qui facerent quinque,coniecturam,finitionem, qualitatẽ, quantitatẽ, ad aliquid. [Theodorus quoq;(vt dixi) ijſdem generalibus capitibus vtitur, an ſit,quid ſit, quale ſit, quantum ſit,ad aliquid.Hoc vltimum maximè in cõparatiuo genere verſari putat:quoniã melius ac peius, maius & minus, niſi aliò relata, non intelliguntur. Sed in illas quoque tranſlatiuas(vt ſupra ſignaui)quæſtiones incidunt, an huic ius agẽdi ſit,vel facere aliquid cõueniat,an contra hunc,an hoc tẽpore, an ſic.Omnia enim iſta referri ad aliquid neceſſe eſt.Alij ſex ſtatus putant,coniecturam quam γένεσιν vocant:& qualitatem, & proprietatem , id eſt, ἰδιότητα quo verbo finitio oſtenditur: & quantitatem,quam ἀξίαν dicunt:& cõparationem: & trãſlationem , cuius nouum nomen ad hoc inuentum eſt μετάθεσις, nouum tanquam in ſtatu,alioqui ab Hermagora inter ſpecies iuridiciales vſitatum.¶Alijs ſeptem eſſe placuit,à quibus nec tranſlatio,nec quantitas,nec cõparatio recepta eſt. Sed in horum trium locũ ſubditæ quatuor legales, adiectæque illis tribus rationalibus.¶Alij peruenerũt vſque ad octo,tranſlationẽ

Qui ſex.

Qui ſeptem.

Qui octo.

ad ſeptem ſuperiores adiecta. [A quibuſdam deinde diuiſa ratio eſt,vt ſtatus rationales appellarentur quæſtiones(quemadmodũ ſupra dixi)legales:in illis de re,in his de ſcripto quęreretur. [Quidã in diuerſum,hos ſtatus eſſe,illas quæſtiones, maluerunt. Sed alij rationales tres putauerunt:an ſit,quid ſit, quale ſit. [Hermagoras ſolus quatuor:coniecturam, proprietatem,tranſlationem,qualitatem,quam per accidentia,id eſt, κατὰ συμβεβηκὸς vocat,hac interpretatione, an illi accidat viro bono eſſe vel malo.Hanc ita diuidit,de appetendis & fugiendis,quæ eſt pars deliberatiua.De perſona,ea oſtenditur laudatiua. Negocialẽ,quam πραγματικὴν vocat,in qua de rebus ipſis quæritur remoto perſonarũ cõplexu, vt ſit ne liber qui eſt in aſſertione,an diuitiæ ſuperbiam pariant,an iuſtum ſit quid,an bonum ſit. Iuridicialem,in qua ferè eadẽ, ſed certis deſtinatíſque perſonis quærantur,an ille iuſtè hoc fecerit, vel benè. [Nec me fallit in primo Ciceronis Rhetorico, aliam eſſe loci negocialis interpretationẽ:cum ita ſcriptũ ſit,Negocialis eſt, in qua quid iuris ex ciuili more & æquitate ſit cõſideratur:cui diligentiæ præeſſe apud nos iuriſconſulti exiſtimantur. Sed quod ipſis de his libris iudicium fuerit,ſupra dixi.Sunt enim velut regeſtæ in hos cõmentarios,quas adoleſcens deduxerat, ſcholæ:& ſi qua eſt in his culpa, tradentis eſt.ſiue eum mouit, quòd Hermagoras prima in hoc loco poſuit exempla ex quęſtionibus iuris,ſiue quòd Græci πραγματικὸς vocant iuris interpretes.Sed Cicero quidem his pulcherrimos illos de Oratore ſubſtituit,ideóque culpari,tanquam falſa præcipiat,nõ poteſt. Nos ad Hermagoram. [Tranſlationem hic primus omnium tradidit, quanquam ſemina eius quædam citra nomen ipſum apud Ariſtotelem reperiuntur.Legales autẽ quæſtiones has fecit,ſcripti & voluntatis,quã ipſe vocat κατὰ ῥήτὸν,καὶ ὑπεξαίρεσιν id eſt,ſecundum dictum,& exceptionem,quorũ:prius ei cum omnibus commune eſt,exceptionis nomen minus vſitatũ: ratiocinatiuum, ambiguitatis, legum contrariarum. [Albutius eadem diuiſione vſus detrahit tranſlationem,ſubijciens eam iuridiciali.In legalibus quoq; quæſtionibus nullum putat eſſe, qui dicatur ratiocinatiuus. Scio plura inuenturos adhuc, qui legere antiquos ſtudioſius volẽt. Sed ne hæc quoq; exceſſerint modum,vereor. ¶Ipſe me paulum in alia,quàm prius habuerim,opinione nunc eſſe confiteor.Et fortaſſe tutiſſimum erat famæ modò ſtudenti, nihil ex eo mutare, quod multis annis

Negocialis ſtatus apud Cic.

Rhetor.2.

Mutat & ſuam opinionẽ de ſtatibus, & excuſat.

non ſenſiſſem modò, verumetiã approbaſſem. Sed non ſuſtineo eſſe cõſcius mihi diſſimulãti, in eo præſertim opere, quod ad bonorum iuuenum aliquam vtilitatem cõponimus, in vlla parte iudicij mei. Nam & Hippocrates clarus arte medicinæ, videtur honeſtiſſimè feciſſe, qui quoſdã errores ſuos, ne poſteri errarent cõfeſſus eſt. Et M. Tullius non dubitauit aliquos ſuos iam editos libros, alijs poſtea ſcriptis ipſe damnare, ſicut Catulum atq; Lucullũ, & hos ipſos, de quibus modo ſum locutus, artis Rhetorices. Etenim ſuperuacuus foret in ſtudijs longior labor, ſi nihil liceret melius inuenire præteritis. [Neq; tamen ex his quicquã, quæ tum præcepi, ſuperuacuũ fuit: ad eaſdem enim particulas hæc quoque, quæ nũc præcipiam reuertentur. Ita neminem didiciſſe pœniteat. Colligere tantum eadem, ac diſponere paulò ſignificantius conor. Omnibus autem patefactum volo, non me hæc ſerius demonſtrare alijs, q̃ mihi ipſi perſuaſerim. [Secundum plurimos authores ſeruabam tres rationales ſtatus: Coniecturã, Finitionem, Qualitatem: vnum Legalẽ. Hi mihi Status generales erant. Legalem in quinq; ſpecies partiebar, Scripti & Voluntatis, Legũ contrariarũ, Collectiuum, Ambiguitatis, Tranſlationis. Nunc quartum ex generalibus intelligo poſſe remoueri. Sufficit enim prima diuiſio, qua diximus alios legales, alios rationales eſſe: ita non erit Status ſed quæſtionum genus, alioqui & rationalis ſtatus eſſet. ¶Ex his etiam quos ſpeciales vocabã, remoui tranſlationẽ: frequenter quidem (ſicut omnes, qui me ſecuti ſunt meminiſſe poſſunt) teſtatus, & in ipſis etiam illis ſermonibus me nolente vulgatis, hoc tamen cõplexus, vix in vlla cõtrouerſia, tranſlationis ſtatum poſſe reperiri, vt nõ & alius in eadẽ re rectè dici videretur: ideóque à quibuſdã eum excluſum. [Neque ignoro multa tranſferri, cũ in omnibus ferè cauſis, in quibus cecidiſſe quis formula dicitur, hæ ſint quæſtiones, An huic, An cũ hoc, An hac lege, An apud hunc, An hoc tempore liceat agere, & ſi qua ſunt talia. Sed perſonæ, tempora, actiones, cæteráque propter aliquam cauſam tranſferuntur. Ita non eſt in tranſlatione quæſtio, ſed in eo propter quod tranſferũtur. Non debes apud Prætorem petere fidei commiſſum, ſed apud Conſules, maior enim prætoria cognitione ſũma eſt. Quæritur an maior ſumma ſit, facti controuerſia eſt. Non licet tibi agere mecum, cognitor enim fieri non potuiſti. Iudicatio eſt, an potuerit. Non debuiſti interdicere, ſed petere. An rectè interdictum ſit, am-

Retractatores.

Legalis ſtatus ex generalibus tolſendus.

Tranſlationem non eſſe ſtatum.

bigitur. Quæ omnia ſuccedũt legitimis quæſtionibus. [An nõ præſcriptiones, etiam in quibus maximè videtur manifeſta tranſlatio, caſdẽ omnes ſpecies habent, quas hæ leges, quibus agitur vt aut de nomine, aut ſcripto & ſentẽtia, vel ratiocinatione quæratur? deinde ſtatus ex quæſtione oriatur: tranſlatio non habeat quæſtionem de qua cõtendit Orator, ſed propter quam cõtendit? Hoc apertius. Occidiſti hominẽ, non occidi. Quæſtio, an occiderit: Status, Cõiectura. Non eſt tale, Habeo ius actionis, non habes: vt ſit Quæſtio an habeat, & inde Status. Accipiat enim actionẽ nec ne, ad euentũ pertinet, non ad cauſam: & ad id quod pronuntiat iudex, non id propter quod pronunciat. Hoc illi ſimile eſt, puniendus es, non ſum: videbit Iudex an puniendus ſit. Sed nõ hic erit quæſtio, nec hic ſtatus. Vbi ergo? puniendus es, hominem occidiſti: non occidi, an occiderit. Honorãdus ſum, nõ es, num ſtatum habet? Nõ vt puto. Honorandus ſum, quia tyrannũ occidi, nõ occidiſti: Quæſtio, & ſtatus. Similiter, non rectè agis, rectè ago, nõ habet ſtatum. Vbi eſt ergo? non rectè agis ignominioſus, quæritur an ignominioſus ſit, aut an agere ignominioſo liceat, & Quæſtio eſt & Status. [Ergo tranſlatiuũ genus cauſæ eſt, vt comparatiuũ, & mutuæ accuſationis. At enim ſimile eſt illi, ius habeo, ius nõ habes: occidiſti, rectè occidi, non nego. Sed nec hæc res ſtatũ facit. Non enim ſunt hæ propoſitiones, alioqui cauſa non explicabitur, ſed cum ſuis rationibus. Scelus cõmiſit Horatius, ſororem enim occidit: non commiſit, debuit enim occidere eam, quæ hoſtis morte mœrebat, quæſtio an hæc iuſta cauſa, ita qualitas. At ſimiliter in Tranſlatione, non habes ius abdicandi, quia ignominioſo nõ eſt actio: habeo ius, quia abdicatio actio non eſt: quæritur quid ſit actio: finiemus, non licet abdicare: ſyllogiſmus. Item cætera per omnes, & rationales, & legales ſtatus. [Nec ignoro fuiſſe quoſdam, qui tranſlationẽ in rationali quoq; genere ponerent, hoc modo, hominem occidi iuſſus ab imperatore, dona tẽpli cogenti tyranno dedi, deſerui tempeſtatibus, fluminibus, valetudine impeditus. i. nõ per me ſtetit, ſed per illa. A quibus etiã liberius diſſẽtio. Nõ enim actio trãſfertur, ſed cauſa facti: quod accidit penè in omni defenſione. Deinde is, qui tali vtitur patrocinio, non recedit à forma qualitatis. dicit eñ ſe culpa vacare, vt magis qualitatis duplex ratio faciẽda ſit: altera qua & factũ defendit: altera qua tantũ reus. ¶ Credẽdũ eſt igitur ijs, quorũ authoritatẽ ſecut⁹ eſt Cic.

Tria quæ in omni disputatione quærantur, ac proinde totidē status.

Tria esse, quæ in omni disputatione quærantur: An sit, quid sit, quale sit. Quod etiam ipsa nobis natura præscribit. Nam primum oportet subesse aliquid, de quo ambigitur: quod, quid sit, & quale sit, certe non potest existimari, nisi prius esse cōstiterit. Ideóque ea prima quæstio: sed non statim quod esse manifestum est, etiam quid sit apparet. Hoc quoque constituto, nouissima qualitas supereſt, nec his exploratis aliud est vltra. His infinitæ quæstiones, his finitæ continentur. Horum aliqua in demonstratiua, deliberatiua, iudiciali materia vtique tractantur. Hæc rursus iudiciales causas, & rationali parte & legali continet. Nec enim vlla iuris disceptatio, nisi finitione, qualitate, cōiectura potest explicari. ¶ Sed instituētibꝰ rudes, non erit inutilis latius primo fusa ratio, etsi nō statim rectissima linea tensa, facilior tamen & apertior via. Discant igitur ante omnia quadripartitam in omnibus causis esse rationem, quam primam intueri debeat, qui acturus est. [Nam vt à defensore potissimum incipiam, longe fortissima tuendi se ratio est, si quod obijcitur, negari potest. Proxima, si non id quod obijcitur, factum esse dicitur. Tertia honestissima, qua rectè factum defenditur. Quibus si deficiamur, vltima quidem, sed iam sola supereſt salus, aliquo iuris adiutorio elabendi ex crimine, quod nec negari, nec defendi potest, vt nō videatur iure actio intendi. Hinc illæ quæstiones siue actionis, siue translationis. Sunt enim quædam non laudabilia natura, sed iure cōcessa, vt in xij. tabulis, debitoris corpus inter creditores diuidi licuit, quam legem mos publicus repudiauit. Est aliquid æquū, sed prohibitum iure, vt libertas testamentorū. [Accusatori nihilo plura intuenda sunt, q̄ vt probet factum esse, hoc esse factum, non rectè factum, iure se intendere. Ita circa species easdem lis omnis versabitur, translatis tantū aliquando partibus. vt in causis, in quibus de præmio agitur, rectè factum petitor probat. ¶ Hęc quatuor velut proposita formæq; actionis, quæ tum generales status vocabam, in duo (vt ostendi) genera descendūt, rationale & legale. [Rationale simplicius est, quia ipsius tantum naturæ contemplatione constat. Itaque in eo satis est ostendisse cōiecturam, finitionem, qualitatē. [Legaliū plures sint species necesse est, propterea quòd multæ sunt leges, & varias habent formas. Alia est cuius verbis nitimur, alia cuius voluntate: alias nobis, cum ipsi nullā habemus, adiungimus: alias inter se cōparamus: alias in diuersū interpretamur.

Quadripartita ratio agendi in omni causa, quę tamen nō nisi triplici statu cōtinetur.

Rationales species tres, Legales quatuor, quæ tamen non nisi ad tres status referuntur.

[Sic naſcũtur hæc veluti ſimulacra ex illis tribus,interim ſimplicia,interim & mixta,propriã tamẽ faciem oſtendentia: vt ſcripti & volũtatis,quæ ſine dubio aut qualitate,aut coniectura continentur: & ſyllogiſmus, qui eſt maximè qualitatis: & leges contrariæ,quæ ijſdẽ,quibus ſcriptũ & voluntas,cõſtant: ἀμφιβολία, quæ ſemper coniectura explicatur. Finitio quoque vtriq; generi quódque rerũ,quódque ſcripti contẽplatione cõ ſtat,cõmunis eſt.[Hæc omnia etiã ſi in illos tres ſtatus veniũt, tamen quia(vt dixi)habent aliquid velut proprium, videntur demonſtranda diſcentibus,& permittendũ ea dicere, vel ſtatus legales,vel quæſtiones,vel capita quædã minora:dũ ſciant nihil ne in his quidem præter tria , quæ prædiximus, quæri.

[At quantum, & quam multum,& ad aliquid,&(vt nonnulli putauerunt)comparatiuus,non eandem rationẽ habent.Sunt enim hæc non ad varietatẽ iuris,ſed ad ſolam rationem referenda.Ideóque ſemper in parte,aut cõiecturæ, aut qualitatis ponenda ſunt,vt qua mente, & quo tempore,& quo loco. Sed de ſingulis dicemus quęſtionibus,cũ tractare præcepta diuiſionis cœperimus . ¶Hoc inter omnes conuenit, in cauſis ſimplicibus ſingulos ſtatus eſſe cauſarum : quæſtionũ autem, quæ velut ſubiacentes ad illud,quo iudiciũ continetur,referuntur, ſæpe in vnam cadere plures poſſe.[Etiam credo aliquãdo dubitari,quo ſtatu ſit vtendũ cum aduerſus vnã intentionẽ plura opponuntur.& ſicut in colore dicitur narrationis,eũ eſſe optimum quem actor optimè tueatur:ita hic quoq; poſſe dici, eũ ſtatum eſſe faciendũ,in quo tuendo plurimũ adhibere virium poſſit Orator. Ideóq; pro Milone, aliud Ciceroni agenti placuit,aliud Bruto,cum exercitationis gratia cõponeret orationem:cum ille iure tanquã inſidiatorẽ occiſum,& tamen non Milonis cõſilio dixerit:hic etiã gloriatus ſit,occiſo malo ciue.

Cauſæ vnius ac ſimplicis vnus tantũ ſtatus, quæſtionum plures eſſe poſſunt.

Quo ſtatu vtendũ cum plures fieri poſſint.

[In cõiunctis vero poſſe duos vel tres inueniri, vel diuerſos, vt ſi quis aliud ſe non feciſſe, aliud rectè feciſſe defendat: vel generis eiuſdẽ,vt ſi quis duo crimina vel omnia neget.Quod accidit etiã ſi de vna re quæratur aliqua,ſed eam plures petãt, vel eodẽ iure, vt proximitatis : vel diuerſo,vt cum hic teſtamento,ille pximitate nitatur.Quoties autẽ aliud alij petitori opponitur,diſſimiles eſſe ſtatus neceſſe eſt,vt in illa cõtrouerſia: Teſtamenta legibus facta,rata ſint.Inteſtatorũ parentũ liberi hæredes ſint. Abdicatus, ne quid de bonis patris capiat. Nothus ante legitimũ natus, legitimus filius ſit, poſt legitimũ

In cõiunctis cauſis duo vel tres interdum ſtatus,& vel diuerſi vel eiuſdem generis.

Nothus.

natus tantũ ciuis. In adoptionem dare liceat. In adoptionem dato redire in familiã liceat, ſi pater naturalis ſine liberis deceſſerit. Qui ex duobus legitimis alterũ in adoptionem dederat, alterum abdicauerat, ſuſtulit nothũ, inſtituto hærede abdicato deceſſit. Omnes tres de bonis contendunt. Nothũ, qui non ſit legitimus, Græci vocant: latinum rei nomen, vt Cato quoque in oratione quadã teſtatus eſt, non habemus, ideóque vtimur peregrino. Sed ad propoſitum. Hæredi ſcripto opponitur lex, Abdicatus, ne quid de bonis patris capiat: fit ſtatus ſcripti & voluntatis, an vllo modo capere poſſit, an ex voluntate patris, an hæres ſcriptus. Notho duplex ſit quæſtio, quòd poſt legitimos natus ſit, & quòd non ſit ante legitimos natus. Prior ſyllogiſmum habet, an pro non natis ſint habendi, qui à familia ſunt alienati. Altera ſcripti & voluntatis. Non enim eſſe hunc natum ante legitimum conuenit, ſed voluntate legis ſe tuebitur, quam dicet talem fuiſſe, vt legitimus eſſet nothus, tum natus, cum alius legitimus in domo non eſſet. Scriptum quoque legis excludet dicens, non vtique ſi poſtea legitimus natus non ſit, notho nocere: vtetúrque hoc argumento, finge ſolum natum nothum, cuius conditionis erit? tantum ciuis? atqui non erit poſt legitimum natus: filius? atqui non erit ante legitimos natus. quare ſi verbis legis ſtari nõ poteſt, voluntate ſtandum eſt. Nec quenquam turbet, quòd ex vna lege duo ſtatus fiant: duplex eſt, ita vim duarum habet. Redire in familiam volenti dicitur ab altero: Primum, vt tibi redire liceat, hæres ſum: idẽ ſtatus qui in petitione abdicati, quæritur enim an poſſit eſſe hæres abdicatus. Adijcitur communiter à duobus, redire tibi in familiam non licet, non enim pater ſine liberis deceſſit. Sed in hoc propria quiſque eorum quæſtione nitetur. Alter enim dicet, abdicatum quoque inter liberos eſſe, & argumentum ducet ex ipſa, qua repellitur lege. Superuacuũ enim fuiſſe prohiberi patris bonis abdicatum, ſi eſſet numero alienorum: nunc quia filij iure futurus fuerit inteſtati hæres, oppoſitã eſſe legem, quæ tamen id non efficiat, ne filius ſit, ſed ne hæres. Status finitiuus, quid ſit filius. Rurſus nothus eiſdem colligit argumentis, non ſine liberis patrem deceſſiſſe, quibus in petitione vſus eſt, vt probaret ſe eſſe filium: niſi fortè & hic finitionẽ mouet, an liberi ſint etiam non legitimi. Cadẽt igitur in vnam cõtrouerſiam, vel ſpecialiter duo legitimi ſtatus, ſcripti, & voluntatis, & ſyllogiſmus, & præterea finitio: vel

tres illi,qui natura ſoli ſunt,cõiectura in ſcripto & voluntate, qualitas in ſyllogiſmo,& quę per ſe eſt aperta finitio. ¶Cauſa quoque,& iudicatio,& continens eſt in omni genere cauſarũ. Nihil enim dicitur, cui non inſit ratio, quo iudicium referatur, & quod rem maximè contineat. Sed quia magis hæc variantur in litibus, & ferè tradita ſunt ab ijs, qui de iudicialibus cauſis aliqua compoſuerunt,in illam partem differantur. Nunc quia in tria genera cauſas diuiſi, ordinem ſequar.

Cauſa,iudicatio,continens in omni cauſa.

¶De demonſtratiuo, quod conſtat laude & vituperatione. Cap.X.

AC potiſſimum incipiã ab ea,quæ conſtat,laude & vituperatione.Quod genus videtur Ariſtoteles,atque eum ſecutus Theophraſtus,à parte negociali,hoc eſt πραγματικῆς remouiſſe,totámq; ad ſolos auditores relegaſſe:& id eius nominis, quod ab oſtentatione ducitur, propriũ eſt.Sed mos Romanus etiam negocijs hoc munus inſeruit. Nam & funebres laudationes pendent frequenter ex publico aliquo officio, atque ex Senatuſconſulto magiſtratibus ſæpe mandãtur: & laudare teſtem,vel contrà,pertinet ad momentum iudiciorum: & ipſis etiam reis dare laudatores licet: & editi in competitores,in L.Piſonem,& Clodium,& Curionẽ libri, vituperationem cõtinent,& tamẽ in Senatu loco ſunt habiti ſententiæ.Neque inficias eo, eſſe quaſdã ex hoc genere materias ad ſolam cõpoſitas oſtentationem,vt laudes Deorum,virorúmq; quos priora tempora tulerunt. [Quo ſoluitur quæſtio ſupra tractata,manifeſtúmque eſt errare eos,qui nunquam oratorẽ dicturũ, niſi de re dubia putauerunt.An laudes Capitolini Iouis,perpetua ſacri certaminis materia,vel dubiæ ſunt, vel nõ oratorio genere tractãtur?Vt deſiderat autẽ laus,quę negocijs adhibetur,probationẽ:ſic etiam illa quæ oſtentationi cõponitur, habet interim aliquam ſpeciem probationis: Vt qui Romulum Martis filium, educatúmq; à lupa dicat, in argumentum cæleſtis ortus vtatur his,quòd abiectus in profluentẽ non potuerit extingui,ꝙ omnia ſic egerit,vt genitũ præſide bellorum deo incredibile nõ ſit,& ipſum quoq; cælo receptũ temporis eius homines non dubitauerint. [Quædã vero etiam in defenſionis ſpeciem cadent,vt ſi in laude Herculis,permutatum cum regina Lydiæ habitũ,& imperata(vt traditur)penſa Orator excuſet. ¶Sed proprium laudis eſt res amplificare,& ornare.Quę materia prȩcipuè quidẽ in deos & homines cadit:

πραγματικὴ

Laus deorũ.

eſt tamen & aliorũ animalium, & carentiũ anima. Verum in Deis, generaliter primũ maieſtatem ipſius eorum naturæ venerabimur, deinde propriam vim cuiuſque & inuenta, quæ vtile aliquid hominibus attulerunt. Vis oſtẽditur, vt in Ioue, regundorum omniũ: in Marte, belli: in Neptuno, maris. Inuenta vt artium in Minerua: Mercurio, literarũ: medicinæ, Apolline: Cerere, frugum: Libero, vini. Tum ſi qua ab his acta vetuſtas tradidit, commemoranda. Addunt etiam dijs honorẽ parentes, vt ſi quis ſit filius Iouis. Addit antiquitas, vt ijs qui ſunt ex Chao. Progenies quoq;, vt Apollo ac Diana Latonæ. Laudandum in quibuſdam, quòd geniti immortales, in quibuſdam q̃ immortalitatẽ virtute ſunt conſecuti: quod pietas Principis noſtri, præſentium quoq; temporum decus, fecit. ¶ Magis eſt varia laus hominũ. Nam primũ diuiditur in tẽpora, quódque ante eos fuit, quódque ipſi vixerunt. In ijs autẽ qui fato ſunt functi, etiam quod eſt inſecutum. [Ante hominem patria, ac parentes, maioréſq; erunt, quorũ duplex tractatus eſt. aut enim reſpondiſſe nobilitati pulchrum erit, aut humilius genus illuſtraſſe factis. Illa quoque interim ex eo, quod ante ipſum fuit, tempore trahentur, quæ reſponſis vel augurijs futurã claritatem promiſerunt. Vt eum qui ex Thetide natus eſſet, maiorẽ patre ſuo futurũ ceciniſſe dicuntur oracula. [Ipſius vero laus hominis ex animo & corpore, & extra poſitis peti debet. Et corporis quidẽ fortuitorúmq; cum leuior, tum non vno modo tractanda eſt. Nam & pulchritudinem interim robúrq; proſequimur honore verborũ, vt Homerus in Agamemnone, atq; Achille. Interim confert admirationi multũ etiam infirmitas, vt cum idem Tydea paruum, ſed bellatorẽ dicit fuiſſe. Fortuna vero tum dignitatẽ affert, vt in regibus principibúſq; (nãq; eſt hæc materia oſtendendæ virtutis vberior) tũ quo minores opes fuerunt, eo maiorem benefactis gloriã parit. Sed omnia quæ extra nos bona ſunt, quæq; hominibus forte obtigerunt, non ideo laudãtur, q̃ habuerit quis ea, ſed quòd his honeſtè ſit vſus. Nã diuitiæ, & potentia, & gratia, cum plurimũ viriũ dent in vtrãque partem, certiſſimũ faciunt morum experimentũ: aut enim meliores propter hæc, aut peiores ſumus. Animi ſemper vera laus. Sed non vna per hoc opus via ducitur. Nãq; aliâs ętatis gradus, geſtarũq; rerũ ordinẽ ſequi ſpecioſius fuit, vt in primis annis laudaretur indoles, tũ diſciplinæ, poſt hoc operum, id eſt, factorũ dictorũq; cõtextus. Aliàs in ſpecies

Domitianum intelligit.

Laus hominũ quæ per tempora diuiditur.

Achillem intelligit.

A corpore.

Iliados 4.
Iliados 2.
Iliados 5.

A fortuna.

Ab animo.

virtutum diuidere laudem, fortitudinis, iuſtitiæ, continentiæ, cæterarúmque, ac ſingulis aſſignare, quæ ſecundum quãque earum geſta erunt. Vtra ſit autẽ harum via vtilior, cũ materia deliberabimus, dũ ſciamus gratiora eſſe audiẽtibus, quæ ſolus quis, aut primus, aut certè cum paucis feciſſe dicetur: ſi quid præterea ſupra ſpem aut expectationẽ, præcipuè q̃ aliena potius cauſa, q̃ ſua. [Tempus quod finẽ hominis inſequitur, non ſemper tractare contingit: non ſolum q̃ viuentes aliquando laudamus, ſed q̃ rara hæc occaſio eſt, vt referri poſſint diuini honores & decreta, vt publicè ſtatuæ cõſtituæ. Inter quæ enumerauerim ingeniorũ monumenta, quæ ſeculis probarentur. Nam quidã ſicut Menãder, iuſtiora poſterorum, q̃ ſuæ ætatis iudicia ſunt cõſecuti. Afferunt laudẽ liberi parentibus, vrbes conditoribus, leges latoribus, artes inuentoribus, nec nõ inſtituta quoque authoribus, vt à Numa traditũ deos colere, à Publicola faſces populo ſubmittere. ¶Qui omnis etiam in vituperatione ordo conſtabit, tamen in diuerſum. Nam & turpitudo generis opprobrio multis fuit, & quoſdam claritas ipſa notiores circa vitia, & inuiſos magis fecit. Et in quibuſdã, vt in Paride traditũ eſt, prædicta pernicies. & corporis, & formæ: quibuſdam mala, contemptũ, vt Therſitæ: at vero quibuſdam bona vitijs corrupta, odium attulerunt. Vt Nirea imbellem, Pliſtinem *impudicũ, à poetis accepimus: Et animi totidẽ vitia quot virtutes ſunt: nec minus q̃ in laudibus, duplici ratione tractãtur. Et poſt mortem adiecta quibuſdã ignominia eſt, vt Melio, cuius domus ſolo æquata. M. q; Manlio, cuius prænomẽ è familia in poſterum exemptũ eſt. Et parentes malorum odimus. Et eſt cõditoribus vrbium infamiæ, contraxiſſe aliquam pernicioſam cæteris gentẽ, qualis eſt primus Iudaicæ ſuperſtitionis author, & Gracchorũ leges inuiſæ: & ſi quod eſt exẽplũ deforme poſteris traditũ, quale libidinis vir Perſes in muliere Samia inſtituere auſus dicitur primus. Sed in viuentibus quoq; iudicia hominũ velut argumenta ſunt morum, & honos aut ignominia veram eſſe laudem, vel vituperationem probat. [Intereſſe tamen Ariſtoteles putat, vbi quiſq; laudetur, aut vituperetur. Nam plurimũ refert, qui ſint audientiũ mores, quæ publicè recepta pſuaſio, vt illa maximè quæ probẽt, eſſe in ea qui laudabitur, credãt: aut in eo cõtra quẽ dicem⁹, ea quę oderint. ita nõ dubiũ erit iudiciũ, quod orationẽ præceſſerit. [Ipſorum etiã iudicũ permiſcẽda laus ſemper: nam id beneuolos

A tempore.

Vituperatio hominum. Iliad. 2.

Cynedũ. Iliad. 1. Iliad. 3. Animorũ vitia.

¶Narrationē verò nunq̄ exiget priuata deliberatio eius dūtaxat rei, de qua dicēda ſentētia eſt; qa nemo ignorat id de quo cōſulit. Extrinſecus poſſunt pertinentia ad deliberationē multa narrari. In cōcionibus ſæpe eſt etiā illa, quæ ordinē rei docet, neceſſaria ad affectus, vt quæq; maximè poſtulabit. Nā & concitāda & lenienda frequēter eſt ira, & ad metū, cupiditatē, odium, cōciliationē impellendi animi. Nonnunquā etiam mouenda miſeratio, ſiue vt auxiliū obſeſſis feratur ſuadere oportebit, ſiue ſociæ ciuitatis euerſionē deflebimus. *Confirmati.* ¶Valet autem in cōſilijs authoritas plurimū. Nam & prudentiſſimus eſſe haberíq; & is optimus debet, qui ſentētiæ ſuæ de vtilibus atq; honeſtis credere omnes velit. In iudicijs enim vulgo fas habetur indulgere aliquid ſtudio ſuo: cōſilia nemo eſt qui neget ſecundum mores dari. Græcorū quidem plurimi omne hoc officiū concionale eſſe iudicauerūt, & in ſola reipublicæ adminiſtratione poſuerunt. Quin & Cicero in hac maximè parte verſatur. Ideóque ſuaſuris de pace, bello, copijs, operibus, vectigalibus, hęc duo præcipuè nota eſſe voluit, vires ciuitatis & mores: vt ex natura tum ipſarum rerum, tum audientium ratio ſuadendi duceretur. *Tria in ſuaſorijs ſpectāda.* [Nobis maior in re videtur varietas. nam & conſultantium & conſiliorū plurima ſunt genera. Quare in ſuadendo & diſſuadendo tria primum ſpectanda erunt. Quid ſit de quo deliberetur, qui ſint qui deliberent, qui ſit qui ſuadeat. Rem de qua deliberatur, aut certum eſt poſſe fieri, aut incertum. Si incertum, hęc erit quęſtio ſola, aut potentiſſima: ſæpe enim accidet, vt prius dicamus, ne ſi poſſit quidem fieri, eſſe faciendū, deinde fieri non poſſe. Cum autē de hoc quæritur, coniectura eſt, an Iſthmos intercidi, an ſiccari palus Pontina, an portus fieri Hoſtiæ poſſit, an Alexander terras vltra Oceanū ſit inuēturus. Sed in ijs quoq;, quæ cōſtabit poſſe fieri, coniectura erit aliquando: vt ſi quęratur, an vtique futurū ſit, vt Carthaginē ſuperent Romani. Vt redeat Hānibal, ſi Scipio exercitū in Aphricam tranſtulerit. Vt ſeruent fidē Samnites, ſi Romani arma depoſuerint. Quædam & fieri poſſe, & futura eſſe credibile eſt: ſed aut alio tempore, aut alio loco, aut alio modo. [Vbi cōiecturæ non erit locus, alia ſunt intuenda. Et primū aut propter ipſam rem, de qua ſententiæ rogantur, conſultabitur: aut propter alias interueniētes extrinſecus cauſas. Propter ipſam deliberant P.C. an ſtipendium militi conſtituant. Hęc materia ſimplex erit. Accedūt cauſæ aut faciēdi,

RES de qua deliberatur.

vt deliberant P.C.an Fabios dedant Gallis bellum minitantibus:aut non faciendi, vt deliberat C.Cæſar, an perſeueret in Germaniam ire,cum milites paſſim teſtamenta facerent.Hæ ſuaſoriæ duplices ſunt.Nã & illic cauſa deliberandi eſt,quòd bellum Galli minitentur, eſſe tamen quæſtio poteſt, dedendi ne fuerint etiam citra hanc denuntiationem,quia contra fas, cum Legati miſſi eſſent,prælium inierint:regémque ad quem mandata acceperant,trucidarint. Et hic nihil Cæſar ſine dubio deliberet,niſi propter hanc militum perturbationem: eſt tamen locus quærendi,an citra hunc quoque caſum penetrandum in Germaniam fuerit.Semper autem de eo prius loquemur, de quo deliberari etiam detractis ſequentibus poſſet.

Partes ſuadẽdi,quæ ad deliberationis finẽ pertinent, & quæſtionũ argumentorũque materiã cõplectũtur.

[Partes ſuadendi quidam putauerunt honeſtũ,vtile, neceſſarium:ego non inuenio huic tertiæ locũ.Quãtalibet enim vis ingruat,aliquid fortaſſe pati neceſſe ſit,nihil facere,de faciendo autem deliberatur. Quòd ſi hanc vocant neceſſitatem,in qua homines grauiorum metu coguntur, vtilitatis erit quæſtio.Vt enim ſi obſeſſi,& impares,& aqua cibóque defecti, de facienda ad hoſtem deditione deliberent, & dicatur neceſſe eſt,nempe ſequitur vt hoc ſubijciatur,alioqui pereundum eſt, ita propter id ipſum non eſt neceſſe, quia perire potius licet. Deniq; non fecerũt Saguntini,nec in rate Opitergina circuuenti. Igitur in his quoque cauſis,aut de ſola ambigetur vtilitate,aut quæſtio inter vtile atque honeſtum conſiſtet. At enim ſi quis liberos procreare volet,neceſſe habeat vxorem ducere, quis dubitat? ſed ei,qui pater vult fieri,liqueat neceſſe eſt vxorem eſſe ducẽdam.Itaque mihi ne cõſilium quidem videtur, vbi neceſſitas eſt:non magis quàm vbi cõſtat quid fieri omnino nõ poſſe.Omnis enim deliberatio de dubijs eſt.Melius igitur, qui tertiam partem dixerunt ἀλωατ, quod noſtri poſſibile nominant: quæ vt dura videatur appellatio,tamen ſola eſt. [Quas partes non omnes in omnem cadere ſuaſoriam, manifeſtius eſt, quàm vt docendum ſit. Tamen apud pleroſque earum numerus augetur,à quibus ponũtur vt partes,quæ ſpecies ſunt partium. Nam fas, iuſtum,pium,æquum,mãſuetum quoque, ſic enim ſunt interpretati ὅσιον,& ſi qua adhuc adijcere quis eiuſdẽ generis velit,ſubijci poſſunt honeſtati.[An ſit autem facile,magnum,iucũdum,ſine periculo, ad quæſtionem pertinet vtilitatis, qui loci oriuntur ex contradictione. Eſt quidem vtile,ſed difficile,prauum, iniucundum,periculo-

ſum. [Tamen quibuſdam videtur eſſe nonnunquam de iucunditate ſola conſultatio, vt ſi de ædificando theatro, inſtituendis ludis deliberetur. Sed neminẽ adeo ſolutum luxu puto, vt nihil in cauſa ſuadendi ſequatur præter voluptatẽ. Præcedat enim ſemper aliquid neceſſe eſt: vt in ludis honor deorum, in theatro nõ inutilis laborũ remiſſio, deformis & incommoda turbæ: ſi id non ſit conflictatio, & nihilominus eadem illa religio, cum theatrum veluti quoddam illius ſacri tẽplum vocabimus. [Sæpe vero & vtilitatem deſpiciendam eſſe dicimus, vt honeſta faciamus: vt cum illis Opiterginis damus conſilium, ne ſe hoſtibus dedant, quanquam perituri ſint, niſi fecerint. [Et vtilia honeſtis præferimus, vt cum ſuademus vt bello Punico ſerui armentur. Sed tamen neque hic planè concedendum eſt, eſſe id inhoneſtum. Liberos enim natura omnes, & ijſdem conſtare elementis, & fortaſſe antiquis etiam nobilibus ortos, dici poteſt. Et illic vbi manifeſtum periculum eſt, opponenda alia, vt crudelius etiam perituros affirmemus, ſi ſe dediderint, ſiue hoſtis non ſeruauerit fidẽ, ſiue Cæſar vicerit, quod eſt vero ſimilius. [Hæc autem, quæ tantum inter ſe pugnant, plerunque nominibus deflecti ſolent. Nam & vtilitas ipſa expugnatur ab ijs, qui dicunt non ſolum potiora eſſe honeſta quàm vtilia, ſed ne vtilia quidem eſſe, quæ non ſunt honeſta: & contra, quod nos honeſtum, illi vanum, ambitioſum, ſtolidum, verbis quàm re probabilius vocant. [Nec tãtum inutilibus comparantur vtilia, ſed inter ſe quoq; ipſa, vt ſi è duobus eligamus, in altero quid ſit magis, in altero quid ſit minus. [Creſcit hoc adhuc. Nam interim triplices etiam ſuaſorię incidunt, vt cum Pompeius deliberauit, Parthos, an Aphricam, an Aegyptum peteret. Ita non tantum vtrum ſit melius, ſed quid ſit optimum, quæritur. Item contrà. Nec vnquam incidet in hoc genere materiæ dubitatio rei, quæ vndique ſecundum nos ſit. Nam vbi contradictioni locus non eſt, quæ poteſt eſſe cauſa dubitandi? Ita ferè omnis ſuaſoria nihil eſt aliud, quàm comparatio. Videndúmq;, quid conſecuturi ſimus, & per quid, vt æſtimari poſſit, plus in eo, quod petimus, ſit commodi: an vero in eo, per quod petimus, incommodi. [Eſt vtilitatis & in tempore quæſtio, expedit, ſed non nunc. Et in loco, Non hic. Et in perſona, Non nobis, non contra hos. Et in genere agẽdi, Non ſic. Et in modo, Non in tantum. ¶Sed perſonam ſæpius

decoris cauſa intuemur, quæ & in nobis, & in ijs qui delibe- PERSO-
rant, ſpectãda eſt. Itaque quamuis exempla plurimum in con- na deliberãtis
ſilijs poſſint: quia facillimè ad cõſentiendum homines ducun
tur experimentis, refert tamen, quorum authoritas, & quibus
adhibeatur. Diuerſi ſunt enim deliberantium animi, duplex
conditio. [Nam cõſultant aut plures, aut ſinguli, ſed in vtriſq;
differentia: quia & in pluribus multum intereſt, ſenatus ſit, an
populus: Romani, an Fidenates: Græci, an Barbari. Et in ſingu
lis, Catoni petẽdos honores ſuadeamus, an C. Mario. De ratio-
ne belli Scipio prior, an Fabius deliberet. Proinde intuẽda, ſe-
xus, dignitas, ætas. Sed mores præcipuè diſcrimen dabunt. [Et
honeſta quidem honeſtis ſuadere facillimum eſt: ſi vero apud
turpes recta obtinere conabimur, ne videamur exprobrare
diuerſam vitæ ſectam, cauendum eſt. Et animus deliberantis,
non ipſa honeſti natura, quam ille non reſpicit, permouen-
dus, ſed laude, vulgi opinione (& ſi parum proficiet hæc vani-
tas) ſecutura ex his vtilitate, aliquanto vero magis obijciendo
aliquos ſi diuerſa fecerit metus. Nam præter id quòd his leuiſ
ſimi cuiuſque animus facillimè terretur, neſcio an etiam na-
turaliter apud plurimos plus valeat malorũ timor, quàm ſpes
bonorum: ſicut facilior eiſdem turpium, quàm honeſtorum
intellectus eſt. [Aliquando bonis quoque ſuadentur parum de
cora, dantur parum bonis conſilia: in quibus ipſorum, qui con
ſulunt, ſpectatur vtilitas. [Nec me fallit, quæ ſtatim cogitatio Remouet ob-
ſubire poſſit legentem. Hoc ergo præcipis? & hoc fas putas? Po ieCtionem.
terat me liberare M. Cicero, qui ita ſcribit ad Brutum, Propoſi
tis plurimis, quæ honeſtè ſuaderi Cæſari poſſent, Sí mne bonus
vir, ſi hæc ſuadeam? minimè. Suaſoriæ enim eſt finis, vtilitas e-
ius, cui quiſque ſuadet. At recta ſunt: quis negat? ſed non eſt
ſemper rectis in ſuadẽdo locus. Sed quia eſt altior quæſtio, nec
tãtum ad ſuaſorias pertinet, deſtinatus eſt mihi hic locus duo-
decimo, qui ſummus futurus eſt, libro. Nec ego quicquam fie
ri turpiter velim, verùm interim hæc, vel ad ſcholarum exer-
citationes pertinere credantur: nam & iniquorum ratio no-
ſcenda eſt, vt melius æqua tueamur. Interim ſi quis bono in-
honeſta ſuadebit, meminerit non ſuadere tãquam inhoneſta,
vt quidam declamatores Sext. Pompeium ad piraticã, propter
hoc ipſum q̃ turpis ac crudelis ſit, impellunt. Sed dandus illis
deformibus color, ídque etiam apud malos. Nec enim eſt quiſ-

rationémque consilia desiderent? Neque ego negauerim sæpius subsidere in controuersijs impetum dicendi proœmio, narratione, argumẽtis: quem si detrahas, id ferè supererit, quo suasoriæ constant. Verum id quoque æqualius erit, non tumultuosius, atque turbidius. [Verborum autem magnificẽtia non validius est affectanda suasorias declamantibus, sed contingit magis. Nam & personæ ferè magnæ fingentibus placent, Regum, principum, populi, Senatus, & res ampliores: ita cum verba rebus aptentur, ipso materię nitore clarescũt. Alia veris consilijs ratio est. Ideóque Theophrastus quammaximè remotum ab omni affectatione in deliberatiuo genere voluit esse sermonem, secutus in hoc authoritatẽ præceptoris sui, quanquam dissentire ab eo non timidè solet. Nanq; Aristoteles ideneam maxime ad scribendum demonstratiuã, proximámque ab ea iudicialem putauit, videlicet quoniam prior illa tota esset ostentationis, hæc secunda egeret artis: vel quòd ad fallendum, si ita popposcisset vtilitas, consilia fide, prudentiáque constarent. Quibus in demonstratiua consentio. Nam & omnes alij scriptores idem tradiderunt. In iudicijs autem consilijsq;, secundum conditionem ipsius quæ tractabitur rei, accommodandam dicendi credo rationem. Nam & Philippicas Demosthenis ijsdem, quibus habitas in iudicijs orationes, video emi nere virtutibus. Et Ciceronis sententiæ & conciones, non minus clarum quàm est in accusationibus ac defensionibus eloquentiæ lumen ostendunt. Dicit tamen de suasoria idem hoc modo, Tota autẽ oratio simplex & grauis, & sententijs debet ornatior esse q̃ verbis. [Vsum exemplorum nulli materiæ magis conuenire meritò ferè omnes consentiunt, cum plerũque videantur respondere futura præteritis, habeatúrque experimẽtum, velut quoddam rationis testimonium. [Breuitas quoque aut copia non genere materiæ, sed modo constat. Nam vt in consilijs plerunque simplicior quæstio est, ita sæpe in causis minor. Quæ omnia vera esse sciet, si quis non orationes modo, sed historias etiam (nanque in his conciones atque sententiæ plerunq; suadendi fungũtur officio) legere maluerit, quàm in commentarijs Rhetorum conseneſcere. Inueniet enim nec in cõsilijs abrupta initia, & concitatius sæpe in iudicijs dictũ, & verba aptata rebus in vtroque genere, & breuiores aliquando causarum orationes quàm sententiarum. Ne illa quidem in ijs vitia deprehendet, quibus quidam declamatores labo-

De verbis.

rant, quòd & contra sentientibus inhumanè conuiciantur,& ita plerunque dicunt,tanquã ab his qui deliberant,vtique dissentiant.Itaque obiurgantibus similiores sunt quàm suadentibus.[Hæc adolescẽtes sibi scripta sciãt,ne aliter quàm dicturi sint exerceri velint,& in desuescendis morentur. Cæterum cum aduocari cœperint in consilia amicorum,dicere sententiam in Senatu,suadere,si quid consulet princeps,quod præceptis fortasse non credunt,vsu docebuntur.

¶De partibus causarum iudicialium. Cap.XI.

NVnc de iudiciali genere,quod est præcipuè multiplex, sed officijs constat duobus, intẽtionis ac depulsionis. Cuius partes,vt plurimis authoribus placuit, quinque sunt:proœmium,narratio,probatio,refutatio,peroratio.[His adiecerunt quidam partitionem,propositionẽ,excessum:quarum priores duæ probationi succedunt.Nam proponere quidem quæ sis probaturus,necesse est,sed & concludere.Cur igitur,si illa pars causæ est,non & hæc sit?[Partitio vero dispositionis est species,ipsa dispositio pars Rhetorices,& per omnes materias totúmque earum corpus æqualiter fusa,sicut inuentio,elocutio.Ideóque eam non orationis tantum partẽ vnam esse credendum est,sed quæstionum etiam singularum. Quæ nanque est quæstio, in qua non promittere possit orator, quid primo,quid secũdo,quid tertio sit loco dicturus?quod est proprium partitionis. Quàm ergo ridiculum est,quęstionem quidem speciem esse probationis: partitionem autẽ, quæ sit species quæstionis,partem totius orationis vocari?[Egressio vero, vel(quod vsitatius esse cœpit)excessus, siue est extra causam, non potest esse pars causæ:siue est in causa,adiutorium vel ornamẽtum partium earũ est,ex quibus egreditur.Nam si quicquid in causa est,pars causæ vocabitur,cur non argumentũ,similitudo,locus cõmunis, affectus, exempla,partes vocentur? [Tamẽ nec ijs assentior,qui detrahunt refutationẽ, tanquam probationi subiectã,vt Aristoteles. Hæc enim est quæ constituat,illa quæ destruat.[Hoc quoque idem aliquatenus nouat, quòd proœmio nõ narrationem subiungit, sed propositionẽ. Verum id facit, quia propositio genus, narratio species videtur:& hac non semper,illa semper & vbique credit opus esse.

Quinq; partes causarum iudicialium.

Partitio.

Egressio.

Refutatio.

¶Verum ex his quas constitui partibus,non vt quidq; primũ dicendũ,ita primum cogitandum est. Sed ante omnia intueri oportet quod sit genus causæ,quid in ea quæratur,quid prosit,

De ordine partium.

quid noceat: deinde quid confirmandum atque refellendum ſit:tum,quomodo narrandum. Expoſitio enim probationum eſt præparatio,nec eſſe vtilis poteſt,niſi prius conſtiterit,quid debeat de probatione promittere.Poſtremo intuendū quemadmodum iudex ſit conciliandus. Nec enim niſi totis cauſæ partibus diligenter inſpectis, ſcire poſſumus qualem nobis facere animum cognoſcentis expediat,ſeuerum an mitem,concitatum an remiſſum, aduerſum gratiæ an obnoxium. [Nec ideo tamen eos probauerim, qui ſcribendum quoque proœmium nouiſſimè putant. Nam vt conferri materiam omnem oportet,& quid quoq; loco ſit opus,conſtare debet,antequam dicere aut ſcribere ordiamur,ita incipiendum ab ijs,quæ prima ſunt. Nam nec pingere quiſquam aut fingere cœpit à pedibus.Nec denique ars vlla cōſummatur ibi,vnde ordiendum eſt.Quid fiet alioqui ſi ſpatium componendi orationem ſtylo non fuerit?nónne nos hæc inuerſa conſuetudo deceperit? Inſpicienda igitur materia eſt,quo præcipimus ordine:ſcribenda,quo dicimus.

¶De generibus iudicialium controuerſiarum. Cap.XII.

CAeterum cauſa omnis, in qua pars altera agentis eſt, altera recuſantis : aut vnius rei controuerſia conſtat, aut plurium.Illa ſimplex dicitur,hæc coniuncta.Vna controuerſia eſt,per ſe furti,per ſe adulterij. [Plures aut eiuſdem generis, vt in pecunijs repetundis: aut diuerſi, vt ſi quis ſacrilegij & homicidij ſimul accuſetur. Quod nunc in publicis iudicijs non accidit, quoniam Prætor certa lege ſortitur. Principum autem & Senatus cognitionibus frequens eſt,& populi fuit.Priuata quoque iudicia ſæpe vnum iudicem habere multis & diuerſis formulis ſolēt:nec aliæ ſpecies erunt,etiam ſi vnus à duobus duntaxat eandem rem,atque ex eadem cauſa petet: aut duo ab vno,aut plures à pluribus,quod accidere in hæreditarijs litibus interim ſcimus:quia quamuis in multis perſonis, cauſa tamen vna eſt,niſi conditio perſonarum quæſtiones variauerit.[Diuerſum his tertium genus,quod dicitur comparatiuum,cuius rei tractatus in parte cauſæ frequens eſt: vt cum apud Centumuiros poſt alia quæritur & hoc, vter dignior hæreditate ſit. Rarum eſt autem vt in foro iudicia propter id ſolum conſtituantur, ſicut diuinationes, quæ fiunt de accuſatore conſtituendo,& nōnunquam inter delatores, vter præmium meruerit. ¶Adiecerunt quidam numero mutuam

accuſationem, quæ ἀντικατηγορία vocatur, alijs videlicet ſuccedere hanc quoq; comparatiuo generi exiſtimantibus: cui ſimilis erit petitionum inuicem diuerſarum, quod accidit vel frequẽtiſſimè. Id ſi & ipſum vocari debet ἀντικατηγορία (nam proprio caret nomine) duo erunt genera eius: alterũ, quo litigatores idem crimen inuicem intentant: alterum, quo aliud atq; aliud: cui & petitionum cõditio par eſt. ¶ Cum apparuerit genus cauſæ, tum intuebimur, negetúrne factum quod intenditur, an defendatur, an alio nomine appelletur, an à genere actionis repellatur: vnde ſunt ſtatus.

¶ Quid quæſtio & quæ ſit ratio, iudicatio, continens, & quatenus neceſſaria. Cap. XIII.

His inuẽtis intuendum deinceps Hermagoræ videtur, quid ſit quæſtio, ratio, iudicatio, continens, id eſt συνέχον, vel vt alij vocant, firmamẽtum. ¶ Quæſtio latius intelligitur omnis de qua in vtrãque partem, vel in plures dici credibiliter poteſt. In iudiciali autem materia dupliciter accipienda eſt: altero modo, quo dicimus multas quæſtiones habere controuerſiam, quo etiam minores omnes cõplectimur: altero, quo ſignificamus ſummam illam, in qua cauſa vertitur: de hac nunc loquor, ex qua naſcitur ſtatus, an factum ſit, quid factum ſit, an rectè factũ ſit. [Has Hermagoras & Apollodorus, & alij plurimi ſcriptores propriè quæſtiones vocant: Theodorus (vt dixi) capita generalia, ſicut illas minores, aut ex illis pendentes, ſpecialia. Nam & quæſtionem ex quæſtione naſci, & ſpeciem in ſpecies diuidi, conuenit. Hanc igitur quæſtionem veluti principalem vocant ζήτημα. ¶ Ratio autem eſt, qua id quod factum eſſe cõſtat, defenditur. Et cur non vtamur eodem quo ſunt vſi ferè omnes exemplo? Oreſtes matrem occidit. Hoc cõſtat, dicit ſe iuſtè feciſſe: ſtatus erit qualitatis. quæſtio, an iuſtè fecerit, ratio quòd Clytemneſtra maritum ſuum patrem Oreſtis occidit. Hoc αἴτιον dicitur: κρινόμενον autem iudicatio, An oportuerit vel nocentem matrem à filio occidi. [Quidã diuiſerũt αἴτιον & αἰτίαν, vt eſſet altera, propter quam iudicium conſtitutum eſt, vt occiſa Clytemneſtra: altera qua factum defenditur, vt occiſus Agamemnon. Sed tanta eſt circa verba diſſenſio, vt alij αἰτίαν cauſam iudicij, αἴτιον autẽ facti vocent, alij eadem in contrarium vertant. [Latinorum quidã hæc initium & rationem vocauerunt: quidã vtrunque eodem nomine appellant. [Cauſa quoque ex cauſa, id eſt αἴτιον ἐξ αἰτίας

Quæſtio.

Ratio.

Iudicatio.

nasci videtur: quale est, occidit Agamemnonem Clytemnestra, quia ille filiam cõmunem immolauerat, & captiuam pellicem adducebat. Ijdem putant & sub vna quæstione plures esse rationes, vt si Orestes & alteram afferat causam matris necatæ, quòd responsis sit impulsus. Quot autem causas faciendi, totidem iudicationes. Nam & hæc erit iudicatio, an responsis parere debuerit. [Sed & vna causa plures habere quæstiones, & iudicationes (vt ego arbitror) potest, vt in eo qui cum adulteram deprehensam occidisset, adulterum, qui tum effugerat, postea in foro occidit. Causa enim est vna, adulter fuit. Quæstiones, & iudicationes, an illo tempore, an illo loco licuerit occidere. [Sed sicut, cum sint plures quęstiones, omnésque suos status habeant, causæ tamen status vnus sit, ad quem referentur omnia: ita iudicatio maximè propria, de qua pronuntiatur. ¶ Συνέχον autem, quod vt dixi, continens alij, firmamentum alij putant, Cicero firmissimam argumẽtationem defensoris, & appositissimam ad iudicationem: quibusdam id videtur esse, post quod nihil quæritur, quibusdam id quod ad iudicationem firmissimũ affertur. Causa facti non in omnes controuersias cadit. Nam quæ fuerit causa faciendi, vbi factũ negatur? At vbi causa tractatur, negant eodem loco esse iudicationem, quo quæstionem. Idque & in Rhetoricis Cicero, & in Partitionibus dicit. Nam & in coniectura est quæstio ex illo, factum, non factum, an factum sit. Ibi ergo iudicatio, vbi quęstio: quia in eadẽ re prima quæstio, & extrema disceptatio. At in qualitate, matrẽ Orestes occidit, recte, non recte, an recte occiderit, quæstio, nec statim iudicatio, quãdo ergo? illa patrẽ meum occiderat. sed non ideo tu matrẽ debuisti occidere, an debuerit, hic iudicatio. Firmamentũ autem verbis ipsius ponã. Si velit Orestes dicere eiusmodi animũ matris suæ in patrem suum, in seipsum ac sorores, in regnũ, in famam generis ac familię, vt merito ab ea pœnas liberi potissimũ petere debuerint. Vtuntur alij & talibus exẽplis: Qui bona paterna consumpserit, ne cõcionetur: in opera publica cõsumpsit, quæstio an quisquis cõsumpserit, prohibẽdus sit: iudicatio an qui sic. Velut in causa militis Arunci, qui Lucium Tribunũ vim sibi inferentẽ interfecit, quæstio, an iure fecerit. ratio, ꝙ is vim afferebat. iudicatio, an indemnatum, an Tribunũ à milite occidi oportuerit. [Alterius etiã status quæstionem, alterius iudicationem putãt. Quæstio qualitatis, an rectè Clodiũ Milo occiderit. iudica-

Continens. In rhet. li. 1.

Causa facti.

tio coniecturalis,an Clodius insidias fecerit.[Ponunt & illud, sæpè causam in aliquã rem dimitti,quæ non sit propria quæstionis,& de ea iudicari.A quibus multũ dissentio.nam & illa quæstio, an omnes qui paterna bona cõsumpserint,concione sint prohibendi,habeat oportet suam iudicationem.Ergo non alia quæstio,alia iudicatio erit,sed plures quæstiones,& plures iudicationes. Quid?non in causa Milonis ipsa coniectura refertur ad qualitatẽ? Nam si est insidiatus Clodius, sequitur vt rectè sit occisus.Cum vero in aliquã rem missa causa,est recessum à quæstione,quæ erat cõstituta,hic quæstio,vbi iudicatio est.[Paulũ in his secum etiam Cicero dissentit.Nam in Rhetoricis(quemadmodum supra dixi)Hermagoram est secutus:in Topicis ex statu effectam cõtentionem τὸ κεινόμενον existimat. Idq; Trebatio,qui iuris erat consultus,alludens,de qua re agitur appellat, quibus id contineatur, continentia, quasi firmamẽta defensionis,quibus sublatis defensio nulla sit.At in partitionibus oratorijs firmamentũ, quod opponitur defensioni, quia continens quod primũ sit,ab accusatore dicatur, ratio à reo:ex rationis & firmamenti quęstione disceptatio sit iudicationum.Verius igitur & breuius qui statũ,& continens,& iudicationem idem esse voluerunt. Continens autem id esse, quo sublato,lis esse non possit.Hi mihi videntur vtranque causam complexi,& quòd Orestes matrem,& quòd Clytemnestra Agamemnonem occiderit. Ijdem iudicationem & statum consentire semper existimant. Neque enim aliud eorum rationi conueniens fuisset.Verum hæc affectata subtilitas,circa nomina rerum,ambitioso labore à nobis in hoc assumpta solum,ne parum diligenter inquisisse de opere,quod aggressi sumus,videremur.Simplicius autem instituenti nõ est necesse per tam minutas rerum particulas rationem dicendi concidere. Quo vitio multi quidem laborauerunt,præcipuè tamen Hermagoras,vir alioqui subtilis,& in plurimis admirandus, tantum diligentiæ nimium solicitæ,vt ipsa eius reprehẽsio laude aliqua nõ indigna sit.[Hæc autẽ breuior & vero lucidior multo via, nec discẽtem per ambages fatigabit, nec corpus orationis in parua momẽta deducendo cõsumet.Nam qui viderit quid sit quod in controuersiã venit,quid in eo,& per quę velit efficere pars diuersa,quid nostra(quod in primis intuendũ)nihil eorũ ignorare,de quib⁹ supra diximus,poterit.Nec est ferè quisquã modo non stultus, atque ab omni prorsus vsu dicendi remo

Continens.

Generalis præceptio.

Cauſa vel cõtinens.

tus,quin ſciat & quid litem faciat,quod ab illis cauſa,vel continens dicitur,& quæ ſit inter litigãtes quæſtio,& de quo iudicari oporteat:quæ omnia idem ſunt.Nam & de eo quæſtio eſt quod in controuerſiam venit:& de eo iudicatur,de quo quæſtio eſt. Sed non perpetuò intendimus in hæc animum, & cupiditate laudis vtcunque acquirendæ,vel dicendi voluptate euagamur, quando vberior ſemper extra cauſam materia eſt, quia in cõtrouerſia pauca ſunt,extrà omnia:& hic dicitur de his,quæ accepimus,illic de quibus volumus.Nec tam hoc præcipiendum eſt,vt quæſtionem,continens,iudicationem inueniamus,(nam id quidem facile eſt) quàm vt intueamur ſemper,aut certè ſi digreſſi fuerimus,ſaltem reſpiciamus ne plauſum affectantibus arma excidant. Theodori ſchola(vt dixi) omnia refert ad capita.His plura intelligũtur.Vno modo ſumma quæſtio,item vt ſtatus:altero,cæteræ quæ ad ſummam referuntur: tertio, propoſitio cum affirmatione:vt dicimus,caput rei eſt apud Menãdrum,κεφάλαιόν ἐστιν.In vniuerſum autem quicquid probandum eſt, erit caput, ſed id maius aut minus. Et quoniam quæ de his erant à ſcriptoribus artiũ tradita,verboſius etiam quàm neceſſe erat expoſuimus:præterea quæ partes eſſent iudicialium cauſarum, ſupra dictum eſt: proximus liber principia,id eſt exordia concipiet.

M. FABII QVINTILIANI DE institutione oratoria in librum quartum, qui de exordio, narratione, egressione, propositione, partitione est,

PROLOGVS.

PErfecto Marcelle Victori operis tibi dedicati tertio libro,& iam quarta ferè laboris parte trãsacta,nouæ insuper mihi diligentiæ causa,& altior solicitudo,quale iudiciũ hominũ emererer, accessit. Adhuc enim velut studia inter nos conferebamus, & si parũ nostra institutio probaretur à cęteris, contẽti fore domestico vsu videbamur,vt tui meíque filij disciplinam formare,satis putaremus.Cum vero mihi Domitianus Augustus sororis suæ nepotum delegauerit curam,non satis honorẽ iudiciorum cælestium intelligam, nisi ex hoc oneris quoq; magnitudinẽ metiar. Quis enim mihi aut moresexcolẽdi sit modus,vt eos nõ immerito probauerit sanctissimus censor? aut studia, ne fefellisse in his videar Principem,vt in omnibus,ita in eloquentia quoque eminentissimum? Quòd si nemo miratur poetas maximos sæpè feciſſe,vt non solum initijs operum suorum Musas inuocarent, sed prouecti quoque longius, cum ad aliquem grauiorem veniſſent locum,repeterent vota, & velut noua precatione vterentur: mihi quoque profecto poterit ignosci, si quod initio, quum primum hanc materiam inchoaui non feceram, nunc omnes in auxilium deos,ipsúmque in primis, quo neque præsentius aliud, neque studijs magis propitium numen est,inuocem:vt quantum nobis expectationis adiecit,tãtum ingenij aspiret,dextérque ac volens adsit,& me qualem esse credidit,faciat. Cuius mihi religionis non hæc sola ratio, quæ maxima est, sed alioqui sic procedit ipsum opus,vt maiora præteritis,ac magis ardua sint quæ ingredior. Sequitur enim vt iudicialium causarum, quæ sunt maximè variæ ac multiplices,ordo explicetur:quod proœmij officium:quæ ratio narrãdi:quæ probationum sit fides, seu proposita confirmamus seu cõtradicta dissoluimus:quanta vis in perorando, seu reficienda breui repetitione rerum memoria est iudicis, siue affectus(quod est longè potentissi-

Blãditur Domitiano.

Proponit quę deinceps tractanda sunt.

mum commouendi. De quibus partibus ſingulis quidam ſeparatim ſcribere maluerunt, velut onus totius corporis veriti, & ſic quoq; complures de vnaquaque earum libros ediderunt, quas ego omnes auſus contexere, propè infinitum mihi laborem proſpicio, & ipſa cogitatione ſuſcepti muneris fatigor. Sed durandum eſt quia cœpimus: & ſi viribus deficiemur, animo tamen perſeuerandum.

¶ De exordio. Cap. I.

Procemiũ vnde dictum.

QVod principium latinè vel exordium dicitur, maiore quadã ratione Græci videntur προοίμιον nominaſſe, quia à noſtris modò initium ſignificatur, illi ſatis clarè partem hanc eſſe ante ingreſſum rei de qua dicendum ſit, oſtendunt. Nam ſiue propterea quòd οἶμη cantus eſt, & citharœdi pauca illa, quæ antequam legitimum carmen inchoent, emerendi fauoris gratia canunt, procœmium vocauerũt: oratores quoque ea quæ priuſquam cauſam exordiantur, ad conciliãdos ſibi iudicum animos præloquũtur, eadem appellatione ſignarunt: ſiue ᾧ ὁῖμος ijdem Græci viam appellãt, id quod ante ingreſſum rei ponitur, ſic vocare eſt inſtitutum. Certe procœmium eſt, quod apud iudicẽ dici priuſquam cauſam cognouerit, proſit. [Vitioſéq; in ſcholis facimus, quòd exordio ſemper ſic vtimur, quaſi cauſam iudex iam nouerit. Cuius rei licentia ex hoc eſt, ᾧ ante declamationẽ, illa velut imago litis exponitur. Sed in foro quoque contingere iſtud principiorum genus ſecundis actionibus poteſt, primis quidem rarò, vel nũquam: niſi forte apud eum cui res aliunde iam nota ſit, dicimus.

Contra declamatores.

Procemijvſ⁹, & quot eius partes.

¶ Cauſa principij nulla alia eſt, quàm vt auditorẽ, quo ſit nobis in cæteris partibus accommodatior, præparemus. Id fieri tribus maximè rebus inter authores plurimos conſtat: ſi beneuolum, attentum, docilem fecerimus: non quia iſta non per totam actionem ſint cuſtodienda, ſed quia in initijs maximè neceſſaria, per quæ in animum iudicis, vt procedere vltrà poſſimus, admittimur. [Beneuolentiã, aut à perſonis ducimus, aut à cauſis accipimus. Sed perſonarum non eſt (vt plerique crediderũt) triplex ratio ex litigatore, aduerſario, & iudice. Nam exordium duci nonnunquam etiam ab actore cauſæ ſolet. Quanquã enim pauciora de ſeipſo dicit & parcius, plurimũ tamen ad omnia momẽti eſt in hoc poſitum ſi vir bonus credatur. Sic enim continget, vt non ſtudium aduocati videtur afferre, ſed penè teſtis fidem. Quare in primis exiſtimetur ve-

BENEVOlentia vnde ducatur.

niſſe ad agẽdum ductus officio vel cognationis,vel amicitiæ, maximéque ſi fieri poterit, Reipub.aut alicuius certe nõ mediocris exempli. Quod ſine dubio multo magis ipſis litigatoribus faciendum eſt,vt ad agendum magna,atque honeſta ratione,aut etiam neceſſitate acceſſiſſe videantur. Sed vt præcipua in hoc dicẽtis authoritas,ſi omnis in ſubeũdo negotio ſuſpicio ſordiũ,aut odiorum,aut ambitionis abfuerit:ita.quædã in ijs quoque cõmendatio tacita,ſi nos infirmos,imparatos,& impares agentium contra ingenijs dixerimus:qualia ſunt pleraque Meſſalæ proœmia.Eſt enim naturalis fauor pro laborantibus,& iudex religioſus libentiſſimè patronũ audit,quem iuſtitiæ ſuæ minimè timet.Inde illa veterum circa occultãdam eloquẽtiam ſimulatio, multum ab hac noſtrorum temporum iactatione diuerſa.Vitandum etiam ne cõtumelioſi,maligni, ſuperbi,maledici in quenquam hominem ordinémve videamur:prẽcipuéq; eorum,qui lædi,niſi auerſa iudicũ voluntate, non poſſunt.Nã in iudicẽ ne quid dicatur,nõ modo palàm,ſed ne quod omnino intelligi poſſit ſtultũ erat monere,niſi fieret. *A perſona actoris.*

[Etiam partis aduerſæ patronus dabit exordio materiam:interim cum honore,ſi eloquentiam eius ac gratiam nos timere fingendo,vt ea ſuſpecta ſint iudici,fecerimus:interim per contumeliam,ſed hoc perquam rarò,vt Aſinius pro Vrbiniæ hæredibus, Labienũ aduerſarij patronum inter argumẽta cauſæ malæ poſuit. Negat hæc eſſe proœmia Corn.Celſus, quia ſint extra litẽ.Sed ego cum authoritate ſummorũ authorum magis ducor,tum pertinere ad cauſam puto,quicquid ad dicentẽ pertinet:cũ ſit naturale,vt iudices ijs,quos libẽtius audiunt,etiam facilius credant. *A perſona aduerſæ partis.*

[Ipſius autẽ litigatoris perſona tractãda varie eſt.Nam tum dignitas eius allegatur,tum commendatur infirmitas:nõnunquam contingit relatio meritorum: de quibus verecundius dicendũ erit ſua,q̃ aliena laudanti. Multũ agit ſexus,ætas,cõditio,vt in fœminis,ſenibus,pupillis,liberos, parentes,coniuges allegantibus.Nam ſola rectum quoq; iudicem inclinat miſeratio.Deguſtanda tamẽ hæc proœmio,non conſumenda. *A perſona litigatoris.*

[Aduerſarij verò perſona propè ijſdem omnibus,ſed econtrario ductis,impugnari ſolet.Nam & potẽtes ſequitur inuidia, & humiles abiectóſque contemptus , & turpes ac nocentes odium. Quæ tria ſunt ad alienandos iudicũ animos potentiſſima. Neq; hæc dicere ſatis eſt quod datur etiam imperitis:pleraq; augẽda aut minuẽda,vt expediet.Hoc enim *A perſona aduerſarij.*

A perſona iudicis. oratoris eſt, illud cauſæ. [Iudicem conciliabimus nobis non tantum laudando eum, quod & fieri cum modo debet, & eſt tamen parti vtrique commune: ſed ſi laudem eius ad vtilitatem noſtræ cauſæ coniunxerimus, vt allegemus pro honeſtis *illæſam.* dignitatem *illi ſuam, pro humilibus iuſtitiam, pro infelicibus miſericordiam, pro læſis ſeueritatem, & ſimiliter cætera. Mores quoque (ſi fieri poteſt) iudicis velim noſſe. Nam prout aſperi, lenes, iucundi, graues, duri, remiſſi erunt, aut aſſumere in cauſam naturas eorum qua competent, aut mitigare qua repugnabunt, oportebit. Accidit autem interim hoc quoque vt aut nobis inimicus, aut aduerſario ſit amicus, qui iudicat: quæ res vtrique parti tractanda eſt, ac neſcio an ei magis, in quam videtur propenſior. Eſt enim nonnunquam prauis hic ambitus, aduerſus amicos, aut pro his quibuſcũ ſimultates gerant, pronuntiandi, faciendíque iniuſtè, ne feciſſe videantur. Fuerũt etiam quidam rerum ſuarum iudices. Nam & in libris Obſeruationum à Septimio editis, affuiſſe Ciceronem tali cauſæ inuenio. Et ego pro regina Berenice apud ipſam, cauſam dixi. Similis hic quoque ſuperioribus ratio eſt, aduerſarius enim fiduciam partis ſuæ iactat, patronus timet cognoſcentis verecundiam. Præterea detrahenda vel confirmanda opinio, ſi quam præcipuè domo videbitur iudex attuliſſe. Metus etiam nonnunquam eſt amouendus, vt Cicero pro Milone, ne arma Pompeij diſpoſita contra ſe putarent, laborauit: nonnũquam* Act. 2. *i Ver.* *adhibendus, vt idem in Verrem facit, ſed adhibendi modus: alter ille frequens & fauorabilis, ne malè ſentiat populus Romanus, ne iudicia tranſferãtur: alter autem aſper & rarus, quominatur corruptis accuſationem: & id quidem in conſilio ampliore, vtcunque tutius: nam & mali inhibentur, & boni gaudent. Apud ſingulos vero nunquam ſuaſerim, niſi defecerint omnia. Quòd ſi neceſſitas exigit, non erit iam ex arte oratoria, non magis quàm appellare, etiam ſi id quoque ſæpe vtile eſt, aut antequam pronuntiet reum facere. Nam & minari, &* *A cauſa exordium.* *deferre, etiam non orator poteſt.* ¶ *Si cauſa conciliandi nobis iudicis materiã dabit, ex hac potiſſimum aliqua in vſum principij, quæ maximè fauorabilia videbuntur, decerpi oportebit.* [Quo in loco Virginius fallitur, qui Theodoro placere tradit, vt ex ſingulis quæſtionibus ſinguli ſenſus in proœmium conferantur. Nam ille non hoc dicit, ſed ad potẽtiſſimas quæſtiones iudicem præparandum. In quo vitij nihil erat, niſi in vni-

uersũ id præciperet:quod nec omnis actio patitur,nec omnis causa desiderat.Nam protinus à petitore primo loco,dũ ignota iudici lis est, quo modo ex quæstionibus ducemus sententias?nimirum res erunt indicandæ prius.Demus aliquas,nam id exigit ratio nonnunquam, etiam ne potentissimas omnes, id est, totam causam? sic erit in proœmio peracta narratio. Quid vero, si(vt frequenter accidit)paulo est durior causa, non beneuolentia iudicis petenda ex alijs partibus erit? sed non nisi ante conciliato eius animo, nuda quæstionum committetur asperitas.quę si recte semper initio dicendi tractarẽtur,nihil proœmio opus esset. Aliqua ergo nonnunquam,quæ erunt ad conciliandum nobis iudicem potentissima, non inutiliter interim ex quæstionibus in exordio locabũtur. Quæ sint porrò in causis fauorabilia, enumerare non est necesse, quoniam & manifesta erunt cognita cuiusq; controuersiæ cõditione,& omnia colligi in tanta litium varietate nõ possunt. [Vt autem hæc inuenire & augere,ita quod lædit,aut omnino repellere,aut certè minuere, ex causa est. [Miseratio quoque aliquando ex eodem venit, siue quid passi sumus graue, siue passuri. Nec enim sum in hac opinione,qua quidam, vt eo distare proœmiũ ab epilogo credam,quòd in hoc præterita, in illo futura dicantur.Sed quòd in ingressu parcius & modestius prætentanda est iudicis misericordia: in epilogo vero liceat totos effundere affectus,& fictam orationẽ induere personis, & defunctos excitare,& pignora eorum producere:quæ minus exordijs sunt vsitata. [Sed hæc quæ supra dixi, non tentare tantum,verum ex diuerso amoliri quoque proœmio opus est. Vt autem nostrũ miserabilem,si vincamur,exitum:ita aduersariorum superbũ,si vicerint,vtile est credi. ¶Sed ex ijs quoque,quæ non sunt personarũ nec causarum, verùm adiuncta personis & causis,duci proœmia solent.[Personis applicãtur non pignora modo,de quibus supra dixi,sed propinquitates, amicitiæ interim,regiones etiam ciuitatésque,& si quid aliud eius,quem defendimus, causa dici potest. [Ad causam extra pertinet tempus, vnde principiũ pro Cælio. Locus,vnde pro Deiotaro.Habitus, vnde pro Milone. Opinio,vnde in Verrẽ. Deinceps ne omnia enumerẽtur fama iudiciorum,expectatio vulgi,nihil enim horũ in causa est,ad causam tamẽ pertinent. [Adijcit Theophrastus ab actione principium,quale videtur esse Demosthenis pro Ctesiphonte, vt sibi dicere suo potius

Ab adiunctis causæ & personis,quę exordia extra causam sunt & varia.

arbitrio liceat rogantis,quàm eo modo, quẽ accuſator actione præſcripſerat. [Fiducia ipſa ſolet opinione arrogantiæ laborare.[Faciunt fauorem & illa penè communia,non tamen omittenda,vel ideo ne occupentur: optare,abominari, rogare,ſolicitũ agere. ¶Quæ plerũque attentum quoque iudicem faciunt, ſi res agi videtur noua, magna, atrox, pertinens ad exemplum:præcipuè tamen ſi iudex aut ſua vice,aut reipub. commouetur:cuius animus ſpe,metu,admonitione, precibus, vanitate denique, ſi id profuturum credimus, agitandus eſt. [Sunt & illa excitandis ad audiendũ non inutilia,ſi nos neq; diu moraturos,neq; extra cauſã dicturos exiſtimẽt. ¶Docilẽ ſine dubio & hæc ipſa præſtat attentio,ſed & illud, ſi breuiter & dilucidè ſummam rei,de qua cognoſcere debeat, indicauerimus: quod Homerus atque Vergilius operum ſuorum principijs faciunt. Nam iſtius rei modus eſt,vt propoſitioni ſimilior ſit q̃ expoſitioni : nec quomodo quicque ſit actum, ſed de quibus dicturus ſit orator oſtendat. Nec video quod huius rei apud oratores poſſit reperiri melius exemplum, quàm Ciceronis pro Cluentio, Animaduerti Iudices omnem accuſatoris orationem in duas diuiſam eſſe partes:quarũ altera mihi niti,& magnopere cõfidere videbatur,inuidia iam inueterata iudicij Iuniani: altera tantũmodo cõſuetudinis cauſa timidè, & diffidenter attingere rationem veneficij criminũ, qua de re lege hæc eſt quæſtio cõſtituta.Id tamen totum reſpõdenti facilius eſt, quàm proponenti, quia hic admonendus iudex, illic docendus eſt. [Nec me quanquã magni authores in hoc duxerint,vt non ſemper facere attentum ac docilem iudicem velim: non quia neſciam id quod ab illis dicitur,eſſe pro mala cauſa, qualis ea ſit, non intelligi: verum quia iſtud non negligentia iudicis cõtingit, ſed errore.Dixit enim aduerſarius, & fortaſſe perſuaſit: nobis opus eſt eius diuerſa opinione,quæ mutari non poteſt, niſi illum fecerimus ad ea quæ dicemus, docilem & attentum. Quid ergo? imminuenda quædã & eleuanda,& quaſi contemnenda eſſe conſentio ad remittendam intentionem iudicis quam aduerſario præſtat,vt fecit pro Ligario Cicero. Quid enim agebat aliud Ironia illa, quàm vt Cæſar minus ſe in rem tanquã non nouam intenderet? Quid pro Cælio,quàm vt res expectatione minor videretur? ¶Verum ex ijs quæ propoſui,aliud in alio genere cauſæ deſiderari palàm eſt.Genera porrò cauſarum plurimi quinque fecerunt,

ATTENtio.

DOCILItas.

Attentio & docilitas iudicis ſemper neceſſaria.

Cauſarũ genera,ac proinde exordiẽ

honeſtum,humile,dubium vel anceps,admirabile,obſcurum, id eſt,ἔνδοξον,ἄδοξον,ἀμφίδοξον,παράδοξον,δυσπαρακολούθητον. Sunt quibus rectè videatur adijci turpe,quod alij humili,alij admirabili ſubijciunt. Admirabile autem vocant, quod eſt præter opinionem hominum conſtitutum. In ancipiti maxime beneuolum iudicem, in obſcuro docilem, in humili attentum parare debemus. Nam honeſtum quidem ad conciliationem ſatis per ſe valet. In admirabili & turpi,remedijs opus eſt. [Et eo quidem exordium in duas diuidunt partes, in principium & inſinuationem: vt ſit in principijs recta beneuolentiæ, & attentionis poſtulatio. Quæ quia eſſe in turpi genere cauſæ nō poſſit,inſinuatio ſurrepat animis,maximè vbi frons cauſæ nō ſatis honeſta eſt: vel quia res ſit improba,vel quia ab hominibus parum probetur: aut ſi facie ipſa quoque premitur, vel inuidia conſiſtentis ex diuerſo patroni,aut patris, vel miſerabilis ſenis, cæci,infantis. [Et quidā, quibus aduerſus hæc modis ſit medendū, verboſius tradunt, materiáſque ſibi ipſi fingunt,& ad morem actionum proſequuntur. Sed cum hęc oriātur ex cauſis,quarū ſpecies cōſequi omnes non poſſumus,niſi generaliter comprehendantur,in infinitum ſunt extrahendæ. Quare ſingulis conſilium ex propria ratione naſcetur. [Illud in vniuerſum præceptū ſit,vt ab ijs quæ lædunt,ad ea quę proſunt, refugiamus. Si enim cauſa laborabimus, perſona ſubueniat:ſi perſona,cauſa:ſi nihil quod nos adiuuet,erit,quęramus quid aduerſariū lædat. Nam vt optabile eſt plus fauoris mereri: ſic proximum, odij minus. In ijs quæ negari non poterunt, elaborandum,vt aut minora quàm dictum ſit,aut alia mente facta,aut nihil ad præſentem quæſtionē pertinere, aut emendari poſſe pœnitentia,aut ſatis iam punita videantur. Ideóque agere aduocato q̄ litigatori facilius:quia & laudat ſine arrogātiæ crimine, & aliquando vtiliter etiam reprehendere poteſt. Nā ſe quoq; moueri interim finget,vt pro Rabirio Poſthumo Cicero, dum aditum ſibi ad aures facit, & authoritatē induit vera ſentientis,quo magis credatur vel defendenti eadem,vel neganti. [Ideóque primum hoc intueamur, litigatoris an aduocati perſona ſit vtendum, quoties vtrumque fieri poteſt. Nam illud in ſchola liberum eſt,in foro rarum,vt ſit idoneus ſuæ rei quiſque defenſor. Declamaturus autem maximè poſitas in affectibus cauſas proprijs perſonis debet induere. Hi ſunt enim qui mandari nō poſſunt:nec eadem vi perferuntur

di rationes per principiū ve ſinſinuationē.

INSINUATIO, & quando ea vtendum.

Præcepta in ſinuationis.

Insinuationis causæ ex persona iudicis.

alieni animi,qua sui,motus. [His etiam de causis insinuatione videtur opus esse,si aduersarij actio iudicũ animos occupauerit,vel si dicendum apud fatigatos est : quorum alterũ promittendo nostras probationes, & aduersas *eluendo vitabimus:alterũ & spe breuitatis, & ijs quibus attentũ fieri iudicẽ docuimus.Et vrbanitas opportuna reficit animos,& vndecũque petita iudicis voluptas leuat tædiũ. [Nõ inutilis etiam est ratio occupandi quæ videntur obstare : vt Cicero dicit scire se,mirari quosdã,quòd is qui per tot annos defenderit multos læserit neminem,ad accusandũ Verrem descenderit:deinde ostendit hanc ipsam sociorum defensionem. Quod schema Prolepsis dicitur.Id cum sit vtile aliquando,nunc à declamatoribus quibusdam penè semper assumitur, qui fas nõ putant nisi à cõtrario incipere.¶Negant Apollodorũ secuti tres esse (de quibus diximus)præparãdi iudicis partes: sed multas species enumerant,vt ex moribus iudicis,ex opinionibus ad causam extrà pertinentibus,ex opinione de ipsa causa, quæ sunt propè infinitæ:tum ijs,ex quibus omnes constant cõtrouersiæ, personis, factis,dictis,causis,tẽporibus,locis, occasionibus cæteris. Quas veras esse fateor, sed in hæc tria genera recidere. Nam si iudicem benouolũ,attentũ, docilem habeo,quid amplius debeã optare non reperio : cum metus ipse,qui maximè videtur esse extra hæc,& attentũ iudicem faciat,& ab aduerso fauore deterreat.¶Verùm quoniã non est satis demonstrare discentibus, quæ sint in ratione proœmij, sed dicendũ etiam quomodo *perfici facillimè possint: hoc adijcio,vt dicturus intueatur,quid,apud quem,pro quo,contra quem,quo tẽpore, quo loco, quo rerum statu,qua vulgi fama dicendum sit,quid iudicem sentire credibile sit antequam incipiamus:tum quid aut desideremus,aut deprecemur:ipsa illũ natura eò ducet,vt sciat quid primum dicendum sit. At nunc omne quod cœperint, proœmium putant : & vt quicque succurrerit, vtique si aliqua sententia blandiatur,exordium.Multa autẽ sine dubio ex alijs partibus sunt,aut alijs partibus causæ cõmunia: nihil tamen in quoquã melius dicitur, quàm quod æquè benè dici alibi non possit ¶Multum gratiæ exordio est,quod ab actione aduersæ partis materiam trahit:hoc ipso quòd nõ compositũ domi, sed ibi atque ex re natum, & facilitate famam ingenij auget,& facie simplicis sumptíque è proximo sermonis fidem quoque acquirit: adeo vt etiam si reliqua scripta atque elabo-

Occupatio in exordijs.

Solvit diuersam opinionẽ de exordijs.

Generalis præceptio.

**perspici.*

Exordium ex aduersarij actione optimum.

rata ſint, tamen plerumque videatur tota extemporalis oratio, cuius initium nihil præparatum habuiſſe manifeſtum eſt. ¶Frequentiſſimè vero proœmium decebit & ſententiarũ, & compoſitionis, & vocis, & vultus modeſtia: adeo vt in genere cauſæ etiam indubitabili fiducia ſe ipſa nimium exerere non debeat. Odit enim iudex ferè litigantis ſecuritatem: cúmque ius ſuum intelligat, tacitus reuerentiã poſtulat. Nec minus diligenter, ne ſuſpecti ſimus vlla parte, vitandum, propter quod minime oſtentari debet in principijs cura, quia videtur ars *omnino dicentis contra iudicem adhiberi. Sed ipſum iſtud euitare ſummæ artis eſt. Nã id ſine dubio ab omnibus, & quidem optimè præceptum eſt, verum aliquatenus temporũ conditione mutatur: quia iam quibuſdã in iudicijs maximéq; capitalibus, vt apud Cẽtumuiros, ipſi iudices exigunt ſolicitas & accuratas actiones: cõtemníque ſe, niſi in dicendo etiam diligentia appareat, credunt: nec doceri tantũ, ſed etiã delectari volunt. Et eſt difficilis huius rei moderatio: quæ tamẽ ita temperari poteſt, vt videamur accuratè, non callidè dicere. [Illud ex præceptis veteribus manet, ne quod inſolens verbum, ne audacius tranſlatum, ne aut ab obſoleta vetuſtate, aut poetica licentia ſumptum in principio deprehendatur. Nõdum enim recepti ſumus, & cuſtodit nos recens audientiũ intentio: magis conciliatis animis, & iam calentibus hæc libertas feretur, maximéq; cum in locos fuerimus ingreſſi, quorum naturalis vbertas licentiam verbi notari circumfuſo nitore nõ patitur. [Nec argumentis autem, nec locis, nec narrationi ſimilis eſſe in proœmio debet oratio. Nec tamen deducta ſemper, atque circumlata, ſed ſæpe ſimplici ac illaboratæ ſimilis, nec verbis vultúq; nimia promittens. Diſſimulata enim, & vt Græci dicũt, ἀνεπίφατος actio melius ſæpe ſurrepit. Sed hæc prout formari animos iudicũ expediet. [Turbari memoria, vel continuandi verba facultate deſtitui, nuſquã turpius: cũ vitioſum proœmiũ poſſit videri, vt cicatricoſa facies: & peſſimus certè gubernator, qui nauem dum portum egreditur, impegit. [Modus autẽ principij pro cauſa. Nam breuius ſimplices, longius perplexæ, ſuſpectæque & infames, deſiderant. Ridendi verò, qui velut leges proœmijs omnibus dederũt, vt intra quatuor ſenſus terminarentur. Nec minus euitanda eſt immodica eius lõgitudo, ne in caput excreuiſſe videatur oratio, & quo præparari debet, iudex fatigetur. ¶Sermonem à perſona iudicis auerſum, qui

Quis habitus elocutionis, & quæ actio cõueniat exordio.

**omnis.*

Modus exordij.

Apostrophe & aliæ figuræ in exordijs.

ἀποστροφὴ dicitur, quidam in totum à proœmio submouent, nonnulla quidem in hanc persuasionem ratione ducti. Nam prorsus esse hoc magis secundum naturam confitendum est, vt eos alloquamur potissimũ, quos conciliare nobis studemus. Interim tamen est & hoc proœmio necessariũ, sensus aliquis, & is acrior fit atque vehementior, ad personam directus alterius. Quod si accidat, quo iure, aut qua tanta superstitione prohibemur dare per hanc figurã sententiæ vires? Nec enim istud scriptores artium, quia non liceat, sed quia non putent vtile, vetant. Ita si vincet vtilitas, propter eandem causam facere debebimus, propter quã vetamur. Et Demosthenes autem ad Aeschinẽ orationem in proœmio conuertit. Et Marcus Tullius cum pro alijs quibusdam, ad quos ei visum est, tum pro Ligario, ad Tuberonem. Nam erat multo futura languidior, si esset aliter figurata. quod facilius cognoscet, si quis illã totam partem vehemẽtissimã, cuius hæc forma est, Habes igitur Tubero, quod est accusatori maximè optandũ, & cętera, conuertat ad iudicem: tum enim verè auersa videatur oratio, & lãguescat vis omnis, dicẽtibus nobis, Habet igitur Tubero, quod est accusatori maximè optandũ. Illo enim modo pressit atque institit, hoc tantũ indicasset. Quod idẽ in Demosthene, si flexum illum mutaueris, accidet. Quid? non Sallustius directo ad Ciceronem, in quem dicebat, vsus est principio, & quidem protinus? Grauiter & iniquo animo maledicta tua paterer Marce Tulli. Sicut & Cicero fecerat in Catilinam: Quousque tandem abutêre patientia nostra? [Ac ne quis Apostrophen miretur, idem Cicero pro Scauro ambitus reo, quæ causa est in commentarijs (nam bis eundem defendit) Prosopopœia loquentis pro reo vtitur: pro Rabirio vero Posthumo, eodémque Scauro reo Repetundarum, etiam exemplis: pro Cluentio (vt modo ostendi) partitione. [Non tamen hæc, quia possunt benè aliquando fieri, passim facienda sunt, sed quoties præceptũ vicerit ratio: quo modo & similitudine, dum breui, & transiatione, atque alijs tropis (quæ omnia cauti illi ac diligentes prohibent) vtemur interim: nisi ficui illa diuina pro Ligario ironia, de qua paulò antè dixeram, displicet.

Exordiorum vitia.

¶ Alia exordiorum vitia verius tradiderunt. Quod in plures causas accõmodari potest, vulgare dicitur. Id minus fauorabile, aliquando tamẽ non inutiliter assumimus, à magnis sæpe oratoribus non euitatum Quo & aduersarius vti potest, commune

appellatur. Quod aduerſarius in ſuam vtilitatẽ deflectere poteſt, commutabile. Quod cauſæ non cohæret, ſeparatũ. Quod aliunde trahitur, tranſlatũ. Præterea quod longũ, quod contra præcepta eſt. Quorum pleraq; non principij modo ſunt vitia, ſed totius orationis. ¶ Hæc de proœmio, quoties erit eius vſus: non ſemper autẽ eſt. Nam & ſuperuacuum aliquando eſt, vt ſi ſit præparatus ſatis etiam ſine hoc iudex, aut ſi res præparatione nõ egeat. Ariſtoteles quidẽ in totum id neceſſariũ apud bonos iudices negat, aliquando tamen vti nec ſi velimus, eo licet, cum iudex occupatus, cum anguſta ſunt tempora, cum maior poteſtas ab ipſa re cogit incipere. ¶ Contráque eſt interim proœmij vis etiam nõ in exordio. Na iudices & in narratione nonnunq̃, & in argumẽtis, vt attendant, & vt faueãt, rogamus: quo Prodicus velut dormitantes eos excitari putabat: quale eſt Ciceronis: Tum C. Varenus, qui à familia Ancharia-na occiſus eſt: Hoc, quæſo, Iudices diligenter attendite. [Vtiq; ſi multiplex cauſa eſt, ſua quibuſque partibus danda præfatio eſt. vt, Audite nũc reliqua. &, tranſeo nunc illuc. [Sed in ipſis etiam probationibus multa funguntur proœmij vice, vt facit Cicero pro Cluentio, dicturus contra Cenſores: pro Murena, cum Seruio ſe excuſat. Verũ id frequentius eſt, q̃ vt exemplo confirmandum ſit. ¶ Quoties autem proœmio fuerimus vſi, tum ſiue ad expoſitionem tranſibimus, ſiue protinus ad probationem, id debebit in principio poſtremum eſſe, cui commodiſſimè iungi initium ſequentium poterit. [Illa verò frigida & puerilis eſt in ſcholis affectatio: vt ipſe tranſitus efficiat aliquã vtique ſententiã, & huius velut præſtigiæ plauſum petat, vt Ouidius laſciuire in Metamorphoſi ſolet: quẽ tamen excuſare neceſſitas poreſt, res diuerſiſſimas in ſpeciem vnius corporis colligentem. Oratori vero, quid eſt neceſſe ſurripere hanc tranſgreſſionem, & iudicem fallere? qui vt ordini rerum animum intendat, etiam cõmonendus eſt. Peribit enim prima pars expoſitionis, ſi iudex nondũ narrari ſciet. Quapropter, vt non abruptè cadere in narrationem, ita non obſcure tranſcendere, eſt optimũ. Si vero longior ſequetur ac perplexa magis expoſitio, ad eam ipſam præparandus iudex erit: vt Cicero ſæpius, ſed hoc præcipuè loco fecit, Paulo lõgius exordiũ rei demonſtrandæ gratia repetam, quod quęſo Iudices, ne moleſtè patiamini. Principijs enim cognitis, multo facilius extrema intelligetis. Hæc mihi ferè ſunt de exordio comperta.

Proœmio nõ ſemper locus.

Rhet. 3.

Proœmij vis etiam in alijs partibus orationis.

Proœmij finis cum ſequenti parte orationis cõnectendus.

pro Cluẽtio.

¶De narratione. Cap.II.

Narratio quid,& varia eius diuisio.

MAximè naturale est, & fieri frequentissimè debet, vt præparato per hæc quæ suprà dicta sunt,iudice,res de qua pronunciaturus est, indicetur. Ea est narratio. In qua sciens transcurrã subtiles nimium diuisiones quorundã, plura eius genera facientium.Non enim volunt esse illam negotij,de quo apud iudices quæritur,expositionẽ,sed personæ: vt,Marcus Acilius Palicanus humili loco,Picens, loquax magis quàm facundus. Loci, vt, Oppidum est in Hellesponto Lampsacũ Iudices. Temporis,vt Vere nouo gelidus canis cũ montibus humor Liquitur.Causarum,quibus historici frequẽtissimè vtuntur,cum exponũt,vnde bellum,seditio,pestilẽtia. [Præter hęc,alias perfectas,alias imperfectas vocãt:quod quis ignorat? [Adijciunt expositionem & præteritorum esse temporum,quæ est frequentissima:& præsentium,qualis est Ciceronis de discursu amicorum.Chrysogonus postquã est nominatus:& futurorum,quę solis dari vaticinantibus potest.Nam ὑποτύπωσις non est habenda ratio. Sed nos potioribus vacemus.¶Pleriq; semper narrandũ putauerunt,quod falsum esse pluribus coarguitur.Sunt enim ante omnia quædã tam breues causæ, vt propositionem potius habeant quàm narrationem. [Id accidit aliquando vtriq; parti,cum vel nulla expositio est, vel de re constat de iure quæritur: vt apud Centũuiros, filius an frater debeat esse intestato hæres. Pubertas, annis an habitu corporis æstimetur. [Aut cum est quidem in re narrationi locus, sed aut antè iudici nota sunt omnia,aut priore loco recte exposita.[Accidit aliquãdo alteri,& sępius actori causæ, vel quia satis est proponere, vel quia sic magis expedit. satis est dixisse, Certam creditam pecuniam peto ex stipulatione, legatũ peto ex testamento.Diuersæ partis expositio est,cur ea non debeatur.Et satis est actori,& magis expedit sic indicare, Dico ab Horatio sororem suam interfectam. Nãque & cum propositione iudex crimen omne cognoscit, & ordo,& causa facti pro aduersario magis est.Reus contrà tunc narrationem subtrahit,cum id quod obijcitur,nec negari,nec excusari potest,sed in sola iuris quæstione cõsistit:vt in eo qui cum pecuniam priuatã ex æde sacra surripuerit,sacrilegij reus est:confessio verecundior est,quàm expositio.Non negamus pecuniã de templo esse sublatam,calũniatur tamen accusator actione sacrilegij cum priuata fuerit, non sacra: vos autem de hoc

In Verr. act.3.

Geor.3.

Pro Roscio.

Quãdo narrandum.

cognoſcetis, an ſacrilegiũ ſit admiſſum. [Sed vt has aliquãdo non narrandi cauſas puto, ſic ab illis diſſentio, qui nõ eſſe narrandum exiſtiment, cum reus, quod obijcitur tantũ negat. In qua eſt opinione Cornelius Celſus, qui conditionis huius eſſe arbitratur pleraſque cædis cauſas, & omnes ambitus ac repetundarũ. Non enim putat eſſe narrationem, niſi quæ ſummam criminis, de quo iudiciũ eſt, continet. Deinde fatetur ipſe pro Rabirio Poſthumo narraſſe Ciceronem: atqui ille & negauit peruenisſe ad Rabirĩ pecuniam, qua de re erat quæſtio cõſtituta, & in hac narratione nihil de crimine expoſuit. [Ego autem magnos alioqui ſecutus authores, duas eſſe in iudicijs narrationum ſpecies exiſtimo: alterã ipſius cauſæ, alteram rerum ad cauſam pertinentium expoſitionem. Non occidi hominẽ, nulla narratio eſt: conuenit. Sed erit aliqua, & interim etiam longa circa argumenta eius criminis, de anteacta vita, de cauſis propter quas innocens in periculũ deducatur, aliiſq;, quibus incredibile id quod obijcitur, fiat. Nec enim accuſator hoc tantum dicit, occidiſti, ſed quibus id probet, narrat: vt in tragœdijs, cum Teucer Vlyſſem reum facit Aiacis occiſi: dicens inuentũ eum in ſolitudine iuxta exanime corpus inimici cum gladio cruento: non id modo Vlyſſes reſpondet, non eſſe à ſe id facinus admiſſum, ſed ſibi nullas cum Aiace inimicitias fuiſſe: de laude inter ipſos certatũ. Deinde ſubiungit, quomodo in eam ſolitudinẽ venerit, iacentem exanimem ſit cõſpicatus, gladium è vulnere extraxerit: his ſubtexitur argumentatio. Sed ne illud quidem ſine narratione eſt, dicente accuſatore, fuiſti in eo loco, in quo tuus inimicus occiſus eſt: nõ fui. dicendum enim vbi fuerit. Quare ambitus quoque cauſæ & repetundarum hoc etiam plures eiuſmodi narrationes habere poterunt, quo plura crimina. In quibus ipſa quidẽ neganda ſunt, ſed argumentis, expoſitione contraria reſiſtendũ, & interdum ſingulis, interdũ vniuerſis. An reus ambitus malè narrabit quos parentes habuerit, quemadmodũ ipſe vixerit, quibus meritis fretus ad petitionẽ deſcenderit? Aut qui repetundarum inſimulabitur, non & anteactam vitam, & quibus de cauſis vel prouinciã vniuerſam, vel accuſatorem, aut teſtem offenderit, non inutiliter exponet? Quæ ſi narratio non eſt, ne illa quidem Ciceronis pro Cluentio prima, cuius eſt initiũ, A. Cluentius Habitus, nihil enim hic de veneficio, ſed de cauſis, quibus ei mater inimica ſit, dicit. Illæ quoq; ſunt pertinẽtes

Narrationũ duæ ſpecies.

Sophocles.

ad cauſam,ſed non ipſius cauſæ narrationes, vel exempli gra-
Act.7. tia,vt in Verrem de L.Domitio,qui paſtorem,quòd is aprum
quem ipſi muneri obtulerat, exceptum eſſe à ſe venabulo cõ-
feſſus eſſet, in crucem ſuſtulit. Vel excutiendi alicuius extrin-
ſecus criminis,vt pro Rabirio Poſthumo.Nam vt ventũ Ale-
xandriã eſt Iudices,hæc vna ratio à rege propoſita Poſthumo
eſt ſeruandæ pecuniæ,ſi curationem,& quaſi diſpenſationem
Act.3. regiã ſuſcepiſſet.Vel augendi,vt deſcribitur iter Verris. Ficta
interim narratio introduci ſolet,vel ad concitandos iudices,
vt pro Roſcio contra Chryſogonum , cuius pauloantè habui
mentionẽ: vel ad ſoluendos aliqua vrbanitate, vt pro Cluen-
tio,contra fratres Cepaſios: interdum per digreſſionem deco-
Act.6. ris gratia,qualis rurſus in Verrem de Proſerpina,In his quon-
dam locis mater filiam quæſiſſe dicitur.Quæ omnia eò perti-
nent,vt appareat non vtique non narrare eum qui negat,ſed
illud ipſum narrare,quod negat.[Ne hoc quidem ſimpliciter
accipiendũ, quod eſt à me poſitum, ſuperuacuam eſſe narra-
tionem rei quam iudex nouerit. Quod ſic intelligi volo,ſi nõ
modo factum quid ſit,ſciet : ſed ita factũ etiam,vt nobis ex-
pedit,opinabitur. Neque enim narratio in hoc reperta eſt,vt
tantum cognoſcat iudex,ſed aliquanto magis,vt conſentiat.
Quare etiam ſi non erit docendus,ſed aliquo modo afficien-
dus,narrabimus cum præparatione quadam. Scire quidẽ eum
in ſumma quid actum ſit,tamen rationẽ quoque facti cuiuſq;
cognoſcere ne grauetur. Interim propter aliquem in conſiliũ
adhibitum nos repetere illa ſimulemus: interim vt rei quæ ex
aduerſo proponatur, iniquitatem omnes etiam circumſtãtes
intelligant . In quo genere plurimis figuris erit varianda ex-
poſitio ad effugiendum tædium audientis: ſicut,meminiſti,&
fortaſſe ſuperuacuũ fuerit hic cõmorari.Sed quid ego diutius,
cum tu optimè noris ? illud quale ſit, tu ſcias? & his ſimilia.
Alioqui ſi apud iudicem, cui nota cauſa eſt, narratio ſemper
Quo loco narrandum. videtur ſuperuacua, poteſt videri non ſemper eſſe etiam ipſa
actio neceſſaria. ¶Alterum eſt de quo frequentius quæritur,
an ſit vtique narratio proœmio ſubijcienda . Quod qui opi-
nantur , non poſſunt videri nulla ratione ducti . Nam cum
proœmium idcirco comparatũ ſit, vt iudex ad rem accipien-
dam fiat cõciliatior,docilior,& intentior:& probatio niſi cau
ſa prius cognita, non poſſit adhiberi , protinus iudex notitia
rerum inſtruendus videtur.[Sed hoc quoque interdum mutat

conditio cauſarum: niſi forte M. Tullius in oratione pulcherrima, quam pro Milone ſcriptam reliquit, male diſtuliſſe narrationem videtur tribus præpoſitis quæſtionibus: aut profuiſſet exponere quomodo inſidias Miloni feciſſet Clodius, ſi reū qui à ſe hominem occiſum fateretur, defendi omnino fas nō fuiſſet: aut ſi iam præiudicio Senatus damnatus eſſet Milo: aut ſi Cn. Pompeius qui propter aliquam gratiam iudicium militibus armatis clauſerat, tanquam aduerſus ei timeretur. Ergo hæ quoque quæſtiones vim proœmij obtinebunt, cum omnes iudicē præparauerint. [Sed aliter pro L. Murena poſtea quoque narrauit, cum obiecta diluit. Quod fiet vtiliter quoties crimen non repellendum tantum, ſed etiam tranſferendum erit, vt prius ijs defenſis velut initium ſit alium culpandi narratio: vt in armorum ratione antiquior cauendi, quàm ictum inferendi cura eſt. [Erunt quædam cauſæ (nec id raro) crimini quidem, de quo cognitū eſt, faciles ad diludendū, ſed multis anteactæ vitæ flagitijs, & grauibus criminibus oneratæ: quę prius amouenda ſunt, vt propitius iudex defenſionem ipſius negotij, cuius propria quæſtio eſt, audiat: Vt ſi defendendus eſt M. Cælius, nonne optimus patronus occurrat prius conuicijs luxuriæ, petulantiæ, impudicitiæ, quàm veneficij, in quibus ſolis omnis Ciceronis verſatur oratio? Deinde tum narret de bonis paulatim, totámq; deinde explicet cauſam, quæ eſt ipſius actione defenſa? Sed nos ducit ſcholarum cōſuetudo, in quibus certa quædā ponuntur, quæ Themata dicimus, præter quæ nihil eſt diluendum. Ideóque narratio proœmio ſemper ſubiungitur. Inde libertas declamatoribus, vt etiam ſecundo partis ſuæ loco narrare videātur. Nam quum pro petitore dicunt, & expoſitione, tanquam prius agant, vti ſolent: & contradictione, tanquā reſpondeant: ídque fit recte. Nam cum ſit declamatio forenſium actionum meditatio, cur non vtrūque protinus locum exerceant? Cuius rationis ignari, ex more cui aſſueuerūt, nihil in foro putant eſſe mutandum. Sed in ſcholaſticis quoque nonnunquā euenit, vt pro narratione ſit propoſitio. Nam quid exponet, quę zelotypum malæ tractationis accuſat? aut qui Cynicum apud Cenſores reum de moribus facit, cum totum crimen vno verbo, in qualibet actionis parte propoſito, ſatis indicetur? Sed hæc hactenus. ¶Nunc quæ ſit ratio narrandi ſubiungam. Narratio eſt rei factæ, aut nō factæ vtilis ad perſuadendum expoſitio. Vel (vt Apollodorus finit)

Cauſæ refutationem ante narratio nē poſcētes.

NARRANdi ratio, *cuius tres partes: claritas,*

breuitas, & verisimilitudo.

oratio docẽs auditorẽ, quid in cõtrouersia sit. Eam pleriq; scriptores, maxime qui sunt ab Isocrate, volũt esse lucidã, breuem, verisimilem. Nec enim refert, an pro lucida perspicuam, pro verisimili probabilẽ, credibilémve dicamus. Eadem nobis placet diuisio: quanquam & Aristoteles ab Isocrate parte in vna dissenserit, præceptum breuitatis irridens, tanquam necesse sit longam aut breuem esse expositionẽ, nec liceat ire per mediũ. Theodorei quoque solam relinquunt vltimam partem, quia nec breuiter vtique nec dilucidè semper sit vtile exponere. Quo diligentius distinguenda sunt singula, vt quid quo loco prosit ostendam. [Narratio est aut tota pro nobis, aut tota pro aduersarijs, aut mixta ex vtrisq;. Si erit tota pro nobis, cõtentisimus tribus partibus, per quas efficitur, quo iudex facilius intelligat, meminerit, credat. Nec quisquã reprehensione dignũ putet, quòd proposuerim eam quæ sit tota pro nobis, debere esse verisimilem, cum vera sit. Sunt enim plurima vera quidẽ, sed parum credibilia, sicut falsa quoq; frequenter verisimilia. Quare non minus laborandũ est, vt iudex, quæ vera dicimus, quàm quæ fingimus, credat. [Sunt quidem hæ, quas supra retuli, virtutes aliarum quoque partium. Nam & per totã actionem vitanda est obscuritas, & modus vbique custodiendus, & credibilia esse oportet omnia, quæ dicuntur. Maximéq; tamẽ hæc in ea parte custodienda sunt, quæ prima iudicem docet: in qua si acciderit, vt aut non intelligat, aut non meminerit, aut non credat, frustra in reliquis elaborabimus. ¶ Erit autem narratio aperta atque dilucida, si fuerit primũ exposita verbis

Rheto. 3.

Narratio tota pro nobis.

Narratio aperta.

proprijs & significantibus, & non sordidis quidem, nõ tamen exquisitis, & ab vsu remotis: tum distincta rebus, personis, temporibus, locis, causis, ipsa etiam pronũciatione in hoc accõmodata, vt iudex, quæ dicuntur, q̃facillimè accipiat. Quæ quidem virtus negligitur à plurimis, qui ad clamorem dispositæ, vel etiam fortè circumfusæ multitudinis compositi, non ferunt illud intentionis silentium: nec sibi diserti videntur, nisi omnia tumultu ac vociferatione concusserint: rem indicare sermonis quotidiani, & in quemcũque etiam indoctiorum cadentis, esse existimant: cum interim, quod tanquam facilè contemnunt, nescias præstare minus velint an possint, Neque enim aliud in eloquentia cuncta experti difficilius reperient, q̃id quod se dicturos fuisse omnes putant, postquam audierunt: quia nõ bona iudicant esse illa, sed vera. Tum autẽ

optime dicit orator, cum videtur vera dicere. At nunc velut campum nacti expositionis, hic potissimũ & vocem flectunt, & ceruicem reponũt, & brachium in latus iactant, totóq; & rerum, & verborũ, & compositionis genere lasciuiunt: deinde id (quod sit monstro simile) placet actio, causa non intelligitur. Verum hæc omittamus, ne minus gratiæ præcipiendo recta, quàm offensæ reprehendendo praua mereamur. ¶ Breuis erit narratio ante omnia, si inde cœperimus rem exponere, vnde ad iudicem pertinet. Deinde si nihil extra causam dixerimus: tum etiã si reciderimus omnia, quibus sublatis, nec cognitioni quicquam, nec vtilitati detrahatur. Solet enim esse quædã partium breuitas, quæ longam tamen efficit summam. In portũ veni, nauim prospexi, quanti veheret interrogaui, de precio conueni, conscendi, sublatæ sunt anchoræ, soluimus oram, prouecti sumus. Nihil horum dici celerius potest, sed sufficit dicere, è portu nauigaui. [Et quoties exitus rei satis ostendit priora, debemus hoc esse contenti, quo reliqua intelliguntur. Quare cum dicere liceat, est mihi filius iuuenis: omnia illa superuacua, cupidus ego liberorum vxorem duxi, natum sustuli, filium educaui, in adolescentiam perduxi. Ideóque Græcorũ aliqui aliud circunciſam expositionem id est, σύντομον, aliud breuem putauerunt: q illa superuacuis careret, hæc posset aliquid ex necessarijs desiderare. Nos autẽ breuitatem in hoc ponimus, non vt minus, sed ne plus dicatur quàm oporteat. Nam iterationes quidẽ, & ταυτολογίας, & περισσολογίας, quas in narratione vitandas quidã scriptores artium tradiderunt, trãseo. Sunt enim hæc vitia, non tantum breuitatis gratia fugienda. Non minus autẽ cauenda erit, quæ nimiũ corripientes omnia sequitur, obscuritas. Satiúsque est aliquid narrationi supereſſe, quàm deesse. Nam superuacua cum tædio dicuntur, necessaria cum periculo subtrahuntur. [Quare vitanda etiam illa Sallustiana (quanquam in ipso virtutis locum obtinet) breuitas & abruptum sermonis genus, quod ocioſum fortasse lectorẽ minus fallat, audientem transuolat, nec dum repetatur, expectat: cum præsertim lector non ferè sit nisi eruditus, iudicem rura plerumque in decurias mittant, de eo pronunciaturum, quod intellexerit. Vt fortasse vbiq;, in narratione tamen præcipuè media hæc tenenda sit via dicendi, quantũ opus est, quantum satis est. Quantũ opus est autẽ, non ita solũ accipi volo, quantum ad iudicãdũ sufficit, quia nõ inornata debet esse breuitas,

Breuis narratio.

alioqui ſit indocta.nam & fallit voluptas,& minus longa quæ delectant videntur:vt amœnum ac molle iter,etiámſi eſt ſpatij amplioris, minus fatigat, q̃ durum arduũque compendiũ. Nec enim mihi vnquam tanta fuerit cura breuitatis, vt non ea quæ credibilem faciũt expoſitionem,inſeri velim. Simplex enim & vndique præciſa,nõ tam narratio poteſt vocari,quàm confuſio. [Sunt porrò multæ cõditione ipſa rei longæ narrationes,quibus extrema(vt præcepi)procœmij parte ad intẽtionem præparandus eſt iudex: deinde curandum, vt omni arte vel ex ſpatio eius detrahamus aliquid,vel ex tædio, vt minus longa ſit efficiamus,quæ poterimus differendo,non tamẽ ſine mentione eorum,quæ differimus. Quas cauſas occidendi habuerit, quos aſſumpſerit conſcios, quemadmodũ diſpoſuerit inſidias,probationis loco dicã.[Quędã vero ex ordine prętermittenda, quale eſt apud Ciceronẽ, Moritur Fulcinius. Multa enim quę ſunt in re,quia remota ſunt à cauſa,prætermittam. [At partitio tædium leuat.Dicam quæ acta ſunt ante ipſum rei contractũ,dicam quæ in re ipſa,dicam quę poſtea.Ita tres potius modicæ videbuntur narrationes q̃ vna longa. [Interim expediet expoſitiones breui interfatione diſtinguere.Audiſtis quæ antè acta ſunt, accipite nunc quæ inſequuntur. Reficietur enim iudex priorum fine,& ſe velut ad nouum rurſus initium præparabit.Si tamen adhibitis quoque his artibus in lõgum exierit ordo rerũ, erit non inutilis in extrema parte cõmonitio : quod Cicero etiã in breui narratione facit, Adhuc Cæſar Q.Ligarius omni culpa caret : domo eſt egreſſus, non modo nullum ad bellũ, ſed ne ad minimam quidẽ belli ſuſpicionẽ,& cætera.¶Credibilis autem erit narratio ante omnia, ſi prius cõſuluerimus noſtrũ animũ, ne quid naturæ dicamus aduerſum:Deinde ſi cauſas ac rationes factis præpoſuerimus, non omnibus,ſed de quibus quæritur.Si perſonas conuenientes ijs quæ facta credi volemus, cõſtituerimus,vt furti reum, cupidum: adulterij,libidinoſum:homicidij,temerarium. Vel contrà, ſi defendemus. Præterea loca, & tempora, & ſimilia. [Eſt autem quidã etiam ductus rei credibilis,qualis in comœdijs etiam,& in Mimis.Aliqua enim naturaliter ſequuntur & cohærent,vt ſi benè priora narraueris, iudex ipſe quod poſtea ſis narraturus,expectet.[Ne illud quidẽ fuerit inutile,ſemina quædam probationum ſpargere : verum ſic, vt narrationem eſſe meminerimus, non probationem. [Nonnunquam etiam

Longioribus narrationibus quomodo medendum.

Pro Cecinna

Interfatio.

Narratio credibilis.

argumento aliquo confirmabimus, quod propoſuerimus, ſed ſimplici & breui: vt in veneficijs, Sanus bibit, ſtatim cõcidit, liuor ac tumor cõfeſtim eſt inſecutus. [Hoc faciũt & illæ prę-parationes, cum reus dicitur robuſtus, armatus, ſolicitus, contra infirmos, inermes, ſecuros. [Omnia deniq;, quæ probatione tractaturi ſumus, perſonã, cauſam, locũ, tempus, inſtrumentum, occaſionem, narratione delibabimus. [Aliquando ſi deſtituti fuerimus his, fatebimur vix eſſe credibile, ſed verum: & hoc maius habendum ſcelus: neſcire nos quomodo factũ ſit, aut quare: mirari, ſed probaturos. [Optimæ vero præparationes erunt, quæ latuerint, vt à Cicerone ſunt quidẽ vtiliſſimè omnia prædicta, per quæ Miloni Clodius, non Clodio Milo inſidiatus eſſe videatur: plurimũ tamen facit illa callidiſſima ſimplicitatis imitatio, Milo autẽ, cum in Senatu fuiſſet eo die, quoad Senatus eſt dimiſſus, domũ venit: calceos & veſtimenta mutauit: pauliſper dum ſe vxor, vt fit, comparat, cõmoratus eſt. Quàm nihil præparato, nihil feſtinato feciſſe videtur Milo? Quod non ſolum rebus ipſis vir eloquentiſſimus, quibus moras, & lentũ profectionis ordinem dicit: ſed verbis etiam vulgaribus & quotidianis, & arte occulta conſecutus eſt. quę ſi aliter dicta eſſent, ſtrepitu ipſum iudicem, deinde patronũ excitaſſent. Frigida videntur iſta pleriſq;: ſed hoc ipſum manifeſtum, quomodo iudicem fefellerint, quod vix à lectore deprehenditur. [Hæc ſunt, quæ credibilẽ faciant expoſitionẽ. nam ne contraria aut ſibi repugnãtia in narratione dicamus, ſicui præcipiendũ eſt, is reliqua fruſtra docetur: etiamſi quidã ſcriptores artium, hoc quoq; tanquã occultum, & à ſe prudenter erutum tradũt. ¶His tribus narrandi virtutibus adijciũt quidam magnificentiã, quam μεγαλοπρέπειαν vocant, quæ neq; in omnes cauſas cadit (.nã quid in pleriſq; iudicijs priuatis de re certa, credita, locato & cõducto, interdictis, habere loci poteſt ſupra modũ ſe tollens oratio?) nec ſemper eſt vtilis, vt vel proximo Miloniano exemplo patet. Et meminerimus multas eſſe cauſas, in quibus confitendũ, excuſandum, ſubmittendum ſit quod exponimus, quibus omnibus aliena eſt illa magnificẽtiæ virtus. Quare non magis propriũ narrationis eſt magnificè dicere, q̃ miſerabiliter, inuidioſe, grauiter, dulciter, vrbane: quæ cũ ſuo loco ſint laudabilia, nõ ſunt huic parti proprie aſſignata, & velut dedita. [Illa quoque vt narrationi apta, ita cum cæteris partibus cõmunis eſt virtus, quam Theodectes huic vni

Adduntur & aliæ narrãdi virtutes.

proprie dedit: non enim magnificam modo vult esse, verum etiam iucundam expositionem. [Sunt qui adijciant his euidentiam, quæ ἐνάργεια græce vocatur. [Nec ego quenquã deceperim, vt dissimulem Ciceroni quoque plures partes placere. Nam præterquam planam, & breuem, & credibilem, vult esse euidentem, moratam cum dignitate. Sed in oratione morata debent esse omnia cum dignitate quæ poterunt. Euidentia in narratione, quantum ego intelligo, est quidem magna virtus, cum quid veri non dicendum, sed quodãmodo etiam ostendendũ est: sed subijci perspicuitati potest. Quam quidã etiam cõtrariam interim putauerunt, quia in quibusdã causis obscuranda veritas est: quod est ridiculum. Nam qui obscurare vult, narrat falsa pro veris: & is qui narrat, debet laborare, vt videantur quàm euidentissima. [Sed quatinus etiam forte quadam peruenimus ad difficilius narrationum genus, iam de his loquamur, in quibus res contra nos erit, quo loco nõnulli prætereundam narrationem putauerunt. Et sanè nihil est facilius, nisi prorsus totam causam omnino non agere. Sed si aliqua iusta ratione susceperis litem, cuius artis est, malã esse causam silentio cõfiteri? nisi fortè tam hebes futurus est iudex, vt secundum id pronunciet, quod sciet narrare te noluisse. [Neque inficias eo, in narratione, vt aliqua neganda, aliqua adijcienda, aliqua mutanda, sic aliqua etiam tacenda. Sed tacenda, quæ tacere oportebit, & liberũ erit. Quod fit nõnunquã breuitatis quoque gratia, quale illud: Respondit quod ei visum est. [Distinguamus igitur genera causarum. Namque in quibus non de culpa quæritur, sed de actione, etiam si erunt contra nos themata, confiteri nobis licebit. Pecuniã de templo sustulit, sed priuatam, non ideo sacrilegus est. Virginem rapuit, non tamen optio patri dabitur. Ingenuum stuprauit, & stupratus se suspendit: non tamen ideo stuprator capite, vt mortis causa punietur: sed decem millia, quæ pœna stupratori constituta est, dabit. Verum in his quoque confessionibus est aliquid, quod ex inuidia, quam expositio aduersarij fecit, detrahi possit, cum etiam serui nostri de peccatis suis mollius loquantur. Quædam enim quasi non narrantes mitigabimus. Non quidem (vt aduersarius dicit) consilium furti in templum attulit, nec diu captauit eius rei tempus: sed occasione & absentia custodum corruptus, & pecunia, quæ nimiũ in animis hominum potest, victus est. Sed quid refert? peccauit, & fur est.

In Topicis.

Narratio quę cõtra nos est, quomodo tractanda.

Nihil attinet id defendere, cuius pœnam non recuſamus. Interdum quaſi damnemus ipſi. Vis te dicam vino impulſum? error lapſum? nocte deceptum? vera ſunt iſta fortaſſe, tu tamen ingenuum ſtupraſti, ſolue decem millia. Nonnunquam propoſitione præmuniri poteſt cauſa, & deinde exponi. Contraria ſunt omnia tribus filijs, qui in mortem patris coniurarant, ſortiti nocte ſinguli per ordinem, cum ferro cubiculum intrauerunt patre dormiẽte: cum occidere eum nemo potuiſſet, excitato omnia indicauerunt. ſi tamen pater, qui diuiſit patrimonium, & reos parricidij defendit, ſic agat: Quod contra legem ſufficit, parricidium obijcitur iuuenibus, quorum pater viuit, atque etiam liberis ſuis adeſt, ordinem rei narrare quid mihi neceſſe eſt, cum ad legem nihil pertineat? Sed ſi cõfeſſionem culpæ meæ exigitis, ego fui pater durus, & patrimonij, quod iam melius ab his adminiſtrari poterat, tenax cuſtos. Deinde ſubijcitur, ſtimulatos ab ijs quorum indulgentiores parentes erant, ſemper tamen eum habuiſſe animum, qui ſit euentu deprehenſus vt occidere patrem non poſſent. Neque enim iureiurando opus fuiſſe, ſi alioqui hoc mentis habuiſſent: nec forte, niſi quòd ſe quiſq; eximi voluerit. Omnia hæc qualiacunq; placidioribus animis accipientur, illa breui primæ propoſitionis defenſione mollita. [At cum quæritur an factum ſit, vel quale factum ſit, licet omnia contra nos ſint, quomodo tamen euitare expoſitionem ſalua cauſæ ratione poſſumus? Narrauit accuſator, nec ita, vt quæ eſſent acta, tantum indicaret: ſed adiecit inuidiam, rem verbis exaſperauit, acceſſerunt probationes, peroratio incendit, & plenos irę reliquit. Expectat naturaliter iudex quid narretur à nobis. ſi nihil exponimus, illa eſſe, quæ aduerſarius dixit, & talia qualia dixit, credat neceſſe eſt. Quid ergo? eadem exponemus? Si de qualitate agetur, cuius tum demum quæſtio eſt, cum de re cõſtat, eadem, ſed non eodem modo: alias cauſas, aliam atq; aliam rationem dabo. Verbis eleuare quædam licebit, luxuria hilaritatis, auaritia parſimoniæ, negligentia ſimplicitatis nomine lenietur. Vultu denique, voce, habitu, vel fauoris aliquid, vel miſerationis merebor. Solet nonnunquam mouere lachrymas ipſa confeſſio. [Atque ego libenter interrogẽ, ſíntne illa defenſuri quæ non narrauerint, nécne? Nam ſi neque defenderint, neque narrauerint, tota cauſa prodetur. At ſi defenſuri ſunt, proponere certè plerunque id quod confirmaturi ſumus, oportet. Cur ergo

Exemplũ contrariæ narrationis.

non exponamus,quod & dilui poteſt? Vt hoc cõtingat vtique indicandum eſt. Aut quid inter probationem & narrationem intereſt, niſi q̃ narratio eſt probationis continua propoſitio, rurſus probatio narrationi cõgruens cõfirmatio? [Videamus ergo num expoſitio hæc longior demum eſſe debeat,& paulo verboſior præparatione,& quibuſdam argumentis(argumentis dico, non argumentatione, cui tamen plurimum confert frequens affirmatio)effecturos nos quidem dicemus,non poſſe vim rerum oſtendi prima expoſitione:expectent,& opiniones ſuas differant,& bene ſperent.[Denique narrandum eſt, vtique quicquid aliter quàm aduerſarius expoſuit,narrari poteſt,aut eo etiam proœmia ſunt in his cauſis ſuperuacua.quæ quid magis agũt, quàm vt cognitioni rerum accommodatiorem iudicem faciant? Atqui cõſtat nuſquam eorum maiorem vſum,quàm vbi animus iudicis ab aliqua contra nos inſita opinione flectendus eſt. Coniecturales autem cauſæ in quibus de facto quæritur,nõ tam ſæpe rei de qua iudicium eſt, quàm eorum,per quæ res colligenda eſt,expoſitionem habent. Quæ cum accuſator ſuſpicioſè narret, reus leuare ſuſpicionem debeat,aliter ab hoc atque ab illo ad iudicẽ perferri oportet. At enim quædam argumenta turba valent,diducta leuiora ſunt. Id quidem non eò pertinet, vt quæratur an narrandum, ſed quomodo narrandum ſit. Nam & cõgerere plura expoſitione quis prohibet, ſi id vtile eſt cauſæ? promittere, ſed & diuidere narrationẽ & probationes ſubiungere partibus, atque ita trãſire ad ſequentia? ¶ Nam ne ijs quidem accedo,qui ſemper eo putant ordine,quo quid actum ſit,eſſe narrandũ:ſed eo modo quo expedit. Quod fieri pluribus figuris licet. Nam & aliquando excidiſſe ſimulamus,cum quid vtiliore loco reducimus,& interim nos reducturos reliquum ordinem teſtamur, quia ſic futura ſit cauſa lucidior:interim re expoſita,ſubiũgimus cauſas quæ anteceſſerunt. Nec enim eſt vna lex defenſionis,certúmque præſcriptum:pro re,pro tempore, intuenda quæ proſint:atque vt erit vulnus,ita vel curandum protinus:vel ſi curatio differri poteſt,interim deligandum. ¶ Nec dixerim ſæpius narrare nefas,quod Cicero pro Cluentio fecit:éſtque non conceſſum modo,ſed aliquando etiam neceſſarium,vt in cauſis repetundarũ,omnibúſque quæ ſimplices non ſunt. Amentis eſt enim ſuperſtitione præceptorum contra rationem cauſæ trahi. Narrationem ideo ante probationes ponere eſt inſti-

Docet quid agendum ſit.

Narrãdi ordo

Narrandum interdum ſæpius.

tutum,ne iudex,qua de re quæratur,ignoret.Cur igitur ſi ſingula probanda aut refellenda erunt,non ſingula etiam narrentur? Me certe,quantacunque noſtris experimentis habenda eſt fides,feciſſe hoc in foro quoties ipſa deſiderabat vtilitas, probantibus & eruditis,& ijs qui iudicabant,ſcio:&(quod non arroganter dixerim,quia ſunt plurimi, quibuſcum egi, qui me refellere poſſint,ſi mentiar)ferè ponēdæ à me cauſæ officium exigebatur. Neque ideo tamē non ſæpius facere oportebit,vt rerum ordinem ſequamur.Quædam vero etiam turpiter conuertuntur,vt ſi peperiſſe narres,deinde cōcepiſſe: apertum teſtamentum,deinde reſignatum.In quibus,ſi id quod poſterius eſt,dixeris,de priore tacere optimum eſt. ¶Sunt quædam & falſæ expoſitiones,quarum in foro duplex eſt genus. Alterum quod inſtrumētis adiuuatur: vt P.Clodius fiducia teſtium,qua nocte inceſtum Romæ commiſerat,Interamnæ ſe fuiſſe dicebat.Alterum quod eſt tuendum dicētis ingenio.Id interim ad ſolam verecūdiam pertinet,vnde etiam mihi videtur dici color: interim ad quæſtionem. [Sed vtrūcunque erit,prima ſit curarum, vt id quod fingimus, fieri poſſit: deinde, vt & perſonæ,& loco,& tempori congruat,& credibilem rationem, & ordinem habeat: ſi contingat etiam vt veræ alicui rei cohæreat,aut argumento,quod ſit in cauſa,confirmetur. Nam quæ tota extra rem petita ſunt,mentiendi licētiam produnt.[Curandum præcipuè(quod fingentibus frequēter accidit)ne qua inter ſe pugnent.Quædam enim partibus blandiuntur,ſed in ſummam non conſentiunt.Præterea,ne ijs quæ vera eſſe conſtabit, aduerſa ſint. In ſchola etiam ne color extra themata quæratur.[Vtrobique autem orator memiſſe debebit actione tota quid finxerit,quoniam ſolēt excidere quæ falſa ſunt: verúmq; eſt illud,quod vulgò dicitur,Mendacem memorem eſſe oportere.[Sciamus autē,ſi de noſtro facto quæratur, vnum nobis aliquid eſſe dicendum:ſi de alieno,mittere in plures ſuſpiciones licere.Eſt tamē quibuſdam ſcholaſticis cōtrouerſijs in quibus ponitur aliquē non reſpōdere ad quæ interrogatur, libertas omnia enumerandi, quæ reſponderi potuiſſent.[Fingenda vero meminerimus ea,quæ non cadāt in teſtem.Sunt autem quæ noſtro dicuntur animo,cuius ipſi tantū conſcij ſumus.Itē quod à defunctis:nec enim hoc eſt qui neget. Itémq; ab eo cui idem expediet, is enim non negabit. Ab aduerſario quoq;,quia nō eſt habiturus in negādo fidē.Somniorū & ſuper-

De fictis narrationib⁹,quomodo in his color veritatis tuendus.

Mendax memor.

Que fingēdi.

ſtitionũ colores ipſa iam facilitate authoritatem perdiderunt. [Non eſt autem ſatis in narratione vti coloribus, niſi per totam actionem conſentiant, cum præſertim quorundam probatio ſola ſit in aſſeueratione & perſeuerantia: vt ille paraſitus, qui ter abdicatum à diuite iuuenem & abſolutum, tanquã ſuum filium aſſerit, habebit quidem colorẽ, quo dicat, & paupertatẽ ſibi cauſam exponẽdi fuiſſe, & ideo à ſe paraſiti perſonã eſſe ſuſceptam, quia in illa domo filium haberet: & ideo illum innocentem ter abdicatum, quia filius abdicantis non eſſet: niſi tamen omnibus verbis, & amorem patrium, atque hunc quidem ardentiſſimum oſtenderit, & odium diuitis, & metum pro iuuene, quem periculoſè manſurum in illa domo in qua tam inuiſus ſit, ſciat, ſuſpicione ſubiecti petitoris non carebit. Euenit aliquando in ſcholaſticis cõtrouerſijs (quod in foro an poſſit accidere, dubito) vt eodem colore pars vtraque vtatur, deinde eum pro ſe quiſque defendat: vt in illa controuerſia, Vxor marito dixit, appellatam ſe de ſtupro à priuigno, & ſibi conſtitutum tempus & locum: eadem contrà filius detulit de nouerca, edito tãtum alio tempore ac loco, quia pater in eo quem vxor prædixerat, filium inuenit: in eo quem filius, vxorem, illam repudiauit: qua tacente filium abdicat. Nihil dici poteſt pro iuuene, quod non idem ſit pro nouerca. Ponẽtur tamen omnia communia, deinde ex perſonarum comparatione, & indicij ordine, & ſilentio repudiatæ argumẽta ducentur. [Ne illud quidem ignorare oportet, quædam eſſe, quæ colorem non recipiant, ſed tamen defendenda ſint: qualis eſt ille diues qui ſtatuam pauperis inimici flagellis cecidit, reus eſt iniuriarum. Nam factum eius modeſtum nemo eſſe dixerit: fortaſſe vt ſit tutũ, obtinebit. ¶ Quòd ſi pars expoſitionis pro nobis, pars contra nos erit, miſcenda ſit, an ſeparanda narratio, cum ipſa cauſæ conditione deliberandum eſt. Nam ſi plura ſunt quæ nocent, quæ proſunt obruentur. Itaque tunc diuidere optimum erit, & ijs quæ partem noſtram adiuuabunt, expoſitis & cõfirmatis, aduerſus reliqua vti remedijs, de quibus ſupra dictum eſt. Si plura proderunt, etiam coniungere licebit, vt quæ obſtant in medio velut auxilijs noſtris poſita, minus habeant virium. Quæ tamen non erunt nuda ponenda, ſed vt & noſtra, aliqua argumentatione firmemus: & diuerſa, cur credibilia nõ ſint, adijciamus: quia niſi diſtinxerimus, verendum eſt ne bona noſtra permixtis malis inquinẽtur. ¶ Illa

Quando tractãda narratio, quæ parti pro nobis eſt, partim cõtra nos.

quoque de narratione præcipi ſolent,ne qua ex ea fiat excurſio,ne auertatur à iudice ſermo,ne alienæ perſonæ vocem demus,ne argumentemur: adijciunt quidam etiam, ne vtamur affectibus,quorum pleraque ſunt frequentiſſimè cuſtodienda, imò nunquã,niſi ratio coegerit,mutanda:vt ſit expoſitio perſpicua & breuis.[Nihil quidem tam rarò poterit habere rationem,quàm excurſio: nec vnquam debebit eſſe niſi breuis, & talis, vt vi quadam videamur affectus velut recto itinere depulſi:qualis eſt Ciceronis circa nuptias Saſiæ: O mulieris ſcelus incredibile,& præter hanc vnam,in omni vita inauditum. O libidinem effrenatam & indomitam. O audaciam ſingularem,non timuiſſe,ſi minus vim deorũ hominúmque famam, at illam ipſam noctem,facéſque illas nuptiales?non limen cubiculi,non cubile filiæ,nõ parietes denique ipſos ſuperiorum teſtes nuptiarum? [Sermo auerſus à iudice, & breuius indicat interim, & coarguit magis interim: qua de re idem, quod de procœmio dixeram,ſentio.[Sicut de Proſopopœia quoq;,qua tamẽ non Seruius modo Sulpitius vtitur pro Aufidia,Somnóne te languidum,an graui lethargo putem preſſum?Sed Marcus quoque Tullius circa Nauarchos:Nam ea quoque rei expoſitio eſt,Vt adeas,tantũ dabis,& reliqua. Quid pro Cluentio, Staleni,Bulbíque colloquiũ,nónne ad credulitatemplurimum & fidem confert?Quæ ne feciſſe ſine obſeruantia quadam videatur(quanquam hoc in illo credibile non eſt)in Partitionibus præcipit, vt habeat narratio ſuauitatẽ, admirationes,expectationes, exitus inopinatos,colloquia perſonarum,omnes affectus. [Argumẽtabimur in narratione(vt dixi)nunquam, argumentum ponemus aliquando: quod facit pro Ligario Cicero,cum dicit,Sic eum prouinciæ præfuiſſe,vt illi pacem eſſe expediret. Inſeremus expoſitioni & breuẽ,cum res poſcet, defenſionem,& rationem factorum. Nec enim narrãdum eſt tanquam teſti,ſed tanquam patrono.Rei ordo per ſe talis eſt, Q. Ligarius legatus in Africam cum Cos.C.Conſidio profectus eſt.Quid ergo M.Tullius?Q. igitur inquit,Ligarius,cum eſſet adhuc nulla belli ſuſpicio,legatus in Africã cum C.Conſidio profectus eſt. Alibi,Non modo vllum ad bellum,ſed ne ad minimã quidem ſuſpicionem belli. Et cum eſſet indicanti ſatis, Q. Ligarius nullo ſe implicari negotio paſſus eſt, adiecit,Domum ſpectans,ad ſuos redire cupiens. Ita quod exponebat,& ratione fecit credibile, & affectus quoque impleuit.

Narratio quas figuras, & quatenus excurſus, & argumẽtationes & affectꝰ admittat

Proſopopœia

In Ver.Ac.7

Argumẽtatio in narratione

Affectus in narrando.

[Quo magis miror eos, qui non putant vtendum in narratione affectibus: qui si hoc dicunt, non diu, nec vt in epilogo, mecum sentiunt. Sunt enim effugiendæ moræ. Cæterum cur ego iudicem nolim cum eum doceo, etiam moueri? Cur quod in summa parte sum actionis petiturus, non in primo statim rerum ingressu (si fieri potest) consequar? cum præsertim etiam in probationibus faciliore sim animo eius abusurus occupato, vel ira vel miseratione. An non Marcus Tullius circa verbera ciuis Romani omnes breuissimè mouet affectus? nõ solum conditione ipsius, loco iniuriæ, genere verberum, sed animi quoque commendatione. Summum enim virum ostendit, qui cum virgis cæderetur, non ingemuerit, non rogauerit, sed tantum ciuem se Romanum esse cum inuidia cædentis, & fiducia iuris clamauerit. Quid Philodami casum? nónne cum per totam expositionem incendit inuidia, tum in supplicio ipso lachrymis impleuit, cũ flentes non tam narraret quàm ostenderet, patrem de morte filij, filium de patris? Quid illi epilogi possunt magis habere miserabile? Serũ est enim aduocare his rebus affectum in peroratione, quas securus narrauerit. Assueuit illis iudex, iámq; eas sine motu mentis accipit, quibus commotus nouus non est: & difficile est nobis mutare habitum animi semel constitutum. ¶Ego vero (neque enim dissimulabo iudicium meum, quanquam id quod sum dicturus, exemplis magis quàm præceptis vllis continetur) narrationem, vt si vllam partẽ orationis, omni qua potest gratia & venere exornandum puto. Sed plurimum refert, quæ sit natura eius rei, quam exponimus. [In paruis ergo (quales sunt ferè priuatæ) sit ille pressus, & velut applicitus rei cultus: in verbis summa diligentia, quæ in locis impetu ferũtur, & circumiectæ orationis copia latent: hic expressa, & (vt vult Zeno) sensu tincta esse debebunt: compositio dissimulata quidem, sed tamẽ quam iucundissima: figuræ non illæ poeticæ, & contra rationem loquẽdi authoritate veterum receptæ. Nam debet esse quampurissimus sermo, & qui varietate tædium effugiat, & mutationibus animum leuet: ne in eundem casum, similem compositionem, pares elocutionum tractus incidamus. Caret enim cæteris lenocinijs expositio, & nisi commendetur hac venustate, iaceat necesse est. Nec in vlla parte intentior est iudex, eóque nihil rectè dictum perit. Prætereane scio quomodo etiam facilius credit, quæ audienti iucũda sunt, & voluptate ad fidem du

In Ver. Ac. 7.

Actione 3.

Elocutio narratiõis excusta sit, & ad rẽ accõmodata.

citur. [Vbi vero maior res erit, & atrocia inuidioſè, & triſtia miſerabiliter dicere decebit. Non vt conſumantur affectus, ſed tamen vt velut primis lineis deſignentur: vt planè qualis futura ſit imago rei, ſtatim appareat. Ne ſentẽtia quidem velut fatigatum intentione ſtomachum iudicis reficere diſſuaſerim, maximè quidem breuiter iniecta: qualis eſt illa, Fecerunt ſerui Milonis, quod ſuos quiſq; ſeruos in re tali facere voluiſſet. Interim paulo liberiore: qualis eſt illa, Nubit genero ſocrꝰ, nullis auſpicibus, nullis authoribus, funeſtis ominibus omniũ. Quod cum ſit factum ijs quoque temporibus, quibus omnis ad vtilitatem potius quàm ad oſtentationem componebatur oratio, & erant adhuc ſeueriora iudicia, quanto nunc faciendum magis, cum in ipſa capitis aut fortunarum pericula irrũpit voluptas? Cui hominum deſiderio quantum dari debeat, alio loco dicam. Interim aliquid indulgendum eſſe confiteor. Multum confert adiecta veris credibilis rerũ imago, quæ velut in rem præſentem perducere audientes videtur: qualis eſt illa M. Cælij in Antonium deſcriptio: Namque ipſum offendunt temulento ſopore profligatum, totis præcordijs ſtertentem, ructuoſos ſpiritus geminare: pręclaráſque contubernales ab omnibus ſpondis tranſuerſas incubare, & reliquas circumiacere paſſim: quæ tamen exanimatæ terrore, hoſtium aduentu percepto, excitare Antonium conabantur: nomẽ inclamabant, fruſtra ceruicibus tollebant, blandius alia ad aurem inuocabat, vehementius etiam nõnulla feriebat. Quarum cum omnium vocem tactúmque noſcitaret, proximę cuiuſque collum amplexu petebat, nec dormire excitatus, nec vigilare ebrius poterat: ſed ſemiſomno ſopore inter manus centurionum, concubinarúmque iactabatur. Nihil his neq; credibilius fingi, neque vehementius exprobrari, nec manifeſtius oſtendi poteſt. ¶ Ne id quidem præteribo, quantam afferat fidem expoſitioni narrantis authoritas, quam mereri debemus ante omnia quidem vita, ſed & ipſo genere orationis. Quod quo fuerit grauius, ſanctius, hoc plus habeat neceſſe eſt in affirmando quoque ponderis. Effugienda ergo in hac præcipuè parte omnis calliditatis ſuſpicio (neque enim ſe vſquã cuſtodit magis iudex) nihil videatur fictum, nihil ſollicitũ. omnia potius à cauſa, quàm ab oratore profecta credãtur. Sed hoc pati non poſſumus, & perire artem putamus niſi appareat, cum deſinat ars eſſe, ſi apparet. Pendemus ex laude, atque hanc laboris no-

Pro Miſone.

Pro Cluent.

Hypotypoſis.

Authoritas dicentis in narrando.

Ars nõ oſtentandũ.

ſtri ducimus ſummam. Ita quæ circumſtantibus oſtentare volumus, iudicibus prodimus. ¶ Eſt & repetita quædã narratio, quæ ἐπαναφορὰ dicitur, ſanè res declamatoria magis, q̃ forenſis. Ideo autem reperta, vt quia narratio breuis debet eſſe, fuſius & ornatius res poſſet exponi. Quod fit, vel inuidiæ gratia, vel miſerationis. Id tamẽ rarò faciendum iudico: neq; ſic vnquã, vt totus ordo repetatur. Licet enim per partes idem conſequi. Cæterũ qui vti ἐπαναφορᾷ volet, narrationis rem loco ſtringat, & contentus indicare quid factum ſit, quo ſit modo factum: plenius ſe loco ſuo expoſiturum eſſe promittat. ¶ Initium narrationis quidam vtique faciendum à perſona putãt: eámque, ſi noſtra ſit, ornandam: ſi aliena, infamãdam ſtatim: Hoc ſanè frequentiſſimum eſt, quia perſonæ ſunt inter quas litigatur. Sed hæ quoque interim cum ſuis accidentibus ponendæ, cum id profuturum eſt: vt, A. Cluentius Habitus fuit pater huiuſce Iudices, homo non ſolum municipij Larinatis, ex quo erat, ſed etiam regionis illius, & vicinitatis, virtute, æſtimatione, nobilitate, facilè princeps. Interim ſine his: vt, Q. Ligarius cum eſſet. Frequenter vero & à re: ſicut pro Tullio, Cicero: Fũdum habet in agro Thurino M. Tullius paternum. Demoſthenes pro Cteſiphonte, τὸ γὰρ φωνᾶεν συσὰντ῾ πολέμ. ¶ De fine narratio cum his contentio eſt, qui perduci expoſitionem volunt eò, vnde quæſtio oritur. His rebus ita geſtis, P. Dolabella Prætor interdixit, vt eſt conſuetudo, de vi hominibus armatis ſine vlla exceptione, tantùm vt vnde deieciſſet, reſtitueret: reſtituiſſe ſe dixit: ſponſio facta eſt: hac de ſponſione vobis iudicandum eſt. Id à petitore ſemper fieri poteſt, à defenſore non ſemper.

Repetita narratio.

Narrationis initium.

Finis narrationis.

¶ De egreſſione. Cap. III.

ORdine ipſo narrationem ſequitur confirmatio. Probanda ſunt enim quæ propter hoc expoſuimus. Sed priuſquam ingrediar hanc partẽ, pauca mihi de quorundam opinione dicenda ſunt. Pleriſque moris eſt, prolato rerum ordine, protinus vtique in aliquem lætum atque plauſibilem locum quammaximè poſſint fauorabiliter excurrere. Quod quidem natum ab oſtẽtatione declamatoria, iam in forum venit, poſtquam agere cauſas non ad vtilitatem litigatorum, ſed ad patronorum iactationem repertum eſt: ne ſi preſſæ illi (qualis ſæpius deſideratur) narrationis gracilitate coniuncta argumentorum pugnacitas fuerit, dilatis diutius dicen

Contra declamatores.

di voluptatibus,oratio refrigeſcat.In quo vitiũ illud eſt,quòd ſine diſcrimine cauſarum atque vtilitatis,hoc(tanquam ſemper expediat,aut etiã neceſſe ſit)faciunt: eo quòd deſumptas ex his partibus,quarum alius erat locus,ſentẽtias in hanc congerunt,vt plurima aut iterum dicenda ſint,aut quia alieno loco dicta ſunt,dici ſuo non poſſint. ¶Ego autem confiteor hoc expatiandi genus non modo narrationi quidem , ſed etiam quæſtionibus vniuerſis , vel interim ſingulis oportunè poſſe ſubiungi cum res poſtulat,aut certè permittit:atque eo vel maxime illuſtrari, ornarique orationem: ſed ſi cohæret,& ſequitur, non ſi per vim cuneatur, & quæ natura iuncta erant, diſtrahit. Nihil enim tam eſt conſequens quàm narrationi probatio:niſi excurſus ille,vel quaſi finis narrationis,vel quaſi initium probationis eſt. [Erit ergo illi nonnunquam locus, vt ſi expoſitio circa finẽ atrox fuerit, proſequamur eam velut ſpiritu erumpente protinus indignatione. Quod tamen ita fieri oportebit, ſi res dubitationem non habebit: alioqui prius eſt, quod obijcias,verum efficere,quàm magnum,quia criminum inuidia pro reo eſt priuſquam probatur.Difficillima eſt enim grauiſſimi cuiuſq; ſceleris fides.[Idem fieri non inutiliter poteſt,vti ſi merita in aduerſarium aliqua expoſueris, in ingratum inueharis:aut ſi varietatẽ criminum narratione demonſtraueris,quantum ab ea periculũ intentetur,oſtendas.Verùm hęc breuiter omnia.Iudex enim ordine audito feſtinat ad probationem,& quamprimum certus eſſe ſentẽtiæ cupit. Præterea cauendum eſt,ne ipſa expoſitio vaneſcat,auerſis in aliud animis,& inani mora fatigatis. [Sed vt non ſemper eſt neceſſaria poſt narrationem illa procurſio,ita frequenter vtilis ante quæſtionem præparatio. Vtique ſi prima ſpecie minus erit fauorabilis,ſi legem aſperam tuebimur,aut pœnarias actiones inferemus. Eſt hic locus velut ſequentis exordij, ad conciliandum probationibus noſtris iudicem, mitigandum, concitandum. Quod liberius hic,& vehementius fieri poteſt, quia iudici cauſa iam nota eſt. His igitur velut fomentis,ſi quid erit aſperum,præmolliemus,quo facilius aures iudicum, quæ pòſt dicturi erimus,admittant,ne ius noſtrum oderint:Nihil enim facile perſuadetur inuitis.Quo loco tamen iudicis quoque natura noſcenda eſt,iuri magis an æquo ſit appoſitus:Proinde enim magis aut minus hoc erit neceſſariũ. [Cæterũ res eadem & poſt quęſtionem perorationis vice fungitur. ¶Hanc partem

Vbi & quãdo egrediendũ.

Egressio quibus de rebus.

πρέκβασιν vocāt Græci, Latini egressum, vel egressionē. Sed hæ sunt plures, vt dixi, quæ per totā causam varios habent excursus, vt laus hominū, locorúmq;, descriptio regionū, expositio quarūdam rerum non solū gestarum, sed etiam fabulosarum.

Act.4. Act.6.

Quo ex genere est in orationibus cōtra Verrem cōpositis, Siciliæ laus, Proserpinæ raptus, pro L. Cornelio popularis illa virtutum Cn. Pompeij cōmemoratio: in quam ille diuinus orator, velut nomine ipso ducis cursus dicēdi teneretur, abrupto quem inchoauerat, sermone diuertit. ¶ Attamen πρέκβασις est (vt mea quidem fert opinio) alienæ rei, sed ad vtilitatem causæ pertinentis extra ordinem excurrens tractatio. [Quapropter non video, cur hunc ei potissimum locum assignent, qui rerum ordinem sequitur, non magis quàm illud, cur hoc nomen ita demum proprium putent, si aliquid in digressu sit exponendū, cum tot modis à recto itinere declinet oratio. Nam quicquid dicitur pręter illas quinq; (quas fecimus) partes, egressio est, indignatio, miseratio, inuidia, cōuicium, excusatio, conciliatio, maledictorum refutatio: similia his quæ non sunt in quæstione, omnis amplificatio, minutio, omne affectus genus: atque ea maximè iucundam & ornatam faciunt orationem, de luxuria, de auaritia, de religione, de officijs: quæ cū sint argumentis subiecta similium rerum, quia cohærent, egredi non videntur. [Sed plurima sunt, quæ rebus nihil secum cohærentibus inseruntur, quibus iudex reficitur, admonetur, placatur, rogatur, laudatur. [Innumerabilia sunt hæc, quorum alia sicut præparata afferimus, quædam ex occasione, vel necessitate dicimus, si quid nobis agentibus noui accidit, interpellatio, interuētus alicuius tumultus. Vnde Ciceroni quoque in prooemio cum diceret pro Milone, digredi fuit necesse, vt ipsa oratiuncula, qua vsus est, patet. [Poterit autem paulò longius exire, qui præparat aliquid ante quæstionem, & qui finitæ probationi velut commendationem adijcit: at qui ex medio erumpit, cito ad id redire debet, vnde diuertit.

Egressio quid & quàm late pateat.

¶ De propositione. Cap. IIII.

Propositio nō separatur à cōfirmatiōe, sed eius initium est.

SVnt qui narrationi propositionē subiungant, tanquam partem iudicialis materiæ: cui opinioni respondimus. Mihi autem propositio videtur omnis confirmationis initium: quod non modo in ostendenda quæstione principali sed nonnunquam etiam in singulis argumētis proponi solet, maximéq; in his quæ ἐπιχειρήματα vocantur. Sed nunc de prio-

re loquimur. ¶ Ea non ſemper vti neceſſe eſt. Aliquãdo enim ſine propoſitione vlla ſatis manifeſtum eſt, quid in quæſtione verſetur: vtique ſi narratio ibi finem habet, vbi initium quæſtio: adeo vt aliquando ſubiungatur expoſitioni, quæ ſolet in argumentis eſſe ſumma collectio. Hæc ſicut expoſui, ita geſta ſunt, Iudices: inſidiator ſuperatus eſt, vi victa vis, vel potius oppreſſa virtute audacia eſt. [Sed nonnunquam valde vtilis eſt, præcipuè vbi res defendi non poteſt, & de iure quæritur: vt pro eo qui pecuniam priuatam de templo ſuſtulit, ſacrilegij agitur, De ſacrilegio cognoſcitis: vt iudex intelligat id vnum eſſe officij ſui, quærere an id quod obijcitur, ſacrilegium ſit. [Item in cauſis obſcuris, ac multiplicib⁹. Nec ſemper propter hoc ſolum, vt ſit cauſa lucidior, ſed aliquando etiam vt magis moueat. Mouet autem, ſi protinus ſubtexantur aliqua quæ proſint. Lex apertè ſcripta eſt, Vt peregrinus qui murũ aſcenderit, morte multetur. Peregrinum te eſſe certum eſt: quin aſcenderis murum non quæritur: quid ſupereſt, niſi vt te puniri oporteat? Hæc enim propoſitio confeſſionem aduerſarij premit, & quodãmodo iudicandi moram tollit, nec indicat quæſtionem, ſed adiuuat. ¶ Sunt autem propoſitiones & ſimplices & duplices, vel multiplices. Quod accidit non vno modo. nam & plura crimina iunguntur: vt cũ Socrates accuſatus eſt, quòd corrumperet iuuentutem, & nouas ſuperſtitiones introduceret. Et ſingula ex pluribus colligũtur: vt cum legatio male geſta obijcitur Aeſchini, quòd mentitus ſit, quòd nihil ex mandatis fecerit, q̃ moratus ſit, quòd munera acceperit. Recuſatio quoque plures interim propoſitiones habet, vt contra petitionẽ pecuniæ, Malè petis: procuratori enim tibi eſſe non licuit: ſed nec illi, cuius nomine litigas, habere procuratorem: ſed neque es hæres eius à quo accepiſſe mutuum dicor: nec ipſi debui. Multiplicari hæc in quantumlibet poſſunt, ſed rem oſtendiſſe ſatis eſt. Hæ ſi ponantur ſingulæ ſubiectis probationibus, plures erunt propoſitiones: ſi coniungantur, in partitionem cadunt. [Eſt & nuda propoſitio, qualis ferè in coniecturalibus, cædis ago, furtum obijcio. Eſt ratione ſubiecta: vt maieſtatem minuit Caius Cornelius: nam codicem Tribunus plebis ipſe pro concione legit. [Præter hoc vtimur propoſitione, aut noſtra: vt adulteriũ obijcio: aut aduerſarij: vt, adulterij mecum agitur: aut cõmuni, vt inter me & aduerſariũ quęſtio eſt, vter ſit inteſtato propior. Nonnunquã diuerſas quoq; coniun-

Propoſitione quãdo tendũ

Propoſitio multiplex.

gimus. Ego hoc dico, aduersarius hoc. Habet interim vim propositionis, etiam si per se non est propositio: vt cum exposito rerum ordine, subijcimus: De his cognoscitis, vt sit hæc commonitio iudicis, quo se ad quæstionem acrius intendat, & velut quodam tactu excitatus finem esse narrationis, & initium probationis intelligat, & nobis confirmationem ingredientibus ipse quodammodo nouum audiendi sumat exordium.

¶ De partitione. Cap. V.

Partitione nō semper vtendum, & quib⁹ de causis.

PArtitio est nostrarum, aut aduersarij propositionum, aut vtrarumque rerum collata enumeratio. ¶ Hac quidam vtendum semper putant, quòd & ea fiat causa lucidior, & iudex intentior ac docilior, si scierit & de quo dicimus, & de quo dicturi postea sumus. Rursus quidam periculosum id oratori arbitrantur duabus ex causis, quòd nonnunquam excidere soleant quæ promisimus, & si qua in partiendo præterierimus, occurrere. Quod quidem nemini accidit, nisi qui planè vel nullo fuerit ingenio, vel ad agēdum nihil cogitati præmeditatíque detulerit. Alioqui quæ tam manifesta & lucida est ratio, quàm rectæ partitionis? Sequitur enim naturam ducem, adeo vt memoriæ id maximum sit auxilium, via dicendi non decedere. Quapropter ne illos quidem probauerim, qui partitionem vetant vltra tres propositiones extendere. Quæ sine dubio, si nimiū sit multiplex, fugiet memoriam iudicis, & turbabit intentionem. Hoc tamen numero velut lege non est alliganda, cum possit causa plures desiderare. [Alia sunt magis propter quæ partitione non est semper vtendum. Primum, quia pleraque gratiora sunt, si inuenta subitò, nec domo allata, sed inter dicendum è re ipsa nata videantur. Vnde illa non iniucūda schemata, Penè excidit mihi: &, fugerat me: &, rectè admones. Propositis enim probationibus, omnis in reliquū gratia nouitatis præcerpitur. [Interim verò etiā fallendus est iudex, & varijs artibus subeundus, vt aliud agi, q̄ quod nos petimus, putet. Nā est nōnunquam dura propositio, quam iudex, si præuidet, nō aliter præformidat, quàm qui ferrum medici, antequā curetur aspexit. At si re non antè proposita securū, ac nulla denuntiatione in se cōuersum intrarit oratio, efficiet quod promittenti non crederetur. Interim refugienda non modo distinctio quæstionum est, sed omnino tractatio: affectibus perturbandus, & ab intētione auferendus auditor. Non enim solum oratoris est docere, sed plus eloquētia

circa mouendum valet. Cui rei contraria est maximè tenuis illa,& scrupulosè in partes sectæ diuisionis diligentia,eo tempore, quo cognoscenti iudicium conamur auferre. [Quid? quòd interim, quæ per se leuia sunt & infirma, turba valent? Ideóque congerenda sunt potius, & velut eruptione pugnandum:quod tamen rarũ esse debet,& ex necessitate demũ,cum ipsum hoc,quod dissimile rationi est, coegerit ratio. [Præter hæc in omni partitione est vtique aliquid potentissimũ, quod cum audiuit iudex, cætera tãquam superuacua grauari solet. Itaque si plura,vel obijcienda sunt,vel diluenda,& vtilis & iucunda partitio est, vt quid quaque de re dicturi sumus, ordine appareat. At si vnum crimen variè defenderimus,superuacua:vt si ita partiamur,Dicam non talem esse hunc,quem tueor reum,vt in eo credibile videri possit homicidium:dicam occidendi causam huic non fuisse : dicam hunc eo tempore quo homo occisus est,trãs mare fuisse. Omnia quæ antequam id quod vltimum est,exequeris,inania videri necesse est. Festinat enim iudex ad id quod potentissimum est, & velut obligatum promisso patronum,si est patientior,tacitus appellat:si vel occupatus,vel in aliqua potestate, vel etiam si sit moribus incomposítus,cum conuitio efflagitat. [Itaque non defuerunt qui Ciceronis illam pro Cluentio partitionem improbarent, qua se dicturum esse promisit:Primum,neminem maioribus criminibus,grauioribus testibus, in iudicium vocatum,quàm Oppianicũ: deinde præiudicia esse facta ab his ipsis iudicibus, à quibus damnatus sit: Postremo iudicium pecunia tentatum non à Cluentio,sed contra Cluentium. Quia si probari posset, quod est tertium,nihil necesse fuerit dicere priora. Rursus nemo erit tã aut iniustus,aut stultus, quin eum fateatur optimè pro Murena esse partitũ, Intelligo Iudices tres totius accusationis partes fuisse, & earũ vnam in reprehensione vitæ,alteram in cõtentione dignitatis, tertiam in criminibus ambitus esse versatam. Nam sic & ostendit lucidissimè causam, & nihil fecit altero superuacuum. De illo quoque genere defensionis plerique dubitant. Si occidi,rectè feci,sed non occidi:quo enim prius pertinere, si sequens firmum sit? hæc inuicem obstare,& vtroque vtentibus in neutro haberi fidem. Quod sanè in parte verum est, cum illo sequenti (si modo indubitabile est) sit solo vtendum. At si quid in eo quod est fortius,timebimus,vtraque probatione nitemur. Alius enim alio moueri so-

Exẽpla partitionis bene aut secus factæ.

let:& qui factum putauit,iustum credere potest:qui tanquam iusto non mouebitur,factum fortasse non credet. Vt certa manus vno telo posset esse cõtenta,incertæ plura spargẽda sunt, vt sit & fortunæ locus. Egregiè vero Cicero pro Milone, insidiatorem primo Clodium ostendit, tum addit ex abundanti, etiam si id non fuisset,talem tamen ciuem cum summa virtute interfectoris & gloria necari potuisse. Nec illum tamẽ ordinem,de quo prius dixi, damnauerim: quia quædam, etsi ipsa sunt dura,in id tamen valent,vt ea molliant, quæ sequuntur. Nec omnino sine ratione est id quod vulgo dicitur, Iniquum petendum vt æquum feras. Quod tamen nemo sic accipiat,vt omnia credat audenda:recte enim Græci præcipiunt,non tentanda quæ effici omnino non possunt. Sed quoties hac de qua loquor,duplici defensione vtemur,id laborandum est,vt in illam partem sequentem fides ex priore ducatur. Potest enim videri, qui tuto etiam confessurus fuit, mentiendi causam in negando non habere:& illud vtique faciendum est,vt quoties suspicabimur à iudice aliam probationem desiderari, quàm de quo loquimur,promittamus nos plenè, & statim de eo satis esse facturos:præcipuéque si de pudore agitur. [Frequenter autem accidit,vt causa parum verecunda,iure tuta sit,de quo ne inuiti iudices audiant,& aduersi,frequentius sunt admonẽdi,secuturam defensionem probitatis ac dignitatis,expectent paulum,& agi ordine sinant. Quædam interim nos, & inuitis litigatoribus simulandum est dicere. Quod Cicero pro Cluentio facit circa iudiciariam legem. Nonnũquam quasi interpellemur ab his subsistere. Sæpè aduertenda ad ipsos oratio. Hortandi vt sinant nos vti nostro consilio. Ita surrepetur animo iudicis,& dum sperat probationem pudoris, asperioribus illis minus repugnabit. Quæ cum receperit,etiam verecundiæ defensioni facilior erit. Sic vtraque res inuicem iuuabit,erítque iudex circa ius nostrum spe modestiæ attentior, circa modestiam iuris probatione procliuior. ¶ Sed vt non semper necessaria, ac etiam superuacua partitio est,ita opportunè adhibita plurimum orationi lucis & gratiæ confert. Neque enim id solum efficit,vt clariora fiant quæ dicuntur, rebus velut ex turba extractis, & in conspectu iudicum positis: sed reficit quoque audientem certo singularum partiũ fine,non aliter quàm facientibus iter multum detrahunt fatigationis notata in scriptis lapidibus spatia. Nam & exhausti laboris nosse mẽsuram

Quomodo tractãda durior partitio.

voluptati est, & hortatur ad reliqua fortius exequenda, scire quantum superſit. Nihil enim longũ videri neceſſe eſt, in quo quid vltimum ſit, certum eſt. [Nec immerito multum ex diligentia partiendi tulit laudis Q. Hortenſius, cuius tamen diuiſionem in digitos diductam, nonnunquam Cicero leuiter eludit. Nam eſt certus eius modus, & euitanda vtique maximè conciſa nimium, & velut articuloſa partitio. Nam & authoritati plurimum detrahunt minuta illa, nec iam membra, ſed fruſta: & huius gloriæ cupidi, quo ſubtilius, & copioſius diuiſiſſe videantur, & ſuperuacua aſſumunt, & quæ natura ſingularia ſunt ſecant, nec tam plura faciunt quàm minora: deinde cum fecerunt mille particulas, in eandem incidunt obſcuritatem, contra quam partitio inuenta eſt. [Diuiſa & ſimplex propoſitio, quoties vtiliter adhiberi poteſt, primum debet eſſe aperta atque lucida. Nam quid ſit turpius, quàm id eſſe obſcurum ipſum, quod in eum ſolum adhibetur vſum, ne ſint cætera obſcura? Tum breuis, nec vllo ſuperuacuo onerata verbo. Non enim quid dicamus, ſed de quo dicturi ſimus, oſtendimus. Obtinendum etiam nequid in ea deſit, nequid ſuperſit. Supereſt autem ſic ferè, cum aut in ſpecies partimur, quod in genera partiri ſit ſatis: aut genere poſito ſubijcitur ſpecies: vt, Dicam de virtute, iuſtitia, continentia: cum iuſtitia atque continẽtia virtutis ſint ſpecies. [Partitio proponit, quid ſit de quo conueniat, quid de quo ambigatur. In eo quod conuenit, quid aduerſarius fateatur, quid nos. In eo de quo ambigitur, quæ dicturi ſimus, quæ noſtræ propoſitiones, quæ partis aduerſæ. [Turpiſſimum verò eſt non eodem ordine exequi, quo quicque propoſueris.

Sit partiendi modus.

Lex bonæ partitionis.

Partitionis officia.

M. FABII QVINTILIANI DE Institutione oratoria libri quinti,

PROLOGVS.

Præfatio in hunc librum.

EVerunt & clari quidam authores, quibus solum videretur Oratoris officium, docere. Namque & affectus duplici ratione excludendos putabãt: primum, quia vitium esset omnis animi perturbatio: deinde, quia iudicem à veritate depelli misericordia, vel ira, similibúsque, non oporteret: & voluptatem audientium petere, cum vincendi tantũ gratia diceretur, non modo agenti superuacuũ, sed vix etiam viro dignum arbitrabãtur. Plures verò, qui nec ab illis sine dubio partibus rationẽ orandi summouerũt, hoc tamen proprium atque præcipuum crediderunt opus, sua confirmare, & quæ ex aduerso proponerentur, refutare. Vtruncunque est (nec enim hoc loco meam interpono sententiam) hic erit liber illorum opinione maximè necessarius, quo toto hæc sola tractantur, quibus sanè & ea quæ de iudicialibus causis iam dicta sunt, seruiunt. Nam neque procœmij, nec narrationis est alius vsus, quàm vt iudicem præparent: & status nosse, atque ea de quibus suprà scripsimus, intueri superuacuum foret, nisi ad hanc perueniremus. Denique ex quinque, quas iudicialis materię fecimus, partibus, quęcunque alia potest aliquando necessaria causæ non esse: lis nulla est, cui probatione opus non sit. [Eius præcepta sic optimè diuisuri videmur, vt prius quæ in commune ad omnes quæstiones pertinent, ostendamus: deinde quæ in quoque causæ genere propria sint, exequamur.

Partitio quæ per sigula capita ducitur.

¶De probationum diuisione. Cap. I.

Rhet. 1.

AC prima quidẽ illa partitio ab Aristotele tradita, consensum ferè omnium meruit, alias esse probationes quas extra dicendi rationem acciperet Orator: alias, quas ex causa traheret ipse, & quodammodo gigneret. Ideóque illas ἄτεχνους, id est inartificiales, has ἐντέχνους, id est artificiales vocauerũt. Ex illo priore genere sunt præiudicia, rumores, tormenta, tabulæ, iusiurandum, testes: in quibus pars maxima contentionum forensium consistit. Sed vt ipsa per se carent arte, ita summis eloquẽtiæ viribus & eleuanda sunt plerũque,

& refellenda. Quare mihi videntur magnopere dãnandi, qui totum hoc genus à præceptis remouerũt. Nec tamen in animo eſt omnia, quę aut pro his dici, aut contra dici ſolent, cõplecti. Non enim cõmunes locos tradere deſtinamus, quod eſſet operis infiniti, ſed viam quandam atque rationẽ. Quibus demonſtratis nõ modo in exequendo ſuas quiſque vires debet adhibere, ſed etiam inueniendo ſimilia, vt quæque cõditio litium poſcet. Nec enim de omnibus cauſis dicere quiſquam poteſt, ſaltem præteritis, vt taceam de futuris.

¶ De præiudicijs. Cap. II.

IAm præiudiciorum vis omnis tribus in generibus verſatur: Rebus, quæ aliquãdo ex paribus cauſis ſunt iudicatæ, quæ exempla rectius dicuntur: vt de reſciſſis patrũ teſtamentis, vel contrà in filios confirmatis: Iudicijs, ad ipſam cauſam pertinentibus, vnde etiam nomen ductum eſt: qualia in Oppianicum facta dicuntur, & à Senatu aduerſus Milonem: Aut cum de eadem cauſa pronunciatum eſt, vt in reis deportatis, & aſſertione ſecunda, & de partibus Centũuiralium, quæ in duas haſtas diuiſæ ſunt. [Confirmantur præcipuè duobus: authoritate eorum qui pronunciauerunt, & ſimilitudine rerũ de quibus quæritur. [Refelluntur autem raro per contumeliã iudicum, niſi fortè manifeſta in ijs culpa erit. Vult enim cognoſcentium quiſque firmam eſſe alterius ſententiam: & ipſe pronunciaturus, exemplũ non libenter, quod in ſe fortaſſe recidat, facit. Confugiendum ergo eſt in duobus ſuperioribus, ſi res feret, ad aliquam diſſimilitudinem cauſæ. Vix autem vlla eſt per omnia alteri ſimilis. Si id non continget, ac eadẽ cauſa erit: aut actorũ incuſanda negligentia, aut de infirmitate perſonarum quærendũ, contra quas erit iudicatum: aut de gratia quę teſtes corruperit, aut de inuidia, aut de ignorãtia: aut inueniendum quod cauſæ poſtea acceſſerit. Quorum ſi nihil erit, licebit tamen dicere multas iudiciorum cauſas ad iniquè pronunciandum valere: ideóque damnatum Rutilium, abſolutos Clodium atque Catilinam. Rogandi etiam iudices, vt rem potius intueantur ipſam, quàm iuriiurãdo alieno ſuum donent. Aduerſus conſulta autem Senatus, & decreta Principum & Magiſtratuum, remedium nullum eſt, niſi aut inuenta quantulacũque cauſæ differẽtia: aut aliqua vel eorundem vel eiuſdem poteſtatis hominum poſterior conſtitutio, quæ ſit priori contrãria: quæ ſi deerunt, lis non erit.

¶De rumore & fama. Cap.III.

Cic.I.Topi.

FAmam atque rumores pars altera cõſenſum ciuitatis, & velut publicum teſtimonium vocat:altera ſermonẽ ſine vllo certo authore diſperſum, cui malignitas initium dederit,incrementum credulitas,quod nulli non etiam innocentiſſimo poſſit accidere, fraude inimicorũ falſa vulgãtium.Exempla vtrinque non deerunt.

¶De tormentis. Cap.IIII.

Vide Ariſtoteſẽ in Rhetoricis ad Alexandrum.

Cice. in partitionibus.

Valla lib.8. cap.4.

Propria cuiuſque litis in tormentis

SIcut in tormentis quoque,qui eſt locus frequentiſſimus, cum pars altera quæſtionem, vera fatendi neceſſitatem vocet: altera ſæpè etiã cauſam falſa dicendi, quòd alijs patientia facilè mendaciũ faciat,alijs infirmitas neceſſarium. quid attinet plura de his?Plenæ ſunt orationes veterum ac nouorum. [Quædam tamen in hac parte erunt propria cuiuſq; litis.Nam ſiue de habenda quæſtione agetur,plurimum interit, quis, & quem poſtulet aut offerat, & in quem, & ex qua cauſa:ſiue iam erit habita,quis ei præfuerit,quid,& quomodo ſit tortus, an credibilia dixerit, an inter ſe conſtantia, perſeuerauerit in eo quod cœperat, an aliquid dolore mutauerit prima parte quæſtionis,an procedente cruciatu:quæ vtrinque tam infinita ſunt,quàm ipſa rerum varietas.

¶De tabulis,& ijs quæ contra tabulas. Cap. V.

COntra tabulas quoq; ſepè dictum,ſæpè dicendum eſt, cum eas nõ ſolum refelli,ſed etiam accuſari,ſciamus eſſe vſitatũ.Cum ſit autem in his aut ſcelus ſignatorũ, aut ignorãtia,tutius ac facilius id quod ſecundo loco diximus, tractatur, ꝙ ſcilicet pauciores rei fiunt. Sed hoc ipſum argumenta ex cauſa trahit, ſi fortè aut incredibile eſt,id actũ eſſe, quod tabulæ continent:aut(vt frequentius euenit)alijs probationibus æquè inartificialibus ſoluitur: ſi aut is in quem ſignatum eſt, aut aliquis ſignator dicitur abfuiſſe, vel prius eſſe defunctus:ſi tẽpora nõ cõgruũt:ſi vel antecedẽtia,vel inſequẽtia tabulis repugnãt.Inſpectio ipſa etiã ſæpè falſum deprehẽdit.

¶De iureiurando. Cap.VI.

IVſiurandum litigatores,aut offerunt ſuum,aut non recipiunt oblatum:aut ab aduerſario exigunt, aut recuſant cum ab ipſis exigatur. [Offerre ſuum ſine illa cõditione,vt vel aduerſarius iuret,ferè improbum eſt.Qui tamen id faciet,aut vita ſe tuebitur,vt eum nõ ſit credibile peieraturũ, aut ipſa vi religionis. In qua & plus fidei cõſequetur,ſi id ege-

rit,vt nõ cupidè ad hoc deſcẽdere,ſed ne hoc quidẽ recuſare videatur:aut ſi cauſa patietur,modo litis,propter quã deuoturus ſe ipſe nõ fuerit:aut ſi prẽter alia cauſæ inſtrumẽta,adijcit ex abundanti hanc quoq; conſcientiæ ſuæ fiduciam. [Qui nõ recipiet,& iniquã conditionẽ,& à multis contemni iuriſiurãdi metum dicet : cum & philoſophi quidam ſint reperti, qui deos habere rerum humanarum curam negarent; eum verò qui nullo offerente iurare ſit paratus,& ſe ipſum velle de cauſa ſua pronunciare,& quàm id quod offert,leue ac facile credat, oſtendere. At is qui defert,alioqui agere moleſtè videtur, cum litis aduerſarium iudicem faciat, & eum cuius cognitio eſt,onere liberet,qui profecto alieno iureiurando ſtare,quàm ſuo malit:quo difficilior recuſatio eſt,niſi fortè res eſt ea,quã credibile ſit notam ipſi non eſſe. Quæ excuſatio ſi deerit,hoc vnum relinquetur,vt inuidiam ſibi quæri ab aduerſario dicat, atque id agi, vt in ea cauſa, in qua vincere non poſſit, queri poſſit. Itaque hominem quidem malum occupaturum hanc conditionem fuiſſe,ſe autẽ probare malle quæ affirmet,quàm dubium cuiquam relinquere,an peierarit. ¶Sed nobis adoleſcentibus ſeniores in agendo facti præcipere ſolebant, ne vnquam iuſiurandum deferremus: ſicut neque optio iudicis aduerſario eſt permittenda : nec ex aduocatis partis aduerſæ iudex eligendus. Nam ſi dicere cõtraria turpe aduocato videatur,certè turpius habendum,facere quod noceat.

Cicero de natura deorũ.

¶De teſtibus. Cap. VII.

MAximus tamen patronis circa teſtimonia ſudor eſt. Ea dicuntur aut per tabulas,aut à præſentibus. [Simplicior contra tabulas pugna. Nam & minus videtur obſtitiſſe pudor inter paucos ſignatores,& pro diffidentia premitur abſentia. Si reprehenſionem non capit ipſa perſona,infamare ſignatores licet. Tacita præterea quadã ſignificatione refragatur his omnibus, quòd nemo per tabulas dat teſtimonium,niſi ſua voluntate:quo ipſo non ſe eſſe amicum ei,cõtra quem dicit, fatetur. [Nec tamen protinus ceſſerit orator,quo minus & amicus pro amico,& inimicus contra inimicũ poſſit verum(ſi integra ſit ei fides)dicere. Sed latè locus vterq; tractatur. ¶Cum præſentibus vero ingens dimicatio eſt: ideóq; velut duplici contra eos, próque his acie confligitur,actionũ, & interrogationum. [In actionibus primum generaliter pro teſtibus, atque in teſtes dici ſolet. Eſt hic communis locus,

Contra teſtimonia ſcripta, & pro eiſdem.

Pro & cõtra preſentes teſtes, idque vel actione perpetua, vel

interrogatione, & ab vtraque parte.

cum pars altera nullam firmiorem probationem esse contendit, quàm quæ sit hominum scientia nixa: altera ad detrahendam illis fidem, omnia per quæ fieri soleant falsa testimonia, enumerat. Sequens ratio est, cum specialiter quidē, sed tamen multos pariter inuadere patroni solent. Nam & gentiū simul vniuersarum eleuata testimonia ab oratoribus scimus: & tota genera testimoniorū, vt de auditionibus: non enim ipsos esse testes, sed iniuratorum afferre voces: vtq; in causis repetundarum, qui se reo numerasse pecunias iurant, litigatorū non testium habēdos loco. Interim aduersus singulos dirigitur actio. Quod insectationis genus & permixtum defensioni legimus in orationibus plurimis, & separatim editum, sicut in Vatiniū testem. [Totum igitur excutiamus locum, quando vniuersam institutionem aggressi sumus. Sufficiebant alioqui libri duo à Domitio Afro in hanc rem compositi, quem adolescentulus senem colui: vt non lecta mihi tantum ea, sed pleraq; ex ipso sint cognita. Is verissimè præcipit, primum esse in hac parte officium oratoris, vt totam causam familiariter norit: quod sine dubio ad omnia pertinet. Id quomodo cōtingat explicabimus, quum ad destinatum huic parti locum venerimus. Ea res suggeret materiam interrogationi, & veluti tela ad manū subministrabit. Eadem docebit, ad quæ iudicis animus actione sit præparādus. Debet enim vel fieri, vel detrahi testibus fides oratione perpetua: quia sic dictis quisque mouetur, vt est ad credendum, vel non credendum antè formatus. [Et quoniam duo genera sunt testium: aut voluntariorum, aut eorum quibus iudex publicis iudicijs lege denunciare solet: quorum altero vtraque pars vtitur, alterum accusatoribus tantum cōcessum est, separemus officium dantis testes, & refellentis. [Qui voluntariū producit, scire quid is dicturus est, potest: ideóque faciliorem videtur in rogando habere rationē. Sed hæc quoque pars acumen & vigilantiā poscit: prouidendúmque ne timidus, ne incōstans, ne imprudens sit testis. Turbātur enim, & à patronis diuersæ partis inducuntur in laqueum. Sed & plus deprehensi nocent, quàm firmi & interriti profuissent. Multum igitur domi antè versandi, ac varijs percontationibus, quales haberi ab aduersario possunt, explorandi sunt. Sic fit, vt aut constent sibi, aut si quid ꝑtubauerint, opportuna rursus eius, à quo producti sunt, interrogatione velut in gradū reponantur. In his quoque adhuc qui constiterint sibi, vitandæ sunt in-

Ad rem operosius accingitur.

Testium duo genera & quo modo interrogandi.

Voluntarius testis quomodo tractādus

fidiæ: nam frequenter ſubijci ab aduerſario ſolent, & omnia profutura polliciti diuerſa reſpondent, & authoritatẽ habent non arguentium illa, ſed cõfitentium. Explorandũ igitur quas cauſas lædendi aduerſarium afferant: nec id ſatis eſt, inimicos fuiſſe, ſed an deſierint, an per hoc ipſum reconciliari velint, ne corrupti ſint, ne pœnitentia propoſitũ mutauerint. Quod cum in ijs quoq;, qui ea quæ dicturi videntur, re vera ſciunt, neceſſarium eſt præcauere, tum multo magis in his, qui ſe dicturos quæ falſa ſunt, pollicentur. Nam & frequentior eorum pœnitentia eſt, & promiſſum ſuſpectius: & ſi perſeuerauerint, reprehenſio facilior. [Eorum verò, quibus denunciatur, pars teſtium eſt quæ reum lædere velit, pars quæ nolit. Idque interim ſcit accuſator, interim neſcit. Fingamus in præſentia ſcire, in vtroq; enim genere ſummis artibus interrogantis opus eſt. Nam ſi habet teſtem cupidũ lædendi, cauere debet hoc ipſum, ne cupiditas eius appareat: nec ſtatim de eo quod in iudiciũ venit rogare, ſed aliquo circuitu ad id peruenire, vt illi quod maximè dicere voluit, videatur expreſſum: nec nimiũ inſtare interrogationi, ne ad omnia reſpõdendo teſtis fidem ſuã minuat, ſed in tantũ euocare eum, quantũ ſumere ex vno ſatis eſt. At in eo, qui verũ inuitus dicturus eſt, felicitas interrogantis prima eſt, extorquere quod is noluerit. Hoc nõ alio modo fieri poteſt, quàm lõgius interrogatione repetita. Reſpõdebit enim quæ nocere cauſæ nõ arbitrabitur: ex pluribus deinde quæ cõfeſſus erit, eò perducetur, vt quod dicere non vult, negare non poſſit: nam vt in oratione ſparſa plerũq; colligimus argumẽta, quæ per ſe nihil reum aggrauare videantur, congregatione deinde eorum factum cõuincimus: ita huiuſmodi teſtis multa de anteactis, multa de inſecutis, loco, tempore, perſona, cæteríſque eſt interrogandus: vt in aliquod reſponſum incidat, poſt quod illi vel fateri quæ volumus, neceſſe ſit, vel ijs quæ iã dixerat, repugnare. Id ſi non contingit, reliquum erit, vt eum nolle dicere manifeſtũ ſit: protrahendúſque vt in aliquo, quod vel extra cauſam ſit, deprehendatur. Tenendus etiam diutius, vt omnia, ac plura quàm res deſiderat, pro reo dicendo ſuſpectus iudici fiat: quo non minus nocebit, quàm ſi vera in reum dixiſſet. [At ſi (quod ſecũdo loco diximus) neſciet actor quid propoſiti teſtis attulerit, paulatim, & (vt dicitur) pedetẽtim interrogando experietur animum eius, & ad id reſponſum quod eliciendũ erit, per gradus ducet. Sed quia nonnunquã ſunt hæ

Quomodo interrogandus teſtis cui denunciatũ eſt.

Si ignoretur quid teſtis dicturus ſit quid agendum.

DEFENſoris partes circa teſtes. Agendi ratio.

quoque teſtium artes, vt primo ad voluptatem reſpondeant, quo maiore fide diuerſa poſtea dicant, eſt accuſatoris ſuſpectũ teſtem dum prodeſt, dimittere. ¶ Patronorũ in parte expeditior, in parte difficilior interrogatio eſt. Difficilior hoc, quòd raro vnquam poſſunt ante iudicium ſcire, quid teſtis dicturus ſit: Expeditior, quòd cum interrogandus eſt, ſciunt quid dixerit. Itaque in eo quod incertum eſt, cura & inquiſitione opus eſt, quis reum premat, quas & quibus ex cauſis inimicitias habeat, eáque in oratione prædicenda atq; amolienda ſunt, ſiue odio conflatos teſtes, ſiue inuidia, ſiue gratia, ſiue pecunia videri volumus. Et ſi deficietur numero pars diuerſa, paucitatẽ: ſi abundabit, conſpirationem: ſi humiles producet, vilitatem: ſi potentes, gratiam oportebit inceſſere. Plus tamen proderit cauſas, propter quas reum lædant, exponere: quæ ſunt variæ, & pro conditione cuiuſq; litis, aut litigatoris. Nam cõtra illa quę ſupra diximus, ſimili ratione reſponderi locis communibus ſolet, quia & in paucis atque humilibus accuſator ſimplicitate gloriari poteſt, q̃ neminẽ præter eos quos putarit ſcire, quæſierit, & multos atque honeſtos cõmendare aliquanto eſt facilius. Verùm interim & ſingulos vt exornare, ita deſtruere contingit, aut recitatis in actione, aut nominatis teſtibus. Quod ijs temporibus quibus teſtis non niſi poſt finitas actiones rogabatur, & facilius & frequentius fuit. [Quid autem in quenque teſtium dicendũ ſit, ſumi niſi ab ipſorum perſonis non poteſt.

Ratio interrogandi.

[Reliquæ interrogandi ſunt partes, qua in re primũ eſt noſſe teſtem: nam timidus terreri, ſtultus decipi, iracundus concitari, ambitioſus inflari, curioſus in longũ protrahi poteſt. Prudens vero & conſtans, vel tanquã inimicus & peruicax dimittendus ſtatim: vel nõ interrogatione, ſed breui interlocutione patroni refutandus eſt: aut aliquo, ſi continget, vrbanè dicto refrigerandus: aut ſi quid in eius vitam dici poterit, infamia criminum deſtruendus. Probos quoſdam & verecundos non aſperè inceſſere profuit: nam ſæpè qui aduerſus inſectantem pugnaſſent, modeſtia mitigantur. [Omnis autem interrogatio aut in cauſa eſt, aut extra cauſam. In cauſa ſicut accuſatori præcepimus, patronus quoque altius, & vnde nihil ſuſpecti ſit, repetita percontatione priora ſequentibus applicãdo, ſæpè eò perducit homines, vt ab inuitis quod profit, extorqueat. Eius rei ſine dubio nec diſciplina vlla in ſcholis, nec exercitatio traditur: & naturali magis acumine, aut vſu contingit hæc

virtus. Si quod tamen exemplũ ad imitationem demonſtrandum ſit, ſolum eſt, quod ex dialogis Socraticorũ, maximéque Platonis duci poteſt: in quibus adeo ſcitæ ſunt interrogatiõnes, vt cum in pleriſque benè reſpondeatur, res tamen ad id quod volunt efficere, perueniat. Illud fortuna interim præſtat, vt aliquid quod inter ſe parũ conſentiat, à teſte dicatur: interim (quod ſæpius euenit) vt teſtis teſti diuerſa dicat. Acuta autem interrogatio ad hoc quod caſu fieri ſolet, etiam ratione perducet. [Extra cauſam quoq; multa quę proſint interrogari ſolẽt, de vita teſtium aliorum, de ſua quiſque, ſi turpitudo, ſi humilitas, ſi amicitia accuſatoris, ſi inimicitiæ cum reo: in quibus aut dicant aliquid quod proſit, aut in mendacio, vel cupiditate lædendi, deprehendãtur. [Sed in primis interrogatio debet eſſe circunſpecta, quia multa contra patronos venuſtè teſtis ſæpe reſpõdet, eíq; pręcipuè vulgo fauetur, tum verbis quàm maximè ex medio ſumptis, vt qui rogatur (is autem eſt & ſæpius imperitus) intelligat, aut ne intelligere ſe neget, quod interrogantis nõ leue frigus eſt. [Illæ verò peſſimæ artes, teſtem ſubornatum in ſubſellia aduerſarij mittere, vt inde excitatus plus noceat, vel dicendo contra reum, cum quo ſederit: vel cũ adiuuiſſe teſtimonio videbitur, faciendo ex induſtria multa immodeſtè, atque intemperanter: per quę non à ſe tantum dictis detrahat fidem, ſed cæteris quoq; qui profuerant, auferat authoritatem. quorum mentionem habui, non vt fierent, ſed vt vitarentur. [Sæpe inter ſe collidi ſolent, inde teſtatio, hinc teſtes: locus vtrinque. Hæc enim pars ſe iureiurando, illa cõſenſu ſignantiũ tuetur. Sæpè inter teſtes & argumenta quæſitum eſt, inde ſcientiam in teſtibus & religionem, ingenia eſſe in argumentis dicitur: hinc teſtem gratia, metu, pecunia, ira, odio, amicitia, ambitu fieri: argumenta ex natura duci, in his iudicem ſibi, in illis alij credere. Communia hæc pluribus cauſis, multúmque iactata ſunt, ſempérque iactabuntur. Aliquando vtrinque ſunt teſtes, ſed quæſtio ſequitur ex his vtri meliores viri. Ex cauſis, vtri magis credibilia dixerint: Ex litigatoribus, vtri gratia magis valuerint. ¶His adijcere ſi quis volet ea, quæ diuina teſtimonia vocantur, ex reſponſis, oraculis, ominibus, duplicem ſciat eorum eſſe tractatum: Generalem alterum, in quo inter Stoicos & Epicuri ſectam ſecutos pugna perpetua eſt: regatúrne prouidentia mundus: Specialem alterum, contra partem diuinationis, vt quæque in

Diuina teſtimonia.

quæstionem cadit. Aliter enim oraculorum, aliter aruspicum, augurum, coniectorũ, & mathematicorum fides confirmari, aut refelli potest, cum sit rerum earum ratio diuersa. [Circa huiusmodi quoq; instrumenta firmanda, vel destruenda, multum habet operis oratio, si quæ sint voces per vinũ, somnium, dementiam emissæ, vel excepta paruulorũ indicia: quos pars altera nihil fingere, altera nihil indicare dictura est. ¶Nec tãtum præstari hoc genus potest, sed etiam vbi nõ est, desiderari solet. Pecuniam dedisti, quis numerauit? vbi? vnde? Venenum arguis, vbi emi? à quo? quanti? per quẽ dedi? quo conscio? Quæ ferè omnia pro Cluentio Cicero in crimine veneficij excutit. Hæc de inartificialibus quàmbreuissimè potui.

Valent & testimonia desiderata..

¶De probatione artificiali. Cap. VIII.

PArs altera probationum, quæ est tota in arte, constátq; rebus ad faciendã fidem appositis, plerũq; aut omnino negligitur, aut leuissimè attingitur ab ijs, qui argumẽta velut horrida & confragosa vitantes, amœnioribus locis desident: neque aliter quàm ij qui tradũtur à poetis gustu cuiusdã apud Lotophagos graminis, & Sirenũ cantu deliniti, voluptatem saluti prætulisse, dum laudis falsam imaginem persequũtur, ipsa propter quã dicitur, victoria cedũt. Atqui cætera quæ continuo magis orationis tractu decurrunt, in auxilium atque ornamentũ argumentorum comparantur, neruíque illis quibus causa continetur, adijciunt superinducti corporis speciẽ: vt si fortè quid factũ ira, vel metu, vel cupiditate dicatur, latius quæ cuiusq; affectus natura sit, prosequemur. Ijsdem laudamus, incusamus, augemus, minuimus, describimus, deterremus, querimur, cõsolamur, hortamur. ¶Sed horũ esse opera in rebus aut certis, aut de quibus tanquã certis loquimur, potest. Nec abnuerim esse aliquid in delectatione, multum verò in commouendis affectibus. Sed hæc ipsa plus valent, cum se didicisse iudex putat, quod consequi nisi argumentatione, aliáq; omni fide rerum, nõ possumus. ¶Quorũ prius quàm partiar species, indicandum reor, quædã in omni genere probationũ communia. Nam nec vlla quæstio est, quæ non sit aut in re, aut in persona. Nec esse argumentorũ loci possunt, nisi in ijs quæ rebus aut personis accidunt. [Eáque aut per se inspici solent, aut ad aliud referri. Nec vlla confirmatio nisi aut ex antecedentibus, aut ex cõsequentibus, aut ex pugnantibus: & hęc necesse est, aut ex præterito tempore, aut ex coniuncto, aut ex

Odyss. 9.
Odyss. 12.

Generalis probationum diuisio.

ſequenti petere. [Nec vlla res probari niſi ex alia poteſt: Eáq; ſit oportet aut maior, aut par, aut minor. [Argumẽta vero reperiuntur aut in quęſtionibus, quæ etiam ſeparatæ à cõplexu rerum perſonarúmq; ſpectari per ſe poſſint: aut in ipſa cauſa, cum inuenitur aliquid in ea, non ex cõmuni ratione ductum, ſed eius iudicij de quo cognoſcitur, propriũ. [Probationũ prętera omniũ aliæ ſunt neceſſariæ, aliæ credibiles, aliæ non repugnantes. [Adhuc omniũ probationũ quadruplex ratio eſt, vt vel quia aliquid eſt, aliud non ſit, vt quia dies eſt, nox non eſt: vel quia eſt aliquid, & aliud ſit, vt quia ſol eſt ſuper terrã, dies eſt: vel quia aliquid nõ eſt, aliud ſit, vt quia nox non eſt, dies eſt: vel quia aliquid non eſt, nec aliud ſit, vt quia nõ eſt rationale, nec homo eſt. His invniuerſũ prędictis partes ſubijciã.

¶De ſignis. Cap. I X.

OMnis igitur probatio artificialis conſtat aut ſignis, aut argumentis, aut exemplis. Nec ignoro pleriſque videri ſigna partem argumentorũ: quæ mihi ſeparandi ratio hæc fuit prima, ꝙ ſunt penè ex illis inartificialibus. Cruenta enim veſtis, & clamor, & liuor, & talia, ſunt inſtrumẽta, qualia tabulæ, rumores, teſtes: nec inueniuntur ab oratore, ſed ad eũ cum ipſa cauſa deferuntur. [Altera, quòd ſigna ſiue indubitata ſint, non ſunt argumenta: quia vbi illa ſunt, quæſtio nõ eſt: argumento autem niſi in re controuerſa, locus eſſe nõ poteſt: ſiue dubia, non ſunt argumenta, ſed ipſa argumentis egent. ¶Diuidũtur autẽ in has primas duas ſpecies: ꝙ eorũ alia ſunt (vt dixi) quæ neceſſaria ſunt, quę Græci vocant τεκμήρια: alia nõ neceſſaria, quæ σημεῖα. [Priora illa ſunt, quæ aliter habere ſe nõ poſſunt: quæ mihi vix pertinere ad præcepta artis vidẽtur. Nam vbi eſt ſignum inſolubile, ibi ne lis quidem eſt. Id autem accidit, cum quid aut neceſſe eſt fieri, factúmve eſſe, aut certè omnino non poteſt fieri, vel eſſe factum: quo in cauſis poſito, lis non eſt, niſi facti. [Hoc genus per omnia tẽpora perpendi ſolet. Nam & coijſſe eam cum viro quæ peperit, quod eſt præteriti: & fluctus eſſe, cũ magna vis venti in mare incubuit, quod coniuncti: & eum mori, cuius cor eſt vulneratum, quod futuri neceſſe eſt. Nec fieri poteſt, vt ibi meſſis ſit, vbi ſatum nõ eſt: vt quis Romæ ſit, cum eſt Athenis: vt ſit ferro vulneratus, qui ſine cicatrice eſt. Sed quædã & retrorſum idem valent, vt viuere hominem qui ſpirat: & ſpirare qui viuit. Quædã in contrarium nõ recurrũt. Nec enim quia mouetur qui ingreditur,

Signa neceſſaria.

τεκμήριον, eſt propria rei nota.

σημεῖον, ſignum, quod hic in ſpeciei locũ cadit.

Signa nō necessaria.

idcirco etiam ingreditur, qui mouetur. Quare potest & coijsse cum viro, quæ non peperit, & non esse ventus in mari cū esset fluctus, nec vtique cor eius vulneratū esse qui perit. Ac similiter fatum fuisse potest vbi nō fuit messis, nec fuisse Romæ qui non fuit Athenis, nec fuisse ferro vulneratum qui habet cicatricem. ¶ Alia sunt signa non necessaria, quæ εἰκότα Græci vocant, quæ etiam si ad tollendā dubitationē sola non sufficiūt, tamen adiuncta cæteris plurimū valent. Signum vocant (vt dixi) σημεῖον, quanquā id quidam indicium, quidam vestigium nominauerunt, per quod alia res intelligitur, vt per sanguinem cædes. At quia sanguis vel ex hostia respersisse vestem potest, vel è naribus profluxisse, non vtique qui vestem cruentam habuerit, homicidiū fecerit. Sed vt per se non sufficit, ita cæteris adiunctum testimonij loco ducitur, si inimicus, si antè minatus, si eodē loco fuit. Quibus signū cum accessit, efficit vt quæ suspecta erant, certa videantur. Alioqui sunt quædā signa vtriq; parti cōmunia, vt liuores, tumores. Nam videri possunt & veneficij & cruditatis. Et vulnus in pectore, sua manu, & aliena perisse dicentibus, in quo est. Hæc perinde firma habentur, atque extrinsecus adiuuantur. [Eorum autem, quæ signa sunt quidem, sed nō necessaria, genus Hermagoras putat: Nō esse virginē Atalantā, quia cum iuuenibus per syluas vagetur. Quod si receperimus, vereor ne omnia quæ ex facto ducūtur, signa faciamus. Eadem tamen ratione, qua signa, tractantur. Nec mihi videntur Areopagitæ, cum damnauerunt puerum coturnicum oculos eruentem, aliud iudicasse, quàm id signum esse pernicioſissimæ mētis, multísq; malo futuræ, si adoleuisset. Vnde Spurij Melij, M. q; Manlij popularitas signum affectati regni fuit existimatū. Sed vereor ne longè nimium nos ducat hæc via. Nam si est signum adulteræ, lauari cum viris, erit & conuiuere cum adolescentibus, deinde etiam familiariter alicuius amicitia vti: vt fortasse corpus vulsum, fractū incessum, vestem muliebrem, dixerit mollis, & parum viri signa, si cui, cum signum id propriè sit, quod ex eo, de quo quæritur, natum sub oculos venit, vt sanguis ex cæde, ita illa ex impudicitia fluere videantur. [Ea quoq; quæ quia plerūq; obseruata sunt, vulgo signa credūtur, vt prognostica, Vento rubet aurea phœbe, Et cornix plena pluuiam vocat improba voce: si causas ex qualitate cæli trahunt, sanè ita appellentur. Nam si vento rubet luna, signum venti est rubor. Et si, vt idem poeta colligit,

σημεῖα. i. verisimilia, quæ & εἰκότα.

Georg. 1. Eodem lib.

densatus & laxatus aër facit, vt sit inde ille auium concentus, idem sentiemus. ¶Sunt autē etiam signa parua magnorū, vt hæc ipsa cornix. Nam maiora minorum esse nemo mi.atur.

¶De argumentis. Cap. X.

NVnc de argumentis. Hoc enim nomine complectimur omnia quæ Græci ἐνθυμήματα, ἐπιχειρήματα, ἀποδείξεις vocant: quāquam apud illos est aliqua horum nominum differentia, etiam si vis eodem ferè tendit. [Nā enthymema (quod nos commentū sanè, aut cōmentationem interpretamur, quia aliter non possumus, Græco melius vsuri) vnum intellectum habet, quo omnia mente concepta significat. Sed nunc de eo non loquimur: Alterum, quo sententiam cum ratione: Tertium, quo certam quandam argumenti cōclusionē, vel ex consequentibus, vel ex repugnantibus: quanquā de hoc parum conuenit. Sunt enim qui id prius epichirema dicant, pluréſque inuenias in ea opinione, vt id demum quo pugna constat, ethymema accipi velint. Et ideo illud Cornificius cōtrarium appellat. Hunc alij Rhetoricum syllogismū, alij imperfectum syllogismum vocauerunt, quia nec distinctis, nec totidem partibus concluderetur. Quod sanè non vtique ab Oratore desideratur. [Epichirema Valgius aggressionem vocat. Celsus autem iudicat non nostram administrationem, sed ipsam rem quam aggredimur, id est argumētum, quo aliquid probaturi sumus, etiam si nondum verbis explanatum, iam tamen mente conceptum, Epichirema dici. Alijs videtur non destinatam, vel inchoatam, sed perfectam orationem hoc nomen accipere, & vltimam speciem. Ideóque propria eius appellatio, & maximè in vsu posita est, qua significatur certa quędam sententiæ comprehensio, quæ ex tribus partibus constat. Quidam Epichirema rationem appellauerunt, Cicero melius ratiocinationem: q̄q̄ & ille nomen hoc duxisse magis à syllogismo videtur. Nam & statum syllogisticum ratiocinatiuū appellat, exemplísque vtitur philosophorū. Et quoniā est quędam inter syllogismum & epichirema vicinitas, potest videri hoc nomine rectè abusus. [Ἀπόδειξις est euidens probatio, ideóq; apud geometras γραμμικαὶ ἀποδείξεις dicuntur. Hanc & ab epichiremate Cæcilius putat differre solo genere conclusionis, & esse Apodixin imperfectum Epichirema, eadémq; causa qua diximus & Enthymema syllogismo distare. Nā & Enthymema syllogismi pars est. Quidā inesse epichiremati apodixin

Enthymema.

Epichirema.

Apodixis.

Probatio. Argumentũ.

putant,& esse partem eius cõfirmantem. Vtrũque autẽ(q̃q̃ diuersi authores eodẽ modo finiunt,vt sit ratio per ea quæ certa sunt fidem dubijs afferens,quæ natura est omniũ argumentorum:neque enim certa incertis declarantur(hæc omnia generaliter πίστεις appellant:quod etsi propria interpretatione dicere fidẽ possumus,apertius tamen probationẽ interpretabimur. [Sed argumentum quoque plura significat. Nam & fabulæ ad actus scenarum cõpositæ argumenta dicuntur: & orationum Ciceronis velut thema ipse exponens Pædianus,Argumentũ, inquit tale est. Et ipse Cicero ad Brutũ ita scribit, Veritus fortasse ne nos in Catonẽ nostrũ transferamus illinc mali quid, etsi argumentum simile non erat. Quo apparet omnẽ ad scribendum destinatam materiã ita appellari. Nec mirum,cũ id inter opifices quoq; vulgatum sit. Vnde Vergilius Argumentũ ingens. Vulgóq; paulo numerosius opus dicitur argumentosũ. Sed nunc de eo dicendũ argumento est, quod probationem, indicium,fidẽ,aggressionem eiusdem rei nomina facit,parum distinctè,vt arbitror. Nã probatio,& fides efficitur non tantũ per hęc quę sunt rationis,sed etiam per inartificialia. Signum autẽ,quod ille indiciũ vocat,ab argumẽtis iã separaui. ¶Ergo cum sit argumentũ ratio probationẽ præstans, qua colligitur aliud per aliud: & quæ quod est dubiũ, per id quod dubiũ non est,cõfirmat:necesse est esse aliquid in causa,quod probatione non egeat. Alioqui nihil erit quo probemus, nisi fuerit quod aut sit verum,aut videatur,ex quo dubijs fides fiat. Pro certis autem habemus primũ quę sensibus percipiũtur,vt quæ vidimus,audiuimus,& qualia sunt signa. Deinde ea,in quę cõmuni opinione consensum est, deos esse, præstendam pietatem parentibus. Præterea quæ legibus cauta sunt, quæ persuasione, etiam si non omniũ hominũ, eius tamen ciuitatis,aut gentis, in qua res agitur,in mores recepta sunt:vt pleraq; in iurè non legibus,sed moribus constant. Si quid inter vtranque partem conuenit,si quid probatum est,denique cuicunq; aduersarius non contradicit Sic enim fiet argumentum,cum prouidentia mundus regatur,administrãda est respublica:vt administranda respub.sit, si liquebit mundum prouidentia regi. [Debet etiam nota esse rectè argumenta tractaturo,vis & natura omnium rerum,& quid quæque earum plerumque efficiat. Hinc enim sunt quæ εἰκότα dicuntur. Credibilium autem genera sunt tria. Vnum firmissimum, quod ferè accidit,vt liberos à

Eneid.7.

Argumenta aut vera esse aut haberi oportet: quoniam ex certis incerta sunt probanda.

Vim & naturam rerũ nosse oportet, vt credibilia intelli-

parentibus amari. Alterũ velut propensius: Eum qui rectè valeat, in crastinum peruenturum. Tertium tantum non repugnans: In domo furtum factum, ab eo qui domi fuit. Ideóque Aristoteles in secundo de arte Rhetorica libro diligentissimè est executus, quid cuique rei, & quid cuique homini soleat accidere: & quas res, quósq; homines, quibus rebus, aut hominibus vel conciliasset vel alienasset ipsa natura: vt diuitias quid sequatur, aut ambitũ, aut superstitionem, quid boni probent, quid mali petant, quid milites, quid rustici: quo quæque modo res vitari, vel appeti soleat. Verũ hoc exequi mitto. Non enim longum tantum, sed etiam impossibile, aut potius infinitũ est: præterea positum in communi omnium intellectu. Si quis tamen desiderauerit, à quo peteret, ostendi. Omnia autem credibilia, in quibus pars maxima consistit argumentationis, ex huiusmodi fontibus fluunt, an credibile sit à filio patrem occisum, incestum cum filia commissum: & contrà veneficium in nouerca, adulteriũ in luxurioso. Illa quoque, an scelus palàm factum, an falsum dixerit propter exiguam summã, quia suos quisque horum velut mores habet: plerũque tamen, non semper: alioqui indubitata essent, non argumenta. ¶ Excutiamus nunc argumentorum locos, quanquam quibusdam ij quoque, de quibus supra dixi, videntur. Locos appello, non vt vulgo nunc intelliguntur, vt in luxuriam & adulterium, & similia: sed sedes argumentorum, in quibus latent, ex quibus sunt petenda. Nam vt in terra nõ omni generantur omnia, nec auem aut feram reperias, vbi quæq; nasci, aut morari soleat ignarus: & piscium quoque genera alia planis gaudent, alia saxosis, regionibus etiam littoribúsque discreta sunt: nec Helopem nostro mari, aut Scarum ducas: ita non omne argumentũ vndiq; venit, ideóque non passim quærendũ est. Multus alioqui error est, & exhausto labore, quod non ratione scrutabimur, non poterimus inuenire nisi casu. At si scierimus vbi quicq; nascatur, cum ad locum ventum erit, facilè quod in eo erit, peruidebimus. [In primis igitur argumenta sæpè à persona ducenda sunt, cum sit, vt dixi, diuisio, vt omnia in hæc duo partiamur, res atque personas: vt causa, tempus, locus, occasio, instrumentum, modus, & cætera rerum sint accidẽtia. ¶ Personis autem non quicquid accidit, exequendum mihi est, vt plerique fecerunt, sed vnde argumenta sumi possunt. [Ea porrò sunt, Genus. Nam similes parentibus ac maioribus suis filij plerumque

gamus, quorũ tria sunt genera.

LOCVS *quid, & eorum diuisio.*

LOCI *personarũ, vt Genus.*

creduntur: & nonnunquã ad honeſtè turpitérque viuendum inde cauſæ fluunt. [Natio, nam & gẽtibus proprij mores ſunt, nec idem in Barbaro, Romano, Græco probabile eſt. [Patria, quia ſimiliter etiam ciuitatũ leges, inſtituta, opiniones habent differentiam. Sexus, vt latrocinium facilius in viro, veneficiũ in fœmina credas. [Aetas, quia aliud alijs annis magis conuenit. [Educatio & diſciplina, quoniam refert à quibus, & quo quiſque modo ſit inſtitutus. [Habitus corporis, ducitur enim frequenter in argumentum ſpecies libidinis, robur petulãtiæ. His contraria in diuerſum. [Fortuna: neque enim tam idem credibile eſt in diuite ac paupere: propinquis, amicis, clientibus abundante, & his omnibus deſtituto. [Conditionis etiam diſtantia eſt, nam clarus an obſcurus, magiſtratus an priuatus, pater an filius, ciuis an peregrinus, liber an ſeruus, inceſtus an caſtus, maritus an cœlebs, parens liberorum an orbus ſit, plurimum diſtat. [Animi natura: etenim auaritia, ira, iracũdia, miſericordia, crudelitas, ſeueritas, aliáq; ijs ſimilia, afferunt frequenter fidem, aut detrahunt: ſicut victus, luxurioſus, an frugi, an ſordidus, quæritur. [Studia quoq;: nam ruſticus, forẽſis, negociator, miles, nauigator, medicus, aliud atq; aliud efficiunt. Intuendũ etiam quid affectet quiſq;, locuples videri an diſertus, iuſtus an potens. [Spectãtur antè acta dictáq;. Ex prẽteritis enim æſtimari ſolent præſentia. [His adijciunt quidã commotionem, hanc accipi volunt temporariũ animi motũ, ſicut iram, pauorem. [Conſilia autẽ, & præſentis & prẽteriti & futuri tẽporis, quæ mihi, etiã ſi perſonis accidunt referenda tamen ad illam partẽ argumentorũ videntur, quã ex cauſis ducimus: ſicut habitus quidã animi, quo tractatur, amicus an inimicus. [Ponunt in perſona & nomẽ, quod quidẽ ei accidere neceſſe eſt, ſed in argumentum rarò cadit: niſi cum aut ex cauſa datũ eſt, vt ſapiens, magnus, planus: aut ipſum alicuius cogitationis attulit cauſam, vt Lentulo cõiurationis, quòd libris Sybillinis aruſpicũq; reſponſis dominatio dari tribus Cornelijs dicebatur, ſéq; eum tertium eſſe credebat poſt Syllam, Cinnámq;, qui & ipſe Cornelius erat. Nam & illud extat apud Euripidem, frigidum ſanè, cp nomen Polynicis vt argumentũ frater morum inceſſit. Iocorum enim ex eo frequens materia, qua Cicero in Verrem non ſemel vſus eſt. Hæc ferè circa perſonas ſunt, aut his ſimilia. Nec enim complecti omnia, vel in hac parte, vel in cæteris poſſumus, cõtenti rationem plura quæſituris oſten-

Natio. *Patria.* *Sexus.* *Aetas.* *Educatio.* *Diſciplina.* *Habitus corporis.* *Conditio.* *Natura animi.* *Victus.* *Studia.* *Affectus.* *Ante acta dictáque.* *Nomen.* *In phœniſſis.*

dere. ¶Nunc ad res tranſeo,in quibus maximè ſunt perſonis iuncta quæ agimus,ideóq; prima tractãda.In omnibus porrò quę fiunt,quæritur aut quare,aut vbi,aut quando,aut quomodo,aut per quę facta ſunt.[Ducũtur igitur argumenta ex cauſis factorum,vel futurorũ,quorum materiam,quam ὕλην alij, δύναμιν alij nominauerũt,in duo genera,ſed quaternas vtriuſq; diuidunt ſpecies. Nam ferè verſatur ratio faciendi circa bonorum adeptionem,incrementum,cõſeruationem,vſum: aut malorum euitationem,liberationem,imminutionem,conuerſionem : nanque hæc in deliberando plurimum valent . Sed has cauſas habent recta:praua cõtrà ex falſis opinionibus veniunt.Nam eſt ex his initium ijs,quæ creduntur bona aut mala : inde errores exiſtunt , & peſſimi affectus , in quibus ſunt ira,odium,inuidia,cupiditas,ſpes,ambitus,audacia,metus,cæteráq; eiuſdem generis.Accedunt aliquãdo fortuita,ebrietas, ignorantia.Quæ interim ad veniam valent, interim ad probationem ctiminũ:vt ſi quis dum alij inſidiatur,alium dicitur interemiſſe.Cauſæ porrò non ad conuincendum modo quod obijcitur, ſed ad defendendũ quoq; excuti ſolent,cum quis ſe recte feciſſe,id eſt,honeſta cauſa contendit.qua de re latius in tertio libro dictum eſt. Finitiones interim ex cauſis pendent. An tyrãnicida ſit, qui tyrannum, à quo deprehenſus in adulterio fuerat, occidit.an ſacrilegus, qui vt hoſtes vrbe expelleret,arma templo affixa detraxit.[Ducuntur argumenta & ex loco.Spectatur enim ad fidem probationis,montanus an planus , maritimus an mediterraneus, conſitus an incultus, frequens an deſertus, propinquus an remotus, oportunus conſilijs an aduerſus.Quam partem videmus vehementiſſimè pro Milone tractaſſe Ciceronem.Et hæc quidem ac ſimilia ad cõiecturam frequentius pertinent : ſed interim ad ius quoque , priuatus an publicus, ſacer an prophanus , noſter an alienus: vt in perſona,magiſtratus,pater,peregrinus. Hinc enim quæſtiones oriuntur.Priuatam pecuniam ſuſtuliſti,verùm quia de templo, non furtum, ſed ſacrilegium eſt. Occidiſti adulterũ, quod lex permittit : ſed quia in lupanari, cædes eſt. Iniuriam feciſti,ſed quia magiſtratui,maieſtatis actio eſt.vel contrà, licuit,quia pater eram, quia magiſtratus. [Sed circa facti controuerſiam argumenta præſtant,circa iuris lites,materiã quæſtionum. Ad qualitatem quoq; frequenter pertinet locus. Neque enim idem vbique,aut licet,aut decorum eſt. Quinetiam

LOCI factorum. Cauſæ.

Locus.

in qua quicque ciuitate quæratur intereſt. Moribus enim & legibus diſtant. Ad cõmendationem quoque, & inuidiam valet. Meta. 13. Nam & Aiax apud Ouidiũ inquit, Ante rates agimus cauſam, & mecũ confertur Vlyſſes. Et Miloni inter cætera obiectum eſt, quòd Clodius in monumentis ab eo maiorum ſuorũ eſſet occiſus. Ad ſuadendi momenta idem valet, ſicut tempus, cuius tractatum ſubiungam. Tempus. [Eius autem (vt alio loco iam dixi) duplex ſignificatio eſt. Generaliter enim & ſpecialiter accipitur. Prius illud eſt, nunc, olim, tunc, ſub Alexandro, cum apud Ilion pugnatum eſt: denique præteritum, inſtans, futurũ. Hoc ſequens habet & conſtituta diſcrimina, æſtate, hyeme, noctu, interdiu: & fortuita, in peſtilentia, in bello, in cõuiuio. Latinorum quidam ſatis ſignificari putauerunt, ſi illud generale, hoc ſpeciale tempus vocarent. Quorum vtrorumque ratio, & in conſilijs quidem, & in illo demõſtratiuo genere verſatur: ſed in iudicijs frequentiſſima eſt. Nam & iuris quæſtiones facit, & qualitatem diſtinguit, & ad coniecturam plurimũ confert. Vt cum interim probationes inexpugnabiles afferat, quales ſunt, ſi dicatur (vt ſupra poſui) ſignator qui ante diem tabularum deceſſit: aut cõmiſiſſe aliquid, vel cum infans eſſet, vel cum adhuc omnino natus nõ eſſet. Cap. de tabulis. Præter id, quòd omnia facilè argumenta, aut ex ijs quæ ante rem facta ſunt, aut ex cõiunctis rei, aut conſequentibus ducuntur. Ex antecedentibus, Mortem minatus es, noctu exiſti, proficiſcentem anteceſſiſti. Cauſæ quoque factorum præteriti ſunt temporis. Sed tempus ſubtilius quidam, quàm neceſſe erat diuiſerunt, vt eſſet iuncti, ſonus auditus eſt: adhærentis, clamor ſublatus eſt. Inſequentis ſunt illa, latuiſti, profugiſti, liuores & tumores apparuerunt. Ijſdem temporũ gradibus defenſor vtetur ad detrahendã ei, quod obijcitur fidem. In his omnis factorum dictorúmq; ratio verſatur, ſed dupliciter. Nã fiunt quædã, quia aliud poſtea futurum eſt: quædam quia aliud antè factũ eſt, vt cum obijcitur reo lenocinij ſpecioſæ marito, quòd ſpecioſam adulterij damnatam quandã emerit: aut parricidij reo luxurioſo q̃ dixerit patri, Nõ me amplius obiurgabis. Nam & ille, non quia emit leno eſt: ſed quia leno erat, emit. Nec hic quia ſic erat locutus, occidit: ſed quia erat occiſurus, ſic locutus eſt. Caſus. [Caſus autem qui & ipſe præſtat argumentis locum, ſine dubio eſt ex inſequẽtibus: ſed quadam proprietate diſtinguitur: vt ſi dicã, Melior dux Scipio quàm Hannibal, vicit enim Hannibalem,

Bonus gubernator nunquam fecit naufragium. Bonus agricola magnos ſuſtulit fructus. Et contrà, Sumptuoſus fuit: patrimonium exhauſit, turpiter vixit: vel omnibus inuiſus eſt. [Intuendæ ſunt, præcipuéque in coniecturis, & facultates. Credibilius eſt enim occiſos à pluribus pauciores, à firmioribus imbecilliores, à vigilantibus dormientes, à præparatis inopinantes. Quorum contraria in diuerſum valent. Hæc & in deliberando intuemur, & in iudicijs ad duas res ſolemus referre, an voluerit quis, an potuerit. Nam & voluntatem ſpes facit. Hinc illa apud Ciceronem coniectura: Inſidiatus eſt Clodius Miloni, non Milo Clodio: Ille cum ſeruis robuſtis, hic cum mulierum comitatu: Ille equis, hic in rheda: Ille expeditus, hic penula irretitus. Facultati autem licet inſtrumentum coniungere. Sunt enim in parte facultatis, & copiæ. Sed ex inſtrumẽto aliquando etiam ſigna naſcuntur, vt ſpiculum in corpore inuentum. [His adijcitur modus, quem τρόπον dicunt, quo quæritur, quemadmodum quid ſit factum: ídque tum ad qualitatẽ ſcriptúmq; pertinet, vt ſi negemus adulterum veneno occidiſſe, cum ferro licuiſſet occidere, ſed vel oportuiſſet. tum ad coniecturas quoque, vt ſi dicam bona mente factum, ideóq; palàm: mala, ideóque ex inſidijs, noctu, in ſolitudine. ¶ In rebus autem omnibus de quarũ vi aut natura quæritur, quáſque etiam citra complexum perſonarum, cæterorúmque ex quibus fit cauſa per ſe intueri poſſumus, tria ſine dubio rurſus ſpectãda ſunt: an ſit, quid ſit, quale ſit. Sed quia ſunt quidam loci argumentorum his omnibus communes, diuidi hæc in tria genera non poſſunt. Ideóque locis potius, vt quoſque incurrent, ſubijcienda ſunt. [Ducuntur ergo argumenta ex finitione, ſeu fine: nam vtroque modo traditur. Eius duplex ratio eſt. Aut enim ſimpliciter quæritur, ſit ne hoc virtus: aut antecedente finitione, quid ſit virtus: Id aut in vniuerſum verbis complectimur, vt Rhetorice eſt bene dicendi ſcientia: aut per partes, vt Rhetorice eſt rectè inueniendi, & diſponendi, & eloquẽdi cum firma memoria, & cum dignitate actionis, ſcientia. Præterea finimus aut vi, ſicut ſuperiora: aut ἐτυμολογία, vt aſſiduum ab eſſe dando, & locupletem à locorũ, pecunioſum à pecorum copia. [Finitioni ſubiecta maximè videntur, genus, ſpecies, differens, proprium. Ex his omnibus argumenta ducuntur. Genus ad probandam ſpeciem minimum valet, plurimum ad refellendam. Itaque non quia eſt arbor, platanus eſt: at quod non

Facultas.

Inſtrumẽtũ.

Modus.

LOCI *rerum.*

Finitio, cui quatuor loci ſubijciuntur.

Genus.

eſt arbor, vtique platanus non eſt. Nec quod non eſt virtus, vtique poteſt eſſe iuſtitia. Itaque à genere perueniendum eſt ad vltimã ſpeciem, vt homo eſt animal, non eſt ſatis, id enim genus eſt: Mortale etiã ſi ſpecies eſt, cum alijs tamen communis finitio: Rationale, nihil ſupererit ad demõſtrandũ id quod velis. [Contrà ſpecies firmam probationem habet generis, infirmam refutationem. Nam quod iuſtitia eſt, vtique virtus eſt: quod non eſt iuſtitia, poteſt eſſe virtus, vt ſi eſt fortitudo, continentia, conſtantia. Nunquam itaque tolletur à ſpecie genus, niſi omnes ſpecies, quæ ſunt generi ſubiectæ, remoueãtur: hoc modo, quod neque immortale eſt, neque mortale, animal non eſt [His adijciunt propria, & differentia. Proprijs confirmatur finitio, differẽtibus ſoluitur. Proprium autem eſt, aut quod ſoli accidit, vt homini ſermo, riſus: aut quod vtiq; accidit, ſed non ſoli, vt igni calefacere. Et ſunt eiuſdem rei plura propria, vt ipſius ignis lucere, calere. Itaque quodcunq; proprium deerit, ſoluet finitionem: non vtique quodcunque erit, confirmabit. Sæpiſſimè autem quid ſit proprium cuiuſque, quæritur: vt ſi per ἐτυμολογίαν dicatur, Tyrannicidę propriũ eſt, tyrannum occidere, negemus. Non enim ſi traditum ſibi eum carnifex occiderit, tyrannicida vocatur, nec ſi imprudens, vel inuitus. [Quod autem proprium non erit, differẽs erit: vt aliud eſt ſeruũ eſſe, aliud ſeruire: qualis eſſe in addictis quæſtio ſolet. Qui ſeruus eſt, ſi manumittatur, fit libertinus, non itidẽ addictus: & plura, de quibus alio loco. Illud quoq; differens vocant, cum genere in ſpeciem diducto ſpecies ipſa diſcernitur. Animal genus, mortale ſpecies, terrenum vel bipes, differens. Nõdum enim proprium eſt, ſed iam differt à marino vel quadrupede. Quod non tam ad argumentum pertinet, quàm ad diligentem finitionis comprehenſionem. [Cicero genus & ſpeciem quam eandem formam vocat, à finitione diducit, & ijs quæ ad aliquid ſunt, ſubijcit: vt ſi is, cui omne argentum legatum eſt, petat ſignatum quoque, vtatur genere. At ſi quis cum legatum ſit ei, quæ viro materfamiliâs eſſet, neget deberi ei, quæ in matrimonium non conuenerit, ſpecie: quoniam duæ formæ ſint matrimoniorum. Diuiſione autem adiuuari finitionem docet, eámque differre à partitione: quòd hæc ſit totius in partes, illa generis in formas. Partes incertas eſſe, vt quibus conſtet reſpub. Formas certas, vt quot ſint ſpecies rerũpublicarum. Quas tres

Species.

Proprium.

Differens.

In Topicis Ciceronis ſẽtentia de his locis quibus diuiſionẽ & partitionem adijcit.

accipimus,quæ populi,quæ paucorum,quæ vnius poteſtate regerentur. Et ille quidem non his exemplis vtitur,quia ſcribẽs ad Trebatium,ex iure ea ducere maluit: ego apertiora poſui. Propria vero ad coniecturæ quoque pertinẽt partem: vt proprium eſt boni,rectè facere:iracundi,verbis excandeſcere. Ac contrà quædam in quibuſdã vtique non ſunt, & ratio quamuis ex diuerſo,eadem eſt.[Diuiſio,& ad probãdum ſimili via valet,& ad refellendum. Probanti interim ſatis eſt vnum habere: hoc modo,Vt ſit ciuis quis,aut natus ſit oportet, aut factus. Neganti,vtrumque tollendum eſt,nec natus, nec factus eſt.Fit hoc & multiplex,idque eſt argumentorum genus ex remotione:quo,modò efficitur totum falſum,modò id quod relinquitur,verum. Totum falſum eſt,hoc modo, Pecuniam te credidiſſe dicis: aut habuiſti ipſe, aut ab aliquo accepiſti, aut inueniſti,aut ſurripuiſti.Si neque domi habuiſti,neque ab alio accepiſti,nec cætera,non credidiſti. Reliquum fit verum ſic, Hic ſeruus,quem tibi vendicas,aut verna tuus eſt,aut emptus, aut donatus, aut teſtamento relictus, aut ex hoſte captus, aut alienus:deinde remotis prioribus,ſupererit alienus. Periculoſum,& cum cura intuendũ genus:quia ſi in proponẽdo vnum quodlibet omiſerimus:cum riſu quoque tota res ſoluitur. Tutius quod Cicero pro Cecinna facit,cum interrogat,Si hæc actio non ſit,quæ ſit?Simul enim remouentur omnia. Vel cum duo ponentur inter ſe contraria,quorum tenuiſſe vtrumlibet ſufficiat: quale Ciceronis eſt,Vnum quidem certè,nemo erit tam iniquus Cluentio,qui mihi non concedat, ſi conſtet corruptum illud eſſe iudicium,aut ab Habito, aut ab Oppianico eſſe corruptum:ſi doceo non ab Habito,vinco ab Oppianico: ſi oſtẽdo ab Oppianico,purgo Habitum.Fit etiam ex duobus (quorum neceſſe eſt alterum verum)eligendi aduerſario poteſtas: efficitúrque vt vtrum elegerit, noceat. Facit hoc Cicero pro Oppio, Vtrum cum Cottam appetiſſet,aut cum ipſe ſeſe conaretur occidere,telum ei è manibus ereptũ eſt?Et pro Vareno: Optio vobis datur, vtrum velitis caſu illo itinere Varenum vſum eſſe,an huius perſuaſu & inductu. Deinde vtraque faciat accuſatori contraria. Interim duo ita proponuntur, vt vtrumlibet electum,idem efficiat:quale eſt,Philoſophandum eſt,etiam ſi non eſt philoſophandum. Et illud vulgatum,Quo ſchema,ſi intelligitur?quo,ſi non intelligitur?&,Mentietur in tormentis,qui dolorem pati poteſt:mentietur,qui non poteſt.

Diuiſio, ex qua argumenta ex remotione.

Formæ diſſematum.

Ab initio ad ſummam.

[Vt ſunt autem tria tempora, ita ordo rerum tribus momentis conſertus eſt. Habent enim omnia initium, incrementum, ſummã: vt iurgium, deinde cædes, & ſtrages. Eſt ergo hic quoque argumentorum locus inuicem probãtium. Nam & ex initijs ſumma colligitur: quale eſt, Non poſſum togã prætextam ſperare cum exordium pullum videam: & contra, Non dominationis cauſa Syllam arma ſumpſiſſe, argumẽtum eſt Dictatura depoſita. [Similiter & ex incremento in vtramque partem ducitur rei ratio, cum in coniectura, tum etiam in tractatu æquitatis, an ad initium ſumma referenda ſit, id eſt, an ei cædes imputanda ſit, à quo iurgium cœpit. [Eſt argumentorum locus ex ſimilibus, Si continentia virtus, vtique & abſtinentia. Si fidem debet tutor, & procurator. Hoc eſt ex eo genere, quod & ἐπαγωγὴν Græci vocant, Cicero inductionem. [Ex diſſimilibus, Non ſi lætitia bonum & voluptas: Nõ quod mulieri, idem pupillo. [Ex contrarijs, Frugalitas bonum, luxuria enim malum: Si malorum cauſa bellum eſt, erit emẽdatio pax. Si veniam meretur qui imprudens nocuit, non meretur præmium qui imprudens profuit. [Ex repugnantibus, Qui eſt ſtultus, ſapiens non eſt. [Ex conſequentibus, ſiue adiunctis. Si iuſtitia eſt bonum, rectè iudicandum. Si malum perfidia, non eſt fallendum. Idem retro. Nec ſunt illa his diſſimilia, ideóque huic loco ſubijcienda, cum & ipſa naturaliter congruant, Quod quis non habuit, non perdidit. Quem quis amat, ſciẽs non lædit. Quem quis hæredem ſuum eſſe voluit, charum habuit, habet, habebit. Sed cum ſint indubitata, vim habent penè ſignorum immutabilium. ſed conſequentia dico ἀκόλουθα, eſt enim conſequens ſapientiæ bonitas: illa ſequentia, ἐπακόλουθα quæ poſtea facta ſunt, aut futura. Nec ſum de nominibus anxius, vocet enim vt voluerit quiſq;, dum vis rerum ipſa manifeſta ſit: appareátque hoc temporis, illud eſſe naturæ. Itaque non dubito hæc quoque conſequentia, quamuis ex prioribus dent argumẽtum ad ea quæ ſequuntur. Quorum quidam duas ſpecies eſſe voluerunt: Actionis, vt pro Oppio, Quos educere inuitos in prouinciam non potuit, eòs inuitos retinere qui potuit? Temporis, in Verrem, Si finem Prætoris edicto afferunt Calendæ Ianuarij, cur non initium quoque edicti naſcatur à Calendis Ianuarij? Quod vtrumq; exemplum tale eſt, vt idem in diuerſum, ſi retro agas, valeat. Conſequens eſt enim, eos, qui inuiti duci non potuerunt, inuitos non potuiſſe retineri. Illa

Ab incremento in vtramuis partem.

A ſimilibus.

A diſſimilib⁹

A contrarijs.

A repugnantibus.

A conſequentibus ſiue adiunctis, quorũ variæ ſpecies

Act. 3.

quoque quæ ex rebus mutuam confirmationem præſtantibus ducuntur, quæ proprij generis quidam videri volunt, & vocãt ἐκ τῶν πρός ἄλλα, Cicero ex rebus ſub eandẽ rationem venientibus, fortè conſequẽtibus iunxerim, Si portoriũ Rhodijs locare honeſtum eſt, & Hermacreonti conducere: & quod diſcere honeſtum, & docere. Vnde illa non hac ratione dicta, ſed efficiens idem Domitij Afri ſententia eſt pulchra: Ego accuſaui, vos damnaſtis. Eſt inuicẽ cõſequens, & quod ex diuerſis idem oſtendit, vt qui mundum naſci dicit, per hoc ipſum & deficere ſignificat, quia deficit omne quod naſcitur. [Simillima eſt his argumentatio, qua colligi ſolent ex ijs quæ faciunt, ea quę efficiũtur, aut cõtrà: quod genus à cauſis vocãt. Hæc interim neceſſario fiunt, interim plerunque, ſed non neceſſario. Nam corpus in lumine vtique vmbram facit, & vmbra vbicunque eſt, ibi corpus eſſe oſtendit. Alia ſunt, vt dixi, non neceſſaria, vel vtrinque, vel ex altera parte. Sol colorat, non vtique qui eſt coloratus, à ſole eſt. Iter puluerulẽtum facit, ſed nec omne iter puluerem mouet: nec quiſquis eſt puluerulentus, ex itinere eſt. Quæ vtrinque fiunt talia ſunt: Si ſapientia bonum virum facit, bonus vir eſt vtique ſapiens. Ideóque boni eſt honeſtè facere: mali, turpiter: & qui honeſtè faciunt, boni: qui turpiter, mali rectè iudicantur. At exercitatio plerũque robuſtum corpus facit, ſed non quiſquis eſt robuſtus, exercitatus: nec quiſquis exercitat⁹, robuſtus eſt. Nec quia fortitudo præſtat ne mortem timeamus, quiſquis mortem non timuerit, vir fortis erit exiſtimãdus. Nec ſi capitis dolorem facit, inutilis hominibus ſol eſt. Et hæc ad hortatiuum genus maximè pertinent: Virtus facit laudẽ, ſequenda igitur: voluptas infamiã, fugiẽda igitur. Rectè autẽ monemur, cauſas non vtiq; ab vltimo eſſe repetendas: vt Medea, Vtinãne in nemore Pelio. Quaſi verò id eã fecerit miſerã, aut nocentem, ꝙ illic ceciderit abiegna ad terrã trabes: & Phyloctetа Paridi, Si imperaſſes tibi, ego nunc non eſſem miſer. Quo modo peruenire quò libet, retro cauſas legẽtibus licet. [His illud adijcere ridiculũ putarem, niſi eo Cicero vteretur, quod coniugatũ vocant: vt, Eos qui rem iuſtam faciant, iuſtè facere: quod certe non eget probatione. Quod cõ paſcuum eſt, cõpaſcere licere. Quidam hęc, quæ vel ex cauſis, vel ex efficientibus diximus, alio nomine vocãt ἐκβάσεις, id eſt exitus. Nam nec hic aliud tractatur, quàm quid ex quoque eueniat. [Appoſita vel comparatiua dicuntur, quæ maiora ex mi-

De inuẽtione

Ab efficientib⁹ & effectis ſiue à cauſis.

A coniugatis.

Ex appoſitis ſiue comparatis, vt maiori, minori, pari.

noribus, minora ex maioribus, paria ex paribus probant. Confirmatur coniectura ex maiore, Si quis ſacrilegiũ facit, faciet & furtum. Ex minore, Qui facile ac palàm mẽtitur, peierabit. Ex pari, Qui ob rem iudicandam pecuniam accepit, & ob dicendum falſum teſtimonium accipiet. Iuris confirmatio eſt huiuſmodi: Ex maiore, Si adulterum occidere licet, & loris cædere. Ex minore, Si furem nocturnum occidere licet, quid latronem? Ex pari, Quæ pœna aduerſus interfectorem patris iuſta eſt, eadem aduerſus matris. Quorũ omnium tractatus verſatur in ſyllogiſmis. Illa magis finitionibus, aut qualitatibus proſunt: Si robur corporibus bonum non eſt, minus ſanitas. Si furtum ſcelus, magis ſacrilegium. Si abſtinentia virtus, & continentia. Si mundus prouidentia regitur, adminiſtrãda eſt reſpublica. Si domus ædificari ſine ratione non poteſt, quid agendum in naualium cura & armorum? Ac mihi quidem ſufficeret hoc genus, ſed in ſpecies ſecatur. Nam ex pluribus ad vnũ, & ex vno ad plura (Vnde eſt, quod ſemel, & ſæpius,) & ex parte ad totum: & ex genere ad ſpeciem: & ex eo quod continet, ad id quod continetur: & ex difficilioribus ad faciliora: & ex longè poſitis ad propiora: & ad omnia quæ contra hæc ſunt, eadem ratione argumenta ducuntur. Sunt enim & hæc maiora & minora, aut certe vim ſimilem obtinent: quæ ſi proſequamur, nullus erit ea concidendi modus. Infinita eſt enim rerum comparatio: iucundiora, grauiora, magis neceſſaria, honeſtiora, vtiliora. Sed omittamus plura, ne in eam ipſam quam vito, loquacitatem incidam. Exemplorum quoque ad hæc infinitus eſt numerus: ſed pauciſſima attingam. Ex maiore, pro Cecinna, Quod exercitus armatos mouet, id aduocationem togatorum nõ videbitur mouiſſe? Ex faciliore, in Clodium & Curionem, Ac vide, an facilè fieri tu potueris, cum is factus non ſit, cui tu conceſſiſti? Ex difficiliore, Vide quæſo Tubero, vt qui de meo facto non dubitem, de Ligarij audeam confiteri. Et ibi, An ſperandi Ligario cauſa non ſit, cum mihi apud te locus ſit etiam pro altero deprecandi? Ex minore, pro Cecinna, Itáne vero ſcire eſſe armatos ſat eſt, vt vim factam probes, in manus eorum incidere non eſt ſatis? [Ergo, vt breuiter contraham ſummam, ducuntur argumenta à perſonis, cauſis, locis, tempore (cuius tres partes diximus, præcedens, coniunctum, inſequens) facultatibus, (quibus inſtrumẽtum ſubiecimus) modo, id eſt, vt quicque ſit factum, finitione, genere, ſpecie, differen-

A maiore.

A faciliori.

A difficiliori.

A minori.

Epilogus locorum.

tib⁹,proprijs,remotione,diuiſione,initio,incremẽtis,ſumma, ſimilibus,diſſimilibus,pugnantibus,conſequentibus, efficientibus,effectis,euentis,iugatis,comparatione,quæ in plures diducitur ſpecies.¶Illud adijciendum videtur,duci argumenta non à confeſſis tantum, ſed etiam à fictione, quam Græci κατ' ὑπόθεσιν vocant.Et quidem ex omnibus ijſdem locis, quibus ſuperiora,quia totidẽ ſpecies eſſe poſſunt fictæ,quot veræ.Nam fingere hoc loco,eſt proponere aliquid,quod ſi verum ſit,aut ſoluat quæſtionem,aut adiuuet.Deinde id de quo quæritur,facere illi ſimile.Id quo facilius accipiant iuuenes,nondũ ſcholam egreſſi,primo familiaribus magiſque vſitatis exemplis oſtendam.Lex eſt,Qui parentes non aluerit vinciatur.Non alit quis,& vincula nihilominus recuſat. Vtitur fictione,ſi miles,ſi infans ſit,ſi reipub.cauſa abſit.Et illa contra optionẽ fortium, ſi tyrannidem petat, ſi templorum euerſionem. Plurimúmque ea res virium habet contra ſcriptum.Vtitur his Cicero pro Cecinna,Vnde tu,aut familia,aut procurator tuus: ſi me villicus tuus ſolus deieciſſet, non familia dieciſſet,vt opinor,ſed aliquis de familia. Si verò ne habeas quidem ſeruum præter eum,qui me deiecerit, & alia in eodem libro plurima. Verùm eadem fictio valet & ad qualitates,Si L.Catilina cum ſuo conſilio nefariorum hominum,quos ſecum eduxit,hac de re poſſet iudicare,condemnaret Lucium Murenam.Et ad amplificationem,Si inter cœnam in tuis immanibus illis poculis hoc tibi accidiſſet.Sic,& ſi reſp.vocem haberet.¶Has ferè ſedes accepimus probationum in vniuerſum, quas nec generatim tradere ſat eſt,cum ex qualibet earum innumerabilis argumentorum copia oriatur,neque per ſingulas ſpecies exequi patiatur natura rerum: quod qui ſunt facere conati,duo pariter ſubierunt incommoda,vt & nimium dicerent, nec tamen totum. Vnde plurimi cum in hos inexplicabiles laqueos inciderunt, omnem etiam quem ex ingenio ſuo potuerant habere conatum, velut aſtricti certis legum vinculis perdiderunt, & magiſtrum reſpicientes, naturam ducem ſequi deſierunt. Nam vt per ſe nõ ſufficit ſcire,omnes probationes,aut à perſonis,aut à rebus peti,quia vtrumque in plura diuiditur:ita ex antecedentibus,& iunctis,& inſequentibus trahenda eſſe argumenta qui acceperit,protinus in hoc ſit inſtructus, vt quid in quaque cauſa dicendum ſit,ex his ſciat:præſertim cum plurimæ probationes in ipſo cauſarum complexu reperiantur, ita

Argumenta à fictione.

Epilogus cui ſubtexit argumẽta propria cauſarũ, quæ vocantur ex circunſtãtia.

vt ſint cum alia lite nulla communes: eæque ſunt & potentiſſimæ, & minime obuiæ, quia communibus ex præceptis propria inuenienda ſunt. Hoc genus argumentorum ſanè dicamus ex circunſtantia, quia περίστασιν dicere aliter non poſſumus: vel ex ijs, quæ cuiuſque cauſæ propria ſunt, vt in illo adultero ſacerdote, qui lege qua vnius ſeruandi poteſtatem habebat, ſe ipſe ſeruare voluit, proprium eſt controuerſiæ dicere: Non vnum nocentem ſeruabis, quia te, adultero dimiſſo, adulteram occidere non licebit. Hoc enim argumentum lex facit, quæ prohibet adulteram ſine adultero occidere. Et illa in qua lata eſt lex vt argentarij dimidium ex eo quod debebant, ſoluerent, creditum ſuum totum exigerent. Argẽtarius ab argentario ſolidum petit. Proprium ex materia eſt argumentum creditoris, Idcirco adiectum eſſe in lege, vt argentarius totum exigeret. Aduerſus enim alios non opus fuiſſe lege, cum in omnes præterquam ab argentarijs totum exigendi ius haberet. [Cũ multa autem nouantur in omni genere materiæ, tum præcipuè in his quæſtionibus, quæ ſcripto conſtant, quia vocum eſt in ſingulis ambiguitas frequens, adhuc in coniunctis magis. Et hæc ipſa plurium legum, aliorúmve ſcriptorum, vel congruentium, vel repugnantium complexu varientur neceſſe eſt: cum res rei, aut ius iuris, quaſi ſignum eſt. Nõ debui tibi pecuniam, nunquam me appellaſti, vſuram non accepiſti, vltro à me mutuatus es. Lex eſt, Qui patri proditionis reo non affuerit, exhæres ſit. Negat, niſi ſi pater abſolutus ſit. quid ſigni? quòd lex altera: Proditionis damnatus, cum aduocato exulet. Cicero pro Cluentio, Pub. Popilium, & Tib. Guttam dicit non iudicij corrupti, ſed ambitus eſſe damnatos. Quid ſigni? quòd accuſatores eorũ, qui erãt & ipſi ambitus damnati, è lege ſint poſt hanc victoriam reſtituti. ¶ Nec minus in hoc curæ debet adhiberi, quid proponẽdum, q̃ quomodo ſit quod propoſueris, probandum. Hic omnino vis inuentionis, ſi non maior, certè prior. Nam vt tela ſuperuacua ſunt neſciẽti quid petat: ſic argumenta, niſi præuideris, cui rei adhibenda ſint. Hoc eſt, quod comprehendi arte non poſſit. Ideóque cum plures eadem didicerint, generibus quidem argumentorum ſimilibus vtẽtur: alius tamen alio plura, quibus vtatur, inueniet. Sit exempli gratia propoſita cõtrouerſia, quæ minimè communes cum alijs quæſtiones habet: Cum Thebas euertiſſet Alexander, inuenit tabulas, quibus centum talenta mutuo Theſſalis dediſſe Theba-

Non ſolum argumẽta inuenienda, ſed etiã quod probare poſſis prudenter proponẽdum.

nos cõtinebatur. Has, quia erat vſus commilitio Theſſalorum, donauit his vltro: poſtea reſtituti à Caſſandro, repoſcunt Thebani Theſſalos. Apud Amphictyonas agitur. Centum talenta & credidiſſe eos cõſtat, & non recepiſſe. Lis omnis ex eo quòd Alexander ea Theſſalis donaſſe dicitur, pendet: conſtat quoq; illud, non eſſe his ab Alexandro pecuniam datam. Quæritur ergo an perinde ſit quod datum eſt, ac ſi pecuniam dederit. Quid proderunt argumentorum loci, niſi hæc prius videro, nihil eum egiſſe donãdo, non potuiſſe donare, non donaſſe? Et prima quidẽ actio facilis ac fauorabilis, repetentiũ iure quod vi ſit ablatum. ſed hinc aſpera & vehemens quæſtio exoritur de iure belli dicẽtibus Theſſalis, hoc regna, populos, fines gentium, atque vrbium cõtineri. Inueniendum contrà eſt, quo diſtet hæc cauſa à cæteris, quæ in poteſtatem victoris venirent: nec circa probationẽ res hæret, ſed circa propoſitionem. Dicamus primum in eo, quod in iudicium deduci poteſt, nihil valere ius belli: nec armis erepta niſi armis poſſe retineri. Itaq; vbi illa valeant, non eſſe iudicem: vbi iudex ſit, illa nihil valere. Hoc inueniendum eſt, vt adhiberi poſſit argumẽtum. Ideo captiuos ſi in patriam ſuam redierint, liberos eſſe, quia bello parta non niſi eadem vi poſſideantur. Proprium eſt & illud cauſæ, quòd Amphictyones iudicant: vt alia apud centumuiros, alia apud priuatum iudicem in ijſdem quæſtionibus ratio ſit. Tum ſecũdo gradu, non potuiſſe donari à victore ius, quia id demum ſit eius, quod ipſe teneat: Ius, quod ſit incorporale, apprehendi manu non poſſe. Hoc reperire difficilius, quàm cum inueneris, argumentis adiuuare: vt alia ſit conditio hæredis, alia victoris: quia ad illũ ius, ad hunc res trãſeat. Proprium deinde materiæ, ius publici crediti tranſire ad victorem non potuiſſe, quia quod populus crediderit, omnibus debeatur: & quandiu quilibet vnus ſuperfuerit, eſſe eum totius ſummę creditorem. Thebanos autem non omnes in Alexandri manu fuiſſe. Hoc non extrinſecus probatur, quæ vis eſt argumenti, ſed ipſum per ſe valet. Tertij loci pars prior magis vulgaris: Non in tabulis eſſe ius, ídque multis argumẽtis defendi poteſt. Mens quoq; Alexandri duci debet in dubium, honorarit eos, an deceperit. Illud iam rurſus materiæ proprium, & velut nouæ controuerſiæ, quòd reſtitutione recepiſſe ius, etiam ſi quod amiſerint, Thebani videtur. Hic & quid Caſſander velit quæritur. Sed vel potẽtiſſima apud Amphictyonas æqui tractatio

Monet artis præcepta ſatis non eſſe, ſed prudẽtiã quoq; pro cauſarum varietate adhibendam.

eſt. [Hæc nõ idcirco dico, quòd inutilem horum locorum, ex quibus argumenta ducuntur, cognitionem putem, alioqui nec tradidiſſem: ſed ne, ſi qui cognouerint iſta, ſi cætera negligãt, perfectos ſe protinus atque conſummatos putent: & niſi in cę teris, quæ mox præcipienda ſunt, elaborauerint, mutam quandam ſcientiam ſe conſecutos intelligant. Nec enim artibus editis factum eſt, vt argumenta inueniremus: ſed dicta ſunt omnia antequam præciperentur, mox ea ſcriptores obſeruata, & collecta ediderunt. Cuius rei probatio eſt, quòd exẽplis eorum veteribus vtuntur, & ab Oratoribus illa repetunt: ipſi nullum nouum, & quod dictum non ſit, inueniunt. Artifices ergo illi, qui dixerunt: ſed habenda ijs quoque gratia eſt, per quos labor nobis detractus eſt. Nã quæ priores beneficio ingenij ſingula inuenerũt, nobis & non ſunt requirenda, & nota omnia. Sed non magis hoc ſat eſt, q̃ palæſtram didiciſſe, niſi corpus exercitatione, continentia, cibis, ante omnia natura iuuetur: ſicut cõtrà, ne illa quidem ſatis ſine arte profuerint. Illud quoque ſtudioſi eloquentiæ cogitent, neque omnibus in cauſis ea quę demõſtrauimus, cuncta poſſe reperiri: neq; cum propoſita fuerit materia dicendi, ſcrutãda ſingula, & velut oſtiatim pulſanda, vt ſciant, an ad probandum id quod intendimus, forte reſpondeant, niſi cum diſcunt, & adhuc vſu carent. Infinitam enim faciet ipſa res dicendi tarditatem, ſi ſemper ſit neceſſe, vt tentantes vnumquodque eorum, quod ſit aptum atque conueniens, experiendo noſcamus: Neſcio an etiam impedimento futura ſint, niſi & animi quædam ingenita natura, & ſtudio exercitata velocitas, rectà nos ad ea, quæ conueniunt cauſæ, ferant. Nam vt cantus vocis plurimum iuuat ſociata neruorum concordia, ſi tamen tardior manus, niſi inſpectis dimenſiſque ſingulis, quibus quæque vox fidibus iungenda ſit, dubitet, potius fuerit eſſe contentum eo quod ſimplex canendi natura tulerit: ita huiuſmodi præceptis debet quidem apta eſſe, & citharæ modo intenta ratio doctrinæ, ſed hoc exercitatione multa conſequendum: & quemadmodũ illorum artificum etiam ſi aliò ſpectent, manus tamen ipſa conſuetudine ad graues, acutos, mediósque horum ſonos fertur: ſic oratoris cogitationem nihil moretur hæc varietas argumẽtorum, & copia quaſi offerat ſe & occurrat: & vt literæ ſyllabæque ſcribentiũ cogitationem non exigunt, ſic rationes ſponte quadam ſequantur.

Locos Argumentorum & præcepta artis cognita, perſpecta, & ſẽper in prõptu eſſe debet

¶De exemplis. Cap. XI.

TErtium eſt genus ex ijs,quæ extrinſecus adducũtur in cauſam,Græci vocant παράδειγμα. quo nomine & generaliter vſi ſunt in omni ſimiliũ appoſitione,& ſpecialiter in ijs, quæ rerum geſtarum authoritate nituntur. Noſtri ferè ſimilitudinem vocare maluerunt,quod ab illis παραβολὴ dicitur:hoc alterum exemplum:quãquam & hoc,ſimile eſt:& illud,exemplum.Nos quo facilius propoſitum explicemus,vtrũque παράδειγμα eſſe credamus,& ipſi appellemus exemplũ.Nec vereor:ne videar repugnare Ciceroni,quãquam collationem ſeparet ab exemplo.Nam idem omnem argumentationẽ diuidit in duas partes: inductionẽ,& ratiocinationem: vt plerique Græcorum in παραδείγματα & ἐπιχειρήματα,dixerúntque παράδειγμα ῥητορικὴν ἐπαγωγήν.Nam illa qua plurimum eſt Socrates vſus,hãc habuit viam,cum plura interrogaſſet, quæ fateri aduerſario neceſſe eſſet,nouiſſimè id,de quo quærebatur,inferebat, cui ſimile conceſſiſſet. Id eſt inductio. Hoc in ratiocinatione fieri non poteſt: ſed quod illic interrogatur,hic ferè ſumitur.Sit igitur illa interrogatio talis:Quod eſt pomum generoſiſſimũ,nónne quod optimũ?concederetur. Quis equus generoſiſſimus? nónne qui optimus? & plura in eundem modum. Deinde cuius rei gratia rogatum eſt,quid homo?nónne is generoſiſſimus, qui optimus? fatendum erit. Hoc in teſtium interrogatione valet plurimum , in oratione perpetua diſſimile eſt.etenim ſibi ipſe reſpondet Orator. Quod pomum generoſiſſimum?puto quod optimum:& quis equus?qui velociſſimus: ita hominum,non qui claritate naſcendi, ſed qui virtute maxime excellet.Omnia igitur ex hoc genere ſumpta neceſſe eſt aut ſimilia eſſe,aut diſſimilia,aut cõtraria.Similitudo aſſumitur interim & ad orationis ornatum. Sed illa cum res exiget: nunc ea,quæ ad probationem pertinent,exequar.¶Potentiſſimum autem eſt inter ea quæ ſunt huius generis,quod propriè vocamus exemplum,id eſt rei geſtæ,aut vt geſtæ,vtilis ad perſuadendum id quod intenderis, commemoratio.Intuendum igitur totum ſimile ſit, an ex parte: vt aut omnia ex eo ſumamus,aut quæ vtilia erunt.[Simile eſt,Iure occiſus eſt Saturninus,ſicut Gracchi.[Diſſimile,Brutus occidit liberos proditionem molientes,Manlius virtutem filij morte mulctauit.[Contrarium,Marcellus ornamenta Syracuſanis hoſtibus reſtituit, Verres eadem ſocijs abſtulit.Et probandorũ,& culpandorum

Sub exẽplis cõtinẽtur & ſimilia.

De inuent.1. Inductio Socratica.

EXEMplum proprie dictũ, & quo modo tractãdum.

Act.3.

Simile.

Diſſimile.

Contrarium.

ex his confirmatio eoſdem gradus habet. Etiam in ijs,quæ futura dicemus,vtilis ſimilium admonitio eſt: vt ſi quis dicens Dionyſium idcirco petere cuſtodes ſalutis ſuæ,vt eorum adiutus armis tyrãnidem occupet,hoc referat exemplum, eadem ratione Piſiſtratum ad dominationẽ peruenisſe. [Sed vt ſunt exempla interim tota ſimilia, vt hoc proximũ: ſic interim ex maiorib⁹ ad minora,ex minoribus ad maiora ducũtur.Si propter matrimonia violata vrbes euerſæ ſunt, quid fieri adultero par eſt?Tibicines cum ab vrbe diſceſſiſſent,publicè reuocati ſunt:quanto magis principes ciuitatis viri,& benè de repub. meriti,cum inuidiæ ceſſerint,ab exilio reducendi? Ad exhortationem vero præcipuè valent imparia.Admirabilior in fœmina, quàm in viro virtus. Quare ſi ad fortiter faciendum accendatur aliquis, non tantum afferet momenti Horatius & Torquatus, quantum illa mulier, cuius manu Pyrrhus eſt interfectus: & ad moriendum non tam Cato & Scipio, quàm Lucretia. quod ipſum eſt ex minoribus ad maiora. Singula igitur horum generum ex Cicerone (nam vnde potius?) exempla ponamus. Simile eſt hoc pro Murena, Etenim mihi ipſi accidit,vt cum duobus patricijs, altero improbiſſimo atque audaciſſimo, altero modeſtiſſimo atque optimo viro peterem: ſuperaui tamen dignitate Catilinam, gratia Galbam. Maius minoris pro Milone: Negant intueri lucem fas eſſe ei, qui à ſe hominem occiſum fateatur. In qua tandem vrbe hoc homines ſtultiſſimi diſputant?nempe in ea,quæ primum iudicium de capite vidit M.Horatij fortiſſimi viri,qui nondum libera ciuitate,tamẽ populi Romani comitijs liberatus eſt,cum ſua manu ſororem eſſe interfectam fateretur.Minus maioris: Occidi,occidi non Spurium Meliũ, qui annona leuãda,iacturíſq; rei familiaris, quia nimis amplecti plebem putabatur,in ſuſpicionem incidit regni appetendi,&c.deinde:Sed eum(auderet enim dicere cum patriam periculo ſuo liberaſſet) cuius nefarium adulterium in puluinaribus. & totus in Clodium locus.[Diſſimile plures cauſas habet:fit enim genere,modo,tempore,loco,cæteríſque: per quæ ferè omnia Cicero præiudicia, quæ de Cluẽtio videbãtur facta,ſubuertit.Cõtrario vero exemplo cenſoriam notã laudando Cẽſorem Africanum,qui eum, quem peieraſſe conceptis verbis palàm dixiſſet, teſtimonium etiam pollicitus,ſi quis contradiceret,nullo accuſante traducere equũ paſſus eſſet. Quæ quia erant longiora, non ſuis verbis

Maius.
Minus.
mIparia.
Diſſimiſe & contrarium.

expoſui.Breue autem apud Vergilium contrarij exẽplum eſt: At non ille ſatũ quo te mentiris Achilles, Talis in hoſte fuit Priamo.[Quædam autem ex ijs quæ geſta ſunt,tota narrabimus: vt Cicero pro Milone, Pudicitiam cum eriperet militi Tribunus militaris in exercitu Caij Marij, propinquus eius Imperatoris, interfectus ab eo eſt, cui vim afferebat . Facere enim probus adoleſcẽs periculoſè,quàm perpeti turpiter,maluit:atque hunc ille vir ſummus ſcelere ſolutum periculo liberauit.[Quædam ſignificare ſatis erit,vt idem,ac pro eodem, Neq; enim poſſet aut Hala ille Seruilius, aut P.Naſica,aut L. Opimius,aut C.Marius,aut me Conſule Senatus non nefarius haberi,ſi ſceleratos ciues interfici nefas eſſet.Hæc ita dicẽtur, prout nota erunt, vel vtilitas cauſæ,aut decor poſtulabit.[Eadem ratio eſt eorũ quæ ex poeticis fabulis ducũtur, niſi quòd ijs minus affirmationis adhibetur:cuius vſus qualis eſſe deberet,idem optimus author,ac magiſter eloquẽtiæ oſtẽdit. Nam huius quoq; generis eadem in oratione reperietur exemplum: Itaq; hoc ludices,nõ ſine cauſa etiam fictis fabulis doctiſſimi homines memoriæ prodiderũt,eum qui patris vlciſcendi cauſa matrẽ necauiſſet,variatis hominũ ſententijs,non ſolũ diuina,ſed etiã ſapientiſſimæ deæ ſententia liberatũ.[Illæ quoque fabulæ,quæ etiam ſi ab Aeſopo originẽ non acceperunt(Nam videtur earum primus author Heſiodus) nomine tamen Aeſopi maximè celebrantur,ducere animos ſolent,præcipuè ruſticorum & imperitorum: qui & ſimplicius quæ ficta ſunt audiunt,& capti voluptate,facilè ijs quibus delectantur,conſentiunt.Siquidem & Menenius Agrippa plebem cum patribus in gratiam traditur reduxiſſe,nota illa de membris humanis aduerſus ventrem diſcordantibus fabula.Et Horatius,ne in poemate quidem humilẽ vſum huius generis putauit in illis verſibus:Olim quod vulpes ægroto cauta leoni.αἶνος Græci vocãt, & αἰσωπος ποιήτης,&,vt dixi,λόγος μυθικὸς:noſtrorum quidam non ſanè recepto in vſum nomine apologationem:cui confine eſt παροιμία genus illud,quod eſt velut fabella breuior, & per allegoriam accipitur:Nos noſtrũ,inquit,onus,bos clitellas.¶Proximas exemplo vires habet ſimilitudo, Præcipuéque illa,quæ ducitur citra vllam tranſlationum mixturam ex rebus penè paribus.Vt qui accipere in campo conſueuerunt,ijs candidatis quorum nummos ſuppreſſos eſſe putãt,inimiciſſimi ſolent eſſe:ſic huiuſmodi iudices infeſti tum reo venerant. Nam πρα-

Exẽpla quædã latius,quẽdam ſtrictius adducenda.

Fabuloſa exempla.

Æſopici,apologi & prouerbia.

Epiſt.1.lib.1

SIMILITUDO,*& eius ſpecies.*

ἐολὴ,quam Cicero collationem vocat,longius res,quæ comparantur,repetere ſolet.Nec hominum modò inter ſe opera ſimilia ſpectantur,vt Cicero pro Murena facit:Quòd ſi è portu ſoluentibus, ij qui iam in portum ex alto inuehuntur,prædicere ſummo ſtudio ſolent,& tempeſtatum rationem,& prędonum,& locorũ(quòd natura fert,vt ijs faueamus,qui eadem pericula, quibus nos perfuncti ſumus, ingrediantur) quo me tandem animo eſſe oportet, propè iam ex magna iactatione terram videntem,in hunc,cui video maximas reipub.tempeſtates eſſe ſubeundas? Sed παραβολὴ à mutis atque etiam inanimis interim huiuſmodi ducitur. [Et quoniam ſimilium alia atque alia facies, in tali ratione admonendum eſt, rarius eſſe in oratione illud genus,quod εἰκόνα Græci vocant(in quo exprimitur rerum aut perſonarum imago:vt Caſſius,quis iſtam faciem planipedis ſenis torquens?)quàm id,quo probabilius fit quod intendimus: vt ſi animum dicas excolendum, ſimilitudine vtaris terræ, quæ neglecta ſentes atque dumos, exculta fructus creat: aut ſi ad curam reipublicæ horteris, oſtendas apes etiam,formicáſque non modò muta,ſed etiam parua animalia,in commune tamẽ laborare. Ex hoc genere dictum eſt illud Ciceronis:Vt corpora noſtra ſine mente,ita ciuitas ſine lege ſuis partibus,vt neruis ac ſanguine,& mẽbris vti non poteſt.Sed vt hoc corporis humani pro Cluentio,ita pro Cornelio equorum,pro Archia ſaxorum quoque eſt vſus ſimilitudine.Illa,vt dixi,propiora:Vt remiges ſine gubernatore,ita milites ſine imperatore nihil valere.[Solent tamen fallere ſimilitudinum ſpecies,ideóque adhibendum eſt his iudicium.Neque enim vt nauis vtilior noua quàm vetus, ſic amicitia: vel vt laudanda quæ pecuniam ſuam pluribus largitur,ita quæ formã.Verba ſunt in his ſimilia,largitionis & vetuſtatis: vis quidem longe diuerſa,pecuniæ & amicitiæ. Itaque in hoc genere maxime quæritur,an ſimile ſit quod infertur.Etiam in illis interrogationibus Socratis,quarum paulò antè feci mentionem, cauendum,ne incautè reſpondeas:vt apud Aeſchinem Socraticum malè reſpondit Aſpaſia Xenophontis vxor, quod Cicero his verbis tranſfert,Dic mihi quæſo Xenophontis vxor, ſi vicina tua melius habeat aurũ quàm tu habes,vtrum illius, an tuum malis?illius inquit:Quòd ſi veſtem & cæterum ornatum muliebrem pretij maioris habeat quàm tu habes, tuum an illius malis? illius verò reſpondit. Age,inquit,ſi illa virum

A quibus parabola ducitur.

Pro Cluent.

Similitudo interdũ fallax

meliorem habeat quàm tu habes, vtrúmne tuũ malis, an illius? hic mulier erubuit, & meritò: malè enim reſpõderat, ſe malle alienum aurum quàm ſuum: nam eſt id improbũ. At ſi reſpondiſſet, ſe malle aurum ſuum tale eſſe, quale illud eſſet, potuiſſet pudicè reſpondere: malle ſe virũ ſuum talẽ eſſe, qualis melior eſſet. Scio quoſdã inani diligentia per minutiſſimas partes iſta ſecuiſſe, & aliquid eſſe ſimile minus, vt ſimia homini, & marmora deformata prima manu: aliquid plus, vt illud: Nõ ouum tam ſimile ouo. Et diſſimilibus ineſſe ſimile, vt formicæ & elephanto genus, quia ſunt animalia. Et ſimilibus diſſimile, vt canibus catulos, & matribus hœdos: differunt enim ætate. Contrariorum quoque aliter accipi oppoſita, vt noctem luci: aliter noxia, vt aquam frigidam febri: aliter repugnantia, vt verum falſo: aliter diſparata, vt dura non duris. Sed quid hæc ad præſens propoſitum magnopere pertineant, non reperio. [Illud eſt annotandum magis, argumenta duci ex iure ſimili: vt Cicero in Topicis, Ei cui domus vſus fructus relictus ſit non reſtituturum hæredem, ſi corruerit: quia non reſtituat ſeruum, ſi is deceſſerit. Ex contrario, nihil obſtat quo minus iuſtum matrimonium ſit mente coeuntiũ, etiam ſi tabulæ ſignatæ non fuerint. Nihil enim proderit ſignaſſe tabulas, ſi mentem matrimonij non fuiſſe cõſtabit. Ex diſſimili, quale eſt Ciceronis pro Cecinna: vt, Si quis me exire domo coegiſſet armis, haberẽ actionem: ſi quis intoire prohibuiſſet, nõ haberem? Diſſimilia ſic deprehẽduntur, Non ſi is qui argentũ omne legauit, videri poteſt ſignatã quoq; pecuniã reliquiſſe: ideo etiã quod eſt in nominibus, dari voluiſſe creditur. [Ἀναλογίαν quidã à ſimili ſeparauerũt, nos eam ſubiectã huic generi putamus. Ná vt vnũ ad decẽ, ſic decẽ ad centum, ſimile certè eſt: & vt hoſtis, ſic malus ciuis. Quanq̃ hæc vlterius quoq; procedere ſolẽt. Si turpis Dominæ conſuetudo cum ſeruo, turpis domini cũ ancilla: ſi mutis animalibus finis voluptas, idem homini. Cui rei facillimè occurrit ex diſſimilibus argumẽtatio. Non idem eſt dominũ cum ancilla coiſſe, quod dominã cum ſeruo. Nec ſi mutis finis voluptas, rationabilibus quoq;. Imò ex cõtrario, quia mutis, ideo nõ rationabilib⁹. ¶ Adhibetur extrinſecus in cauſam & authoritas. Hæc ſecuti Græcos à quibus κρίσεις dicuntur, iudicia aut iudicationes vocãt, non de quibus ex cauſa dicta ſententia eſt (nam ea quidem in exẽplorum locum cedunt) ſed ſi quid ita viſum gẽtibus, populis, ſapientibus viris, claris ciuibus, illuſtrib⁹ poe-

Argu. ex iure ſimili, cõtrario, & diſſimili.

In Topicis.

AVTHO *ritas exẽplis adijcitur.*

Iudicia gẽtiũ, ciuitatũ, ſapientum & illuſtriũ virorũ.

SORBONNE BU

tis,referri poteſt. Ne hæc quidem vulgo dicta, & recepta perſuaſione populari ſine vſu fuerint teſtimonia.Sunt enim quodammodo vel potentiora,etiam quòd non cauſis accommodata,ſed liberis odio & gratia mentibus:ideo tantum dicta factáque,quia aut honeſtiſſima aut veriſſima videbãtur.An verò me de incommodis vitæ diſſerẽtem non adiuuabit earũm perſuaſio nationum,quæ fletibus natos,lætitia defunctos proſequuntur? Aut ſi miſericordiam commendabo iudici, nihil proderit quòd prudentiſſima ciuitas Athenienſium,non eam pro affectu,ſed pro numine accepit?Iam illa ſeptem præcepta ſapientum, nónne quaſdam vitæ leges exiſtimamus? Si cauſam veneficij dicat adultera, non Marci Catonis iudicio damnata videatur, qui nullam adulteram non eandem eſſe veneficam dixit? [Iam ſentẽtijs quidem poetarum non orationes modo ſunt refertæ, ſed libri etiam philoſophorum. Qui quanquam inferiora omnia præceptis ſuis ac literis credunt, repetere tamen authoritatem à plurimis verſibus non faſtidierunt. Neque eſt ignobile exemplum,Megareos ab Athenienſibus cum de Salamine contenderent, victos Homeri verſu, qui tamẽ ipſe non in omni editione reperitur, ſignificans Aiacem naues ſuas Athenienſibus iunxiſſe.[Ea quoque quæ vulgo recepta ſunt, hoc ipſo quòd incertum authorem habent, velut omnium fiunt:quale eſt,Vbi amici,ibi opes.&,Cõſcientia mille teſtes. Et apud Ciceronem:Pares autem(vt eſt in vetere prouerbio) cum paribus facillimè congregantur. Neque enim duraſſent hæc in æternum, niſi vera omnibus viderentur.[Ponitur à quibuſdam & quidem in parte prima,deorum authoritas, quæ eſt ex reſponſis: vt Socratem eſſe ſapientiſſimum.Id rarum eſt:tamen vtitur eo Cicero in libro de aruſpicum reſponſis.Et in concione contra Catilinam cum ſignum Iouis columnæ impoſitum populo oſtendit: Et pro Ligario, cum cauſam Caij Cæſaris meliorem, quia dij hoc iudicauerint,confitetur.Quæ cum propria cauſæ ſunt,diuina teſtimonia vocantur:cum aliunde accerſuntur,argumẽta. [Nonnunquam cõtingit iudicis quoq;,aut aduerſarij,aut eius qui ex diuerſo agit,dictum aliquod aut factum aſſumere ad eorũ, quæ intendimus,fidem. Propter quod fuerunt qui exẽpla & has authoritates,probationũ inartificialium eſſe arbitrarentur,quòd ea non inueniret orator,ſed acciperet. Plurimũ autem refert. Nam teſtis,& quæſtio, & his ſimilia,de ipſa re, quæ in iudicio

Poetarũ ſententiæ.

Vulgo recepta.

Diuina authoritas.

Aduerſarij vel iudicis dictum factúm ve.

eſt,pronũciant. Extra petita,niſi ad aliquam præſentis diſceptationis vtilitatem ingenio applicantur, nihil per ſe valent.

¶De vſu argumentorum. Cap.XII.

HAec ferè de probatione, vel ab alijs tradita, vel vſu percepta in hoc tẽpus ſciebam.Nec mihi fiducia eſt, vt ea ſola eſſe contendam,quinimmò hortor ad quærendum, & inueniri poſſe fateor: quæ tamen adiecta fuerint, non multum ab his abhorrebunt.Nunc breuiter quemadmodum ſit vtendum his, ſubiungam. [Traditum ferè eſt, argumentum oportere eſſe confeſſum.Dubijs enim probari dubia qui poſſunt? [Quædam tamen, quæ in alterius rei probationem ducimus,ipſa probãda ſunt. Occidiſti virum, eras enim adultera.Prius de adulterio conuincendũ eſt,vt cum id cœperit eſſe pro certo, fiat incerti argumentũ. Spiculum tuum in corpore occiſi inuentũ eſt.Negat ſuum.Vt probationi proſit, probandum eſt. [Illud hoc loco monere inter neceſſaria eſt, nulla eſſe firmiora, q̃ quæ ex dubijs facta ſunt certa. Cædes à te commiſſa eſt,cruentam enim veſtem habuiſti.Non eſt tam graue argumentum ſi fatetur,quàm ſi conuincitur.Nam ſi fatetur, multis ex cauſis potuit cruenta eſſe veſtis. Si negat,hic cauſæ cardinem ponit: in quo ſi victus fuerit,etiam in ſequẽtibus ruit.Non enim videtur in negãdo mentiturus fuiſſe,niſi deſperaſſet id poſſe defendi, ſi confiteretur. [Firmiſſimis argumentorum,ſingulis inſtandũ,infirmiora cõgreganda ſunt, quia illa per ſe fortia non oportet circũſtantibus obſcurare,vt qualia ſunt appareant: hæc imbecilla natura, mutuo auxilio ſuſtinentur.Itaque ſi non poſſunt valere quia magna non ſunt, valebunt quia multa ſunt,quæ ad eiuſdem rei probationẽ omnia ſpectant.Vt ſi quis hæreditatis gratia hominem occidiſſe dicatur: Hæreditatem ſperabas, & magnam hæreditatem, & pauper eras,& tũ maximè à creditoribus appellabaris,& offenderas eum,cuius hæres eras,& mutaturũ tabulas ſciebas. Singula leuia ſunt & communia, vniuerſa verò nocent: etiam ſi non vt fulmine,tamen vt grandine. [Quædã argumenta ponere ſatis nõ eſt,adiuuanda ſunt: vt ſi cupiditas cauſa ſceleris fuit,quæ ſit vis eius:ſin ira,quantum efficiat in animis hominum talis affectio.Ita & firmiora erunt ipſa, & plus habebunt decoris,ſi nõ nudos,& velut carne ſpoliatos artus oſtenderint. [Multum etiam refert ſi argumento nitemur odij,vtrum hoc ex inuidia ſit, an ex iniuria,an ex ambitu: vetus an nouum:

1 2 3 4 5 6

aduerſus inferiorẽ,parem,an ſuperiorem:alienum an propinquum. Suos habent omnia iſta tractatus, & ad vtilitatẽ partis
7 eius quam tuemur,referenda ſunt. [Nec tamẽ omnibus ſemper quæ inuenerimus, argumentis onerandus eſt iudex, quia & tædium afferũt,& fidem detrahunt.Neq; enim poteſt iudex credere ſatis eſſe ea potentia, quæ non putamus ipſi ſufficere,
8 qui dicimus. [In rebus verò apertis argumentari tam ſit ſtul-
9 tum, quàm in clariſſimum ſolẽ mortale lumen inferre. [His quidam probationes adijciunt,quas παθητικὰς vocant, ductas ex affectibus.Atquę Ariſtoteles quidem putat potentiſſimum ex eo qui dicit,ſi ſit vir optimus: quod vt optimum eſt,ita lõge quidem, ſed ſequitur tamen,videri. Inde enim illa nobilis Scauri defenſio, Quintus Varius Sucronenſis ait, Aemilium Scaurum rempublicam populi Romani prodidiſſe: Aemilius Scaurus negat. Cui ſimile quiddam feciſſe Iphicrates dicitur, qui cum Ariſtophontem, quo accuſante ſimilis criminis reus erat, interrogaſſet, an is accepta pecunia naues proditurus eſſet, iſque id negaſſet: Quod igitur,inquit,tu non feciſſes, ego
10 feci? [Intuendum autem, & qui ſit apud quem dicimus, & id quod illi maximè probabile videatur, requirendum. Qua de
11 re locuti ſumus,& in prooemij,& in ſuaſoriæ præceptis.[Altera ex aſſeueratione probatio eſt. Ego hoc feci,tu mihi hoc dixiſti.Et, ò facinus indignũ, & ſimilia.Quæ non debent deeſſe quidem orationi,& ſi deſunt multum nocent:non tamen habenda ſunt inter magna præſidia, cum hoc in eadem cauſa
12 fieri ex vtraque parte ſimiliter poſſit. [Illæ firmiores ex ſua cuiuſque perſona probationes,quæ credibilem rationẽ ſubiectam habent: vt vulneratus, aut filio orbatus nõ fuerit alium accuſaturus quàm nocentẽ,quando ſi negotium innocenti facit, liberet eum noxa qui admiſerit. Hinc & patres aduerſus liberos,& aduerſus ſuos quiſque neceſſarios authoritatem petunt. ¶Quæſitũ etiam,potentiſſima argumenta primo ne ponenda ſint loco, vt occupent animos:an ſummo, vt inde dimittant: an partita primo ſummóque, vt Homerica diſpoſitione,in medio ſint infirma:an à minimis creſcãt.Quę prout ratio cauſæ cuiuſq; poſtulabit, ordinabuntur: vno(vt ego cenſeo)excepto,ne à potentiſſimis ad leuiſſima decreſcat oratio. ¶Ego hæc breuiter demonſtraſſe cõtentus ita poſui, vt locos ipſos,& genera quàm poſſem apertiſſimè oſtenderẽ.Quidam executi ſunt verboſius, quibus placuit propoſita locorum cõ-

Probationes patheticæ.

Diſpoſitio argumẽtorum.

Reddit rationem breuitatis ſuæ.

munium materia, quō quæque res modo dici poſſet oſtendere. Sed mihi ſuperuacuum videbatur. Nam & ferè apparet quid in inuidiam, quid in auaritiam, quid in teſtem inimicū, quid pro teſte amico dicendū ſit. Et de omnibus his omnia dicere infinitum eſt, tam Hercule, quàm ſi cōtrouerſiarum, quę ſunt, quæque futuræ ſunt, quæſtiones, argumenta, ſententias tradere velim. Ipſas autem argumentorū velut ſedes, non me quidem omnes oſtendiſſe cōfido, plurimas tamen. Quod eò diligentius faciendū fuit, quia declamationes quibus ad pugnā forenſem velut prępilatis exerceri ſolebamus, olim iam ab illa vera imagine orandi receſſerunt, atque ad ſolam compoſitæ voluptatem neruis carent, non alio mediuſſidius vitio dicentium, quàm quo mancipiorum negotiatores formæ puerorum virilitate exciſa lenocinantur. Nam vt illi robur ac lacertos barbámque ante omnia, & alia quæ natura propria maribus dedit parum exiſtimant decora: quæque fortia, ſi liceret, forent, vt dura molliūt: ita nos habitum orationis ipſum virilē, & illam vim ſtrictè robuſtéque dicendi, tenera quadam elocutionis cute operimus: & dum lęuia ſint ac nitida, quantū valeant nihil intereſſe arbitramur. Sed mihi naturam intuenti nemo non vir ſpadone formoſior erit. Nec tam auerſa vnquā videbitur ab opere ſuo prouidentia, vt debilitas inter optima inuenta ſit. Nec id ferro ſpecioſum fieri putabo, quod ſi naſceretur, monſtrum erat. Libidinē iuuet ipſum effœminati ſexus mendacium, nunquam tamen hoc continget malis moribus regum, vt ſi qua precioſa fecit, fecerit & bona. Quapropter eloquentiam licet hanc (vt ſentio enim dicam) libidinoſam reſupina voluptate auditoria probent, nullam eſſe exiſtimabo, quæ ne minimum quidem in ſe indicium maſculini & incorrupti, ne dicam grauis & ſancti viri, oſtēdet. An vero ſtatuarū artifices pictoréſque clariſſimi, cum corpora quàm ſpecioſiſſima fingendo pingendóve effingere cuperent, nunquam tamē in hunc inciderūt errorem, vt Bagoam, aut Megabyzum aliquem in exemplum operis aſſumerent ſibi, ſed Doryphoron illum, aptum vel militiæ, vel palæſtræ, quo aliorum quoque iuuenum bellicoſorum, & athletarū corpora decorare exiſtimauerunt: nos qui Oratorem ſtudemus effingere, non arma, ſed tympana eloquentiæ demus? Igitur & ille quem inſtituimus, adoleſcens, quàm maximè poteſt, componat ſe ad imitationem veritatis, initurúſque frequēter forenſium certaminū

& ſocorū vtilitatem commendat.

Reprehendit declamatores qui voluptati ſtudentes robur argumentorum negligant.

vere decora.

pugnam,iam in ſchola victoriam ſpectet, & ferire vitalia ac tueri ſciat:& præceptor id maximè exigat,& inuentum præcipuè probet.Nam vt ad peiora iuuenes laude ducuntur,ita laudari in bonis gaudẽt.Nunc illud mali eſt,q̃ neceſſaria plerũq; ſilentio tranſeunt,nec in dicendo videtur inter bona vtilitas. Sed hæc & in alio nobis tractata ſunt opere,& in hoc ſæpè repetenda.Nunc ad ordinem inceptum reuertamur.

¶De refutatione. Cap.XIII.

REfutatio dupliciter accipi poteſt. Nam & pars defenſoris tota eſt poſita in refutatione,& quę dicta ſunt ex diuerſo,debent vtrinq; diſſolui:& hæc eſt propriè cui in cauſis quartus aſſignatur locus.Sed vtriuſq; ſimilis cõditio eſt. Neque vero ex alijs locis ratio argumentorũ in hac parte peti poteſt,quàm in cõfirmatione:nec locorum aut ſententiarum,aut verborũ,& figurarum alia conditio eſt. Affectus plerũque hæc pars mitiores habet. [Non ſine cauſa tamen difficilius ſemper eſt creditum(quod Cicero ſæpẽ teſtatur)defendere q̃ accuſare. Primũ quòd eſt res illa ſimplicior. Proponitur enim vno modo,variè diſſoluitur,cum accuſatori ſatis ſit plerũque verum eſſe id,quod obiecerit.Patronus neget,defendat, tranſferat,excuſet, deprecetur,molliat, minuat, auertat, deſpiciat,derideat. Quare indirecta ferè,atq;(vt ſic dixerim) clamoſa eſt actio Hinc mille flexus & artes deſiderãtur.Tum accuſator præmeditata pleraq; domo affert : patronus etiam inopinatis frequenter occurrit. Accuſator dat teſtem, patronus ex re ipſa refellit. Accuſator criminum inuidia, etſi falſa ſit, materiam dicẽdi trahit,de parricidio,ſacrilegio,maieſtate: quę patrono tantum neganda ſunt.Ideóq; accuſationibus etiã mediocres in dicendo ſuffecerunt: bonus defenſor nemo niſi qui eloquẽtiſſimus fuit.Nam vt quod ſentio ſemel finiã,tanto eſt accuſare quàm defendere,quanto facere q̃ ſanare vulnera, facilius. ¶Plurimum autem refert,& quid protulerit aduerſarius,& quomodo. Primũ igitur intuendũ eſt id,cui reſpõſuri ſumus proprium ſit eius iudicij,an ad cauſam extrà accerſitũ. Nam ſi eſt proprium, aut negandum, aut defendendum, aut tranſferendum:extra hæc in iudicijs ferè nihil eſt. [Deprecatio quidem,quæ eſt ſine vlla ſpecie defenſionis, rara admodũ, & apud eos ſolos iudices,qui nulla certa forma pronunciandi tenentur : quanquã illæ quoq; apud Caium Cæſarẽ,& Triũuiros,pro diuerſarũ partium hominibus actiones,etiam ſi preci-

Refutare difficilius quàm obijcere.

IN REfutando duo intuẽda,quid & quomodo obiectum: Vbi,& quomodo deprecandum.

bus vtuntur,adhibent tamẽ patrocinia.niſi hoc non fortiſſimè defendẽtis eſt,dicere:Quid aliud egimus Tubero,niſi vt quod hic poteſt, nos poſſemus? Quòd ſiquando apud Principem, aliúmve,cui vtrũ velit liceat,dicemus: dicendũ erit, Dignum quidẽ morte eum pro quo loquemur,clementia tamẽ ſeruandum eſſe vel talem.Primum omnium non erit nobis res cum aduerſario,ſed cum iudice: deinde forma deliberatiuæ magis materiæ, quàm iudicialis vtemur. Suadebimus enim vt laudẽ humanitatis potius,q̃ voluptatem vltionis concupiſcat. Apud iudices quidem ſecundum leges dicturos ſententiam, de confeſſis præcipere ridiculum eſt.[Ergo quæ neque negari,neque tranſferri poſſunt,vtique defendenda ſunt,qualiacunque ſint, aut cauſa cadendum.Negãdi duplicem oſtendimus formam: aut non eſſe factum,aut non hoc eſſe,quod factum ſit. [Quæ neque defendi,neque tranſferri poſſunt, vtique neganda: nec ſolum ſi finitio poteſt eſſe pro nobis, ſed etiã ſi nuda inficiatio ſupereſt.Teſtes erunt: multa in eos dicere licet. Chirographũ: de ſimilitudine literarum differendum.Vtique nihil erit peius quàm confeſſio.[Vltima eſt actionis cõtrouerſia,cum defendendi negandíve non eſt locus,tranſlatio.[Atqui quædã ſunt, quæ nec negari,nec defendi,nec tranſferri poſſunt.Adulterij rea eſt quę cum anno vidua fuiſſet,enixa eſt,lis nõ erit.Quare illud ſtultiſſimè præcipitur, quod defendi non poſſit, ſilentio diſſimulandũ,ſi quidem eſt id de quo iudex pronũciaturus eſt. At ſi extra cauſam ſit adductũ,& tamen coniunctum, malim quidem dicere,nihil id ad quæſtionẽ,nec eſſe in his morandũ, & minus eſſe quàm aduerſarius dicit : tamen velut huic ſimulationi obliuionis ignoſcam.Debet enim bonus aduocatus pro rei ſalute breuẽ negligentiæ reprehenſionẽ non pertimeſcere. ¶Videndũ etiam, an ſimul nobis plura aggredienda,an amolienda ſingula.[Plura ſimul inuadimus,ſi aut tã infirma ſunt, vt pariter impelli poſſint:aut tam moleſta,vt pedem conferre cum ſingulis non expediat.Tum enim toto corpore enitendũ, & vt ſic dixerim, directa fronte pugnandum eſt. [Interim ſi reſoluere ex parte diuerſa dicta difficilius erit,noſtra argumẽta cum aduerſariorũ argumentis conferemus,ſi modò hoc,vt valentiora videantur,effici poterit.[Quæ vero turba valebũt, diducenda erunt,quod paulo antè dixi: Eras hæres,& pauper, & magna pecunia appellabaris à creditoribus,& offenderas,& mutaturum tabulas teſtamenti ſciebas.Vrgent vniuerſa.At ſi

Quæ defendenda.

Quæ negãda.

Quæ tranſferenda.

Quædam ſitem non habent.

Plura ſimul an ſingula depellenda.

ſingula quæq; diſſolueris, iam illa flãma, quæ magna congerie conualuerat, diductis quibus alebatur, concidet. Vt ſi vel maxima flumina in riuos diducantur, qualibet tranſitũ præbent. [Itaque propoſitio quoq; ſecundũ hanc vtilitatem accõmodabitur, vt ea nunc ſingula oſtendamus, nunc cõplectamur vniuerſa. Nam interim quod pluribus collegit aduerſarius, ſatis eſt ſemel proponere: vt ſi multas cauſas faciendi quod arguit, reo dicet accuſator fuiſſe, nos non enumeratis ſingulis, ſemel hoc intuendum negemus: quia non quiſquis cauſam faciendi ſceleris habuit, & fecerit. Sæpius tamen accuſatori congerere argumenta, reo diſſoluere, expediet. ¶Id autem quod erit ab aduerſario dictum, quomodo refutari debeat, intuendum eſt. [Nam ſi erit palàm falſum, negare ſatis eſt: vt pro Cluentio Cicero, eum quem dixerat accuſator epoto poculo cõcidiſſe, negat eodem die mortuum. [Palàm etiam contraria, & ſuperuacua, & ſtulta reprehendere nullius eſt artis. Ideóque nec rationes eorũ, nec exempla tradere neceſſe eſt. Id quoq; (obſcurum vocant) quod ſecreto, & ſine teſte aut argumento dicitur factum, ſatis natura ſua infirmũ eſt. Sufficit enim quòd aduerſarius non probat. [Item ſi ad cauſam nõ pertinet. [Eſt tamẽ interim oratoris efficere, vt quid aut contrariũ eſſe, aut à cauſa diuerſum, aut incredibile, aut ſuperuacuum, aut noſtræ potius cauſæ videatur eſſe coniunctũ. Obijcitur Oppio, q̃ de militũ cibarijs detraxerit: aſperum crimen, ſed contrarium oſtendit Cicero, quia ijdẽ accuſatores obiecerunt Oppio, q̃ is voluerit largiendo corrũpere exercitum. Teſtes in Corneliũ accuſator lecti à Tribuno codicis pollicetur: facit hoc Cicero ſuperuacuum, quia ipſe fateatur. Petit accuſationẽ in Verrẽ Quintus Cæcilius, q̃ fuerat Quæſtor eius: ipſum Cicero vt pro ſe videretur, efficit. [Cætera quæ proponuntur, communes locos habent. Aut enim coniectura excutiuntur, an vera ſint: aut finitione, an propria: aut qualitate, an inhoneſta, iniqua, improba, inhumana, crudelia, & cætera quę ei generi accidũt. Eáque nõ modo in propoſitionibus aut rationibus, ſed in toto genere actionis intuenda. An ſit crudelis, vt Labieni in Rabirium lege perduellionis. Inhumana, vt Tuberonis Ligarium exulem accuſantis, atque id agentis, ne ei Cæſar ignoſcat. Superba, vt in Oppiũ ex epiſtola Cottæ reum factum. Proinde præcipites, inſidioſæ, impotẽtes deprehendũtur. Ex quibus tamẽ fortiſſimè inuaſeris, quod eſt aut omnibus periculoſum, vt dicit Cicero

Quomodo quod obiectũ eſt, refutandũ, vt
Falſum palã
Contrarium
Superuacuũ
Stultum
Obſcurum
Extraneum
Verũ an ſit.
Quid ſit.
Quale ſit.
Simile.
Exemplum
Exemplum.
Iudicatum.

Loci communes.

pro Tullio: Quis hoc ſtatuit vnquã, aut cui cõcedi ſine ſummo omnium periculo poteſt, vt eum iure potuerit occidere, à quo metuiſſe ſe dicat, ne ipſe poſterius occideretur? Aut ipſis iudicibus, vt pro Oppio monet pluribus, ne illud actionis genus in equeſtrem ordinẽ admittant. [Nonnunquã tamen quædam benè contemnuntur, vel tanquã leuia, vel tanquã ad cauſam nihil pertinentia. Multis hoc locis facit Cicero. Sed hæc ſimulatio interim hucuſq; procedit, vt quæ dicendo refutare non poſſumus, quaſi faſtidiendo calcemus. [Quoniam verò maxima pars eorum ſimilibus conſtat, rimandũ erit diligentiſſimè, quid ſit in quoq; quod aſſumitur diſſimile: id in iure facilè deprehenditur. Eſt enim ſcriptum de rebus vtiq; diuerſis, tantóq; magis ipſa rerum differentia poteſt eſſe manifeſta. Illas verò ſimilitudines, quæ ducũtur ex mutis animalibus aut inanimis, facilè eſt eludere. [Exempla rerum variè tractanda ſunt ſi nocebunt: quæ ſi dubia erunt, fabuloſa dicere licebit: ſin vera, maximè quidẽ diſſimilia. Neq; enim fieri poteſt vt paria ſint omnia: vt ſi Naſica poſt occiſum Gracchũ defendatur exemplo Halæ, à quo Melius eſt interfectus: Melium regni affectatorẽ fuiſſe: à Graccho leges modò latas eſſe populares: Halam magiſtrũ equitum fuiſſe: Naſicam priuatum eſſe dicatur. ſi defecerint omnia, tum videndũ erit an obtineri poſſit, ne illud quidem rectè factum. [Quod de exemplis, idem etiam de iudicatis obſeruandũ. ¶ Quod autem poſui, referre quo quicq; accuſator modo dixerit, huc pertinet, vt ſi eſt minus efficaciter locutus, ipſa eius verba ponãtur: ſi acri & vehementi vſus fuerit oratione, eandẽ rem noſtris verbis mitioribus proferamus: vt Cicero pro Cornelio, Codicem attigit: & protinus cum quadã defenſione, vt ſi pro luxurioſo dicendũ ſit, Obiecta eſt paulò liberalior vita. Sic & pro ſordido parcum, & pro maledico liberũ dicere licebit. Vtique nunquã committendũ eſt, vt aduerſariorum dictum cum ſua confirmatione referamus, aut etiam loci alicuius executione adiuuemus, niſi cum eludẽda. Apud exercitum mihi fueris, inquit, tot annis forum non attigeris, abfueris tandiu, & cum tam longo interuallo veneris, cum ijs qui in foro habitarũt, de dignitate contendas. Præterea in contradictionibus, interim totum crimen exponitur, vt Cicero pro Scauro contra Boſtarem facit, velut orationem diuerſæ partis imitatus. Aut pluribus propoſitionibus iunctis, vt pro Vareno, Cum iter per agros, & loca ſola faceret, cum

Quædã contemnenda.

CONTRA*dictiões quomodo tractãdæ, in quibus ſpectanda & aduerſarij verba.*

Populeno in familiã Anchariana incidiſſe dixerũt: deinde Populenum occiſum eſſe: illico Varenum vinctum, adſeruatum, dum hic oſtẽderet, quid de eo fieri vellet. Quod eſt vtiq; faciendum, ſi erit incredibilis rei ordo, & ipſa expoſitione fidem perditurus. [Interim per partes diſſoluitur, quod cõtextu nocet: & plerũque id eſt tutius. [Quædã contradictiones natura ſunt ſingulæ. Id exemplis non eget. [Cõmunia bene apprehenduntur, non tantũ quia vtriuſque ſunt partis, ſed quia plus proſunt reſpõdenti. Neque enim pigebit, quod ſæpè monui, referre. Cõmune qui prior dicit, contrariũ facit. Eſt enim contrarium quo aduerſarius bene vti poteſt. At enim nõ veriſimile eſt tantũ ſcelus M. Cottam eſſe cõmentum. Quid? hoc veriſimile eſt, tantum ſcelus Oppium eſſe conatũ? [Artificis autem eſt inuenire in actione aduerſarij, quæ inter ſemetipſa pugnent, aut pugnare videantur, quæ aliquando ex rebus ipſis manifeſta ſunt: vt in cauſa Cæliana, Clodia aurum ſe Cælio commodaſſe dicit, quod ſignum magnæ familiaritatis eſt: venenum ſibi paratũ, quod ſummi odij argumentũ eſt. Tubero Ligarium accuſat, quòd is in Aphrica fuerit: & queritur quòd ab eo ipſe in Aphricam nõ ſit admiſſus. Aliquando vero præbet eius rei occaſionem minus conſiderata ex aduerſo dicentis oratio: quod accidit præcipuè cupidis ſententiarũ, vt ducti occaſione dicendi nõ reſpiciant quid dixerint, dum locũ præſentem, non totam cauſam intuentur. Quid tam videri poteſt contra Cluentiũ quàm cenſoria nota? Quid tam cõtra eundẽ, quàm filiũ ab Egnatio corrupti iudicij, quo Cluentius Oppianicum circumueniſſet, crimine exhæredatum? At hæc Cicero pugnare inuicem oſtendit. Sed tu Acci conſideres, cenſeo, diligenter, vtrũ Cenſorium iudiciũ graue velis eſſe, an Egnatij: ſi Egnatij, leue eſt quod Cenſores de cæteris ſubſcripſerunt. Ipſum enim Egnatium, quẽ tu grauẽ eſſe vis, ex Senatu eiecerunt. Sin autem Cenſoriũ, hunc Egnatium, quẽ pater Cenſoria ſubſcriptione exhæredauit, Cenſores in Senatu, cum patrem eieciſſent, retinuerũt. Illa magis vitioſè dicuntur, quàm acutè reprehenduntur: argumentũ dubium pro neceſſario, controuerſum pro confeſſo, cõmune pluribus pro proprio, vulgare, ſuperuacuum, ſerius conſtitutum, contra fidem. [Nam & illa accidunt parum cautis, vt crimen augeant, quod probandum eſt: de facto diſputent, cum de authore quæratur: impoſſibilia

Communia optime refutantur.

Cõtraria vbi non ſunt in actione inuenienda.

Vitia in reſpondendo.

aggrediãtur, pro effectis relinquant vixdum inchoata: de homine dicere quàm de cauſa malint: hominũ vitam rebus aſſignent: vt ſi quis Decemuiratum accuſet, non Appium, manifeſtis repugnent, dicant quod aliter accipi poſſit, ſummã quæſtionis non intueantur, non ad propoſita reſpondeant. Quod vnum aliquando recipi poteſt, cum mala cauſa adhibitis extrinſecus remedijs tuenda eſt, vt cum peculatus reus Verres fortiter & induſtriè tutatus contra piratas Siciliam dicitur.

¶ Eadem aduerſus contradictiones nobis oppoſitas præcepta ſunt. Hoc tamen amplius, quòd circa eas multi duobus vitijs diuerſis laborant. [Nam quidam etiam in foro tanquam moleſtam rem & odioſam prætereunt, & ijs plerũque, quæ compoſita domo attulerunt, contenti ſine aduerſario dicunt: etſi licet multo magis in ſcholis, in quibus non ſolum contradictiones omittuntur, verum etiam ipſæ materiæ ſic plerumque finguntur, vt nihil dici pro altera parte poſſit. [Alij diligentia lapſi, verbis etiam vel ſententiolis omnibus reſpondendũ putant: quod eſt & infinitum & ſuperuacuũ. Non enim cauſa reprehenditur, ſed actor: quem ego ſemper videri malim ſic diſertum, vt ſi dixerit quod rei profuerit, ingenij credatur laus eſſe, non cauſæ: ſiquando forte non lædat, cauſæ non ingenij culpa. Itaque illæ reprehenſiones, aut obſcuritatis, qualis in Rullum: aut infantiæ in dicendo, qualis in Piſonem: aut inſcitiæ rerum verborúmque, & inſulſitatis etiam, qualis in Antonium eſt, accommodantur iuſtis odijs, ſúntque vtiles ad conciliandum ijs, quos inuiſos facere volueris, odium. [Alia reſpondendi patronis ratio, & aliquando tamen eorum non oratio modò, ſed vita etiam, vultus denique, inceſſus, habitus, rectè incuſari ſolet: Vt aduerſus Quintium Cicero, non hæc ſolum, ſed ipſam etiam prætextam demiſſam ad talos inſectatus eſt. Preſſerat enim turbulentis concionibus Cluentium Quintius. Nonnunquam eleuandæ inuidiæ gratia, quæ aſperius dicta ſunt, eluduntur: vt à Cicerone Triarius. Nam cum Scauri colũnas per vrbem plauſtris vectas eſſe dixit: Ego porrò, inquit, qui Albanas habeo colũnas, clitellis eas apportaui. Et magis hoc in accuſatores conceſſum eſt, quibus cõuiciari aliquãdo patrocinij fides cogit. [Illa verò aduerſus omnes & recepta, & non inhumana conqueſtio, ſi callidè quid tacuiſſe, breuiaſſe, obſcuraſſe, diſtuliſſe dicuntur. [Defenſionis quoque permutatio reprehenditur ſæpè, vt facit Accius aduer-

De oppoſitis nobis contradictionibus.

Rutilium.

ſus Cluentium, Aeſchines aduerſus Cteſiphontem : cum ille Ciceronem lege vſurum modo, hic minimè de lege dicturum Demoſthenem queritur. [Declamatores vero in primis ſunt admonendi, ne contradictiones eas ponant, quibus facillimè reſponderi poſſit: neu ſibi ſtultum aduerſarium fingant. Facimus autem, quòd maximè vberes loci, popularéſq; ſententiæ naſcuntur, materiam dicendi nobis quò volumus ducentibus: vt non ſit inutilis ille verſus, Non malè reſpondit, malè enim prior ille rogarat. Fallet hæc nos in foro conſuetudo, vbi aduerſario, non ipſi nobis reſpondebimus. Aiunt Accium interrogatum, cur cauſas non ageret, cum apud eum in tragœdijs tanta vis eſſet optimè reſpõdendi, hanc reddidiſſe rationem, quòd illic ea dicerentur, quæ ipſe vellet: in foro eſſent dicturi aduerſarij, quæ minimè vellet. Ridiculum eſt ergo in exercitationibus, quæ foro præparantur, prius cogitare quid reſponderi, quàm quid ex diuerſo dici poſſit. Et bonus præceptor non minus diſcipulum laudare debet, ſi quid pro diuerſa, quàm ſi quid pro ſua parte acriter excogitauit. Rurſus aliquid in ſcholis permittendum ſemper, in foro rarò. Nam loco à petitore primo contradictione vti quî poſſumus, vbi vera res agitur, cum aduerſarius adhuc nihil dixerit? Incidunt tamen plerique in hoc vitium, vel conſuetudine declamatoria, vel etiam cupiditate dicendi: dántque de ſe reſpondentibus venuſtiſſimos luſus, cùm modò ſe verò nihil dixiſſe, nec tam ſtultè dicturos: modò benè admonitos ab aduerſario, & agere gratias, quòd adiuti ſint, iocantur. Frequentiſſimè vero id quod firmiſſimum eſt, nunquam ijs reſponſurum aduerſarium fuiſſe quæ propoſita non eſſent, niſi ſciret illa vera eſſe, & ad fatendũ conſcientia eſſet impulſus: vt pro Cluentio Cicero, Nam hoc perſæpe dixiſti, tibi ſic renunciari, me habere in animo cauſam hãc præſidio legis defendere: ita ne eſt? ab amicis imprudentes videlicet prodimur: & eſt neſcio quis de ijs, quos amicos eſſe arbitramur nobis, qui noſtra conſilia ad aduerſarium deferat. Quiſnam tibi hoc renunciauit? quis tam improbus fuit? cui autem ego narraui? nemo (vt opinor) in culpa eſt, nimirum tibi iſtud lex ipſa renunciauit. [At quidam contradictione non contenti, totos etiam locos explicãt, Scire ſe hoc dicturos aduerſarios, & ita perſecuturos. Quod factum venuſtè temporibus noſtris eluſit Vibius Criſpus, vir ingenij iucundi & elegantis: Ego vero, inquit, iſta non dico.

Cõtra declamatores.

Cõtra declamatores.

Stultè præoccupantes taxat.

Quid enim attinet illa bis dici? Nonunq; tamen aliquid ſimile contradictioni poni poteſt, ſi quid ab aduerſario teſtationibus cõprehenſum, in aduocationibus iactatum. Reſpondebimus enim rei ab illis dictæ, nõ à nobis excogitatæ: aut ſi id genus erit cauſæ, vt proponere poſſimus certa, extra quę nihil dici poſſit: vt cũ res furtiua in domo deprehẽſa ſit, dicat neceſſe eſt reus, aut ſe ignorante illatam, aut depoſitam apud ſe, aut donatam ſibi: quibus omnibus etiam ſi propoſita non ſint, reſponderi poteſt. At in ſcholis recte & probationibus & cõtradictionibus occurremus, & vt in vtrumque locum, id eſt primum & ſecundum, ſimul exerceamur: quod niſi fecerimus, nunquam vtemur contradictione. Non enim erit cui reſpondeamus. [Eſt & illud vitium nimium ſoliciti, & circa omnia momenta luctantis. Suſpectam enim facit iudici cauſam, & frequenter, quæ ſtatim dicta omnẽ dubitationem ſuſtuliſſent, dilata ipſis præparationibus fidem perdunt, quia patronus & alijs crediderit opus fuiſſe. Fiduciam igitur orator præ ſe ferat, ſempérque ita dicat, tanquam de cauſa optimè ſentiat. Quod (ſicut omnia) in Cicerone præcipuũ eſt. Nam illa ſumma cura ſecuritatis eſt ſimilis, tantáq; in oratione authoritas, vt probationis locũ obtineat, dubitare nobis non audentibus. Porrò qui ſcierit, quid pars aduerſa, quid noſtra habeat valentiſſimũ, facile iudicabit, quibus maximè rebus, vel occurrendum ſit, vel inſtandum. [Ordo quidem in parte nulla minus affert laboris: Nam ſi agimus, noſtra cõfirmanda ſunt primum, tum quæ noſtris opponuntur refutanda. Si reſpõdemus, prius incipiendum eſt à refutatione. [Naſcuntur autẽ ex ijs, quæ cõtradictioni oppoſuimus, aliæ contradictiones: eũntque interim longius, vt gladiatorum manus, quæ ſecundæ vocantur: fiunt & tertiæ, ſi prima ad euocandum aduerſarij ictum prolata erit: & quartæ, ſi geminata captatio eſt, vt bis etiam cauere, bis repetere oportuerit. Quæ ratio & vltrà ducit. [Sed illam etiam, quam ſuprà oſtendi, ſimplicem ex affectibus, atque ex affirmatione ſola probationẽ recipit refutatio: qualis eſt illa Scauri, de qua dixi ſuprà. Quin neſcio, an etiam frequentior vbi quid negatur. ¶Videndum præcipuè vtrique parti, vbi ſit rei ſumma. Nam ferè accidit, vt in cauſis multa dicantur, de paucis iudicetur. In his probandi refutandíq; ratio eſt, ſed adiuuanda viribus dicentis, & adornanda. Quamlibet enim ſint ad docendum quod volumus accommodata,

Nimia ſolliciudo.

Fiducia.

Ordo probationis & refutationis.

Cõmune præceptum.

tamen erunt infirma, niſi maiore quodam Oratoris ſpiritu implentur. [Quare & illi cõmunes loci de teſtibus, de tabulis, de argumentis, alijſque ſimilibus, magnam vim animis iudicum afferunt: & ij proprij, quibus factum quodque laudamus, aut contrà, iuſtum vel iniuſtum docemus, maius aut minus, aſperius aut mitius. Ex his autem alij ad probationem ſingulorum argumentorum faciunt, alij ad plurium, alij ad totius cauſæ inclinationẽ. Ex quibus ſunt qui præparent animũ iudicis, ſunt qui confirment. Sed præparatio quoque aut confirmatio aliquando totius cauſæ eſt, aliquando partium, & proinde vt cuique conueniunt, ſubijcienda. Ideóque miror inter duos diuerſarum ſectarũ velut duces non mediocri cõtentione quæſitum, ſingulíſne quæſtionibus ſubijciendi eſſent loci, vt Theodoro placet: an prius docendus iudex quàm mouendus, vt præcipit Apollodorus: tanquam perierit hæc ratio media, & nihil cum ipſius cauſæ vtilitate ſit deliberandũ. Hęc pręcipiũt, qui ipſi nõ dicunt in foro, vt acies à ſecuris ocioſiſq; cõpoſitæ, ipſa pugnæ neceſſitate turbentur. Nanque omnes ferè qui legem dicendi quaſi quædam myſteria tradiderunt, certis non inueniendorum modo argumentorum locis, ſed concludendorum quoque nos præceptis alligauerunt: de quibus breuiſſimè prælocutus, quid ipſe ſentiam, id eſt, quid præclariſſimos oratores feciſſe videam, non tacebo.

Loci communes quando adhibendi.

Quibus conſtet epichirema, & quomodo refellatur. Cap. XIIII.

ENTHIMEMA, & eius ſpecies.

IGitur Enthymema, & argumentũ ipſum, id eſt rem quæ probationi alterius adhibetur, appellant, & argumenti elocutionem. Eam vero, vt dixi, duplicẽ: [Ex conſequentibus, quod habet propoſitionem, coniunctámque ei protinus probationem: quale pro Ligario, Cauſa tum dubia, quòd erat aliquid in vtraque parte, quod probari poſſet: nunc melior certe ea iudicanda eſt, quam etiam dij adiuuerunt. Habet enim propoſitionem probationémque, non habet concluſionem. Ita eſt ille imperfectus ſyllogiſmus. [Ex repugnantibus vero, quod etiam ſolum enthymema quidam vocant, fortior multo probatio eſt. Tale eſt Ciceronis pro Milone: Eius igitur mortis ſedetis vltores, cuius vitam ſi putetis per vos reſtitui poſſe, nolitis. Quod quidem etiam aliquãdo multiplicari ſolet, vt eſt ab eodem, & pro eodem reo factum: Quem igitur

cum omniũ gratia noluit,hunc voluit cum aliquorũ querela? quem iure, quem loco, quem tempore, quem impune non eſt auſus: hunc iniuria,iniquo loco,alieno tempore,cum periculo capitis, non dubitauit occidere? [Optimum autem videtur enthymematis genus, cum propoſito diſſimili vel contrario ratio ſubiungitur : quale eſt Demoſthenis, Non enim ſiquid vnquam contra leges factum eſt,ídque tu es imitatus, idcirco te conuenit pœna liberari,quin econtrario dãnari multo magis.Nam vt ſi quis eorum damnatus eſſet, tu hæc nõ ſcripſiſſes:ita damnatus ſi tu fueris,non ſcribet alius. ¶Epichiremátos,& quatuor,& quinq;, & ſex etiam factæ ſunt partes à quibuſdam:Cicero maximè quinque defendit, vt ſit propoſitio, deinde ratio eius,tum aſſumptio,& eius probatio,quinta complexio, Quia vero interim & propoſitio nõ egeat rationis,& aſſumptio probationis, nonnunquã etiam complexione opus non ſit, & quadripartitam & tripartitam & bipartitam quoq; fieri poſſe ratiocinationẽ:mihi& plurimis nihilominus authoribus tres ad ſummũ videntur.Nam ita ſe habent iſta natura, vt ſit de quo quæratur, & per quod probetur, tertium adijci poteſt velut ex conſenſu duorum antecedentium.Ita erit prima intentio,ſecunda aſſumptio,tertia connexio. Nam cõfirmatio primæ,ac ſecũdæ partis exornatio,eiſdem cedere poſſunt,quibus ſubijciuntur.Sumamus ex Cicerone quinque partium exemplũ:Melius gubernãtur ea, quę conſilio reguntur, quàm quæ ſine conſilio adminiſtrantur. Hanc primã partem numerant,eam deinceps rationibus varijs,& quàmcopioſiſſimis verbis approbari putant oportere. Hoc ego totũ cum ſua ratione vnum puto : alioqui ſi ratio pars eſt (eſt autem varia ratio)plures partes eſſe dicantur. Aſſumptionem deinde ponit: Nihil autem omniũ rerum melius quàm omnis mundus adminiſtratur. Huius aſſumptionis quarto in loco aliã porrò inducunt probationẽ,de quo idem quod ſuprà,dico. Quinto inducunt loco complexionem,quæ aut infert ſolum quod ex omnibus partibus cogitur, hoc modo : Conſilio igitur mundus adminiſtratur:Aut vnum in locum cùm conduxerit breuiter expoſitionem & aſſumptionẽ,adiungit quid ex his conficiatur,ad hunc modum:Quòd ſi melius geruntur quę cõſilio,quàm quę ſine cõſilio adminiſtrantur,nihil autẽ omnium rerum melius q̃ omnis mundus adminiſtratur,conſilio igitur mundus adminiſtratur.Cui parti conſentio.[In tribus autem,

Cõtra Aeſch.

EPICHIrematis partes, & tractandi ratio. De *inuent.* lib.1.

Cic. Rhet.1.

Forma cõclu-

dendi epichirematis non eadem.

quas fecimus,partibus non est forma semper eadem, sed vna in qua idem cõcluditur quod intenditur. Anima immortalis est.Nam quicquid ex seipso mouetur, immortale est. Anima autem ex seipsa mouetur:immortalis igitur est anima.Hoc fit non solum in singulis argumentis,sed in totis causis,quę sunt simplices,& in quæstionibus.Nam & hæ primam habent propositionem. Sacrilegium cõmisisti, hominem occidisti. Non quisquis hominem occidit,cædis reus tenetur. Deinde rationem. Sed hæc est in causis & quæstionibus longior,quàm in singulis argumentis.Et plerũque summa cõplexione, vel per enumerationem, vel per breuem cõclusionem testantur quid effecerint . In hoc genere propositio dubia est. De hac enim quæritur. [Altera est complexio non par intentioni,sed vim habens parem. Mors nihil ad nos. Nam quod est dissolutum, sensu caret:quod autem sensu caret,nihil ad nos. [In alio genere,nõ eadem propositio est,quæ cõnexio. Omnia animalia meliora sunt quàm inanima, nihil autem melius est mundo, mundus igitur animal.Hic poßest videri de re cõtentio.Potuit enim sic constitui ratiocinatio: Animal est mundus, omnia enim animalia meliora sunt quàm inanima. [Cæterum hæc propositio aut confessa est, vt proxima : aut probanda, vt qui beatam vitam viuere volet,philosophetur oportet.Non enim conceditur . Cætera sequi, nisi confirmata prima parte, non possunt. [Est & assumptio interim confessa:vt,Omnes autem volunt vitam beatam viuere: Interim probãda:vt illa,Quod est dissolutum, sensu caret: cum soluta corpore anima, an sit immortalis , vel ad tempus certum maneat , sit in dubio . Quam assumptionem, alij rationem vocant,alij epichirema. Epichirema autẽ nullo differt à syllogismis , nisi quòd illi & plures habent species, & vera colligunt veris : Epichirematis frequentior circa credibilia est vsus.Nam si contingeret semper controuersa cõfessis probare, vix esset in hoc genere vsus Oratoris. Nam quid ingenio est opus , vt dicas , bona ad me pertinent, Solus enim sum filius defuncti,vel solus hæres, cũ iure bonorum possessio testati secundum tabulas testamenti detur, Ad me igitur pertinent?Sed cum ipsa ratio in quæstionem venit, efficiendum est certum id quod probaturi sumus, quod incertum est : vt si ipsa fortè intentione dicatur, aut filius non es,aut non es legitimus,aut non es solus.Itémque,aut hæres non es,aut non iustum testamentum est,aut capere non

De propositione.

De assumptione.

Epichirema & syllogismus quo differant.

potes, aut habes cohæredes. Efficiendum eſt iuſtum, propter quod bona adiudicari nobis debeant. [Sed tum eſt neceſſaria illa ſumma connexio, cum interuenit oratio longior. Aliquando ſufficiunt intentio ac ratio, Silent leges inter arma, nec ſe expectari iubent: cum ei, qui expectare velit, antè iniuſta pœna luenda ſit, quàm iuſta repetenda. Ideóque id enthymema quod eſt ex conſequentibus, rationi ſimile dixerunt. [Sed & ſingula quoque interim rectè ponũtur, vt ipſum illud, Silent leges inter arma. Et à ratione fas eſt incipere, deinde cõcludere: vt ibidem, Quòd ſi xij. tabulæ nocturnũ furem quoquo modo, diurnum autem, ſi ſe telo defenderet, interfici impunè voluerunt, quis eſt, qui quoquo modo quis interfectus ſit, puniendum putet? Variat autem hic adhuc, & rurſus rationem tertio loco ponit: Cum videat aliquando gladium nobis ad occidendum hominem ab ipſis porrigi legibus. Prioris autem partis duxit ordinem. Inſidiatori autem & latroni, quæ poteſt inferri iniuſta nex? Hæc intentio. Quid comitatus noſtri, quid gladij volunt? Hæc ratio, Quos habere certè non liceret, ſi vti illis nullo pacto liceret: Hęc ex intentione & ratione cõnexio. Huic generi probationis tribus occurritur modis, id eſt per omnes partes. Aut enim expugnatur intentio, aut aſſumptio, aut concluſio, nõnunquam omnia. Sed hæc omnia tria ſunt. Intentio expugnatur, Iure occidi eum qui inſidiatus ſit. Nam prima ſtatim pro Milone quæſtio eſt, An ei ſit fas lucem intueri, qui à ſe hominem necatũ eſſe fateatur. Expugnatur aſſumptio omnibus ijs, quæ de refutatione diximus. Et ratio quidem nõnunquam eſt vera, cum eius propoſitio vera nõ ſit. Interim veræ propoſitionis falſa ratio eſt. Virtus bonũ eſt, verum eſt: ſiquis rationem ſubijciat, quòd ea locupletes faciat, veræ intentionis falſa ſit ratio. Connexio aut vera negatur, cum aliud colligit quàm id quod ex prioribus conficitur: aut nihil ad quæſtionem dicitur pertinere. Non eſt vera ſic, Inſidiator iure occiditur. Nam qui curauit vt vim afferat vt hoſtis, debet etiam vt hoſtis repelli. Recte igitur Clodius, vt hoſtis occiſus eſt. Non vtique. Nondum enim Clodium inſidiatorem oſtendimus: ſed ſit vera connexio, Recte igitur inſidiator vt hoſtis occiditur. Nihil ad nos. Nondum enim Clodius inſidiator apparet. Sed vt poteſt eſſe vera connexio, & tamen falſa intentio & ratio: ita ſi illa vera ſunt, nunquam eſt falſa cõnexio. ¶ Enthymema ab alijs Oratorius ſyllogiſmus,

De connexione.

Epichirema quot modis refellatur.

De Enthyme

mate, & ſyl. logiſmo.

ab alijs pars dicitur ſyllogiſmi: propterea q̃ ſyllogiſmus vtriq; concluſionem & propoſitionẽ habet, & per omnes partes efficit, quod propoſuit: Enthymema tantum intentum intelligi contentum ſit. Syllogiſmus talis, Solum bonum virtus: Nam id demum bonum eſt, quo nemo male vti poteſt: Virtute nemo malè vti poteſt: Bonum eſt ergo virtus. Enthymema ex conſequentibus, Bonum eſt virtus, qua nemo male vti poteſt. Et contrà, Non eſt bonum pecunia: Non enim bonum, quo quiſq̃ male vti poteſt: Pecunia poteſt quis male vti, nõ igitur bonum eſt pecunia. Enthymema ex pugnantibus, An bonum eſt pecunia, qua quiſque poteſt male vti? Si pecunia quæ eſt in argento ſignato, argentum eſt: qui argentum omne legauit, & pecuniam quæ eſt in argento ſignato, legauit. Argentum autem omne legauit: igitur & pecuniam quæ eſt in argento, legauit. Habebit formam ſyllogiſmi oratori ſatis eſt dicere, Cum argentum legauerit omne, pecuniã quoque legauit quę eſt in argento.

EPICHIremate ſeu ſyllogiſmo quomodo vtendum.

¶ Peregiſſe mihi videor ſacra tradentium artes, ſed conſilio locus ſupereſt. Nanque ego, vt in oratione ſyllogiſmo quidem aliquando vti nefas non duco, ita cõſtare totam, aut certe confertã eſſe aggreſſionem & enthymematũ ſtipatione minimè velim. Dialogis enim & dialecticis diſputationibus erit ſimilior, quàm noſtri operis actionibus, quæ quidem inter ſe plurimum differunt. Nanq; illi homines docti, & inter doctos verum quærentes, minutius & ſcrupuloſius ſcrutantur omnia, & ad liquidũ confeſſúmq; perducunt: vt qui ſibi, & inueniendi & iudicãdi vendicent partes, quarũ alteram τοπικὴν, alterã κριτικὴν vocant. Nobis ad aliorum iudicia componenda eſt oratio, & ſępius apud omnino imperitos, atque aliarũ certe ignaros literarũ loquendũ eſt, quos niſi & delectatione allicimus, & viribus trahimus, & nonnunquã turbamus affectibus, ipſa quæ iuſta ac vera ſunt, tenere non poſſumus. Locuples & ſpecioſa vult eſſe eloquentia, quorũ nihil conſequetur, ſi concluſionibus certis & crebris, & in vnam propè formã cadentibus conciſa, & contemptũ ex humilitate, & odium ex quadam ſeruitute, & ex copia ſatietatem, & ex amplitudine faſtidium tulerit. Feratur igitur non ſemitis, ſed campis: non vti fontes anguſtis fiſtulis colliguntur, ſed vt latiſſimi amnes totis vallibus fluat, ac ſibi viam, ſiquando non acceperit, faciat. Nam quid illa miſerius lege velut præformatas infantibus literas perſequentium, & vt Græci dicere ſolent, quem

Eloquentia amplior eſt quàm ad argumentandi legẽ aſtringi debeat.

mater amictum dedit, ſolicitè cuſtodientium? Propoſitio ac concluſio, ex conſequentibus & repugnantibus, non inſpiret, non augeat, non mille figuris variet ac verſet: vt ea naſci, & ipſa prouenire natura, non manu facta & arte ſuſcepta, magiſtrum fateri vbique videantur. Quis vnquam ſic dixit orator? nónne apud ipſum Demoſthenem pauciſſima huiuſmodi reperiũtur? Quæ apprehenſa Græci magis (nam hoc ſolum nobis peius faciunt) in catenas ligant, & inexplicabili ſerie cõnectunt, & indubitata colligunt, & probant confeſſa, & ſe antiquis per hoc ſimiles vocant. Deinde interrogati, nunquam reſpondebunt, quem imitentur. Sed de figuris alio loco. [Nunc illud adijciendum. Ne ijs quidem conſentire me, qui ſemper argumenta ſermone puro, & dilucido, & diſtincto, cæterum minimè lato ornatóque putant eſſe dicenda. Nãque ea diſtincta quidẽ, ac perſpicua debere eſſe cõfiteor: in rebus verò minoribus etiam ſermone ac verbis quãmaximè proprijs & ex vſu. At ſi maior erit materia, nullum ornatum his (qui modò non obſcuret) ſubtrahendum puto. Nam & ſæpe plurimum lucis affert ipſa tranſlatio, cum etiam ipſi iuriſconſulti, quorum ſummus circa verborum proprietatem labor eſt, littus eſſe audeant dicere, qua fluctus alludit. Quóque quid natura magis aſperum, hoc pluribus condiendum eſt voluptatibus, & nimis ſuſpecta argumentatio diſſimulatione, & multum ad fidem adiuuat audiẽtis voluptas. Niſi forte exiſtimamus Ciceronem malè in hac ipſa argumentatione dixiſſe, Silere leges inter arma, & gladium nobis interim ab ipſis porrigi legibus. His tamen habendus modus, vt ſint ornamento non impedimento.

Ornatus verborum in argumentando adhibendus.

M. FABII QVINTILIANI DE institutione oratoria, Liber VI.

¶Proœmium, in quo de fortuna ſua queritur.

HAec Marcelle Victori ex tua voluntate maximè ingreſſus, tum ſi qua ex nobis ad iuuenes bonos peruenire poſſet vtilitas, nouiſſimè penè & neceſſitate quadam officij delegati mihi ſedulo laborabam: reſpiciens tamen illam curã meę voluptatis, qui filio, cuius eminẽs ingenium, ſolicitam quoque parentis diligentiam merebatur, hanc optimam partem relicturus hæreditatis videbar: vt ſi me (quod æquũ & optabile fuit) fata intercepiſſent, præceptore tamen patre vteretur. At me fortuna id agentem diebus ac noctibus, feſtinantémque metu meæ mortalitatis, ita ſubitò proſtrauit, vt laboris mei fructus ad neminẽ minus quàm ad me pertineret. Illum enim de quo ſumma cõceperã, & in quo ſpem vnicã ſenectutis meæ reponebam, repetito vulnere orbitatis amiſi. Quid nunc agam, aut quem vltra eſſe vſum mei dijs reprobãtibus credam? nam ita fortè accidit, vt eum quoq; librũ, quem de cauſis corruptæ elo quentiæ emiſi, iam ſcribere aggreſſus, ſimili ictu ferirer. Tunc igitur optimum fuit infauſtum opus, & quicquid hoc eſt in me infelicium literarũ, ſuper immaturum funus cõſumpturis viſcera mea flammis inijcere, neque hanc impiam viuacitatem nouis inſuper curis fatigare. Quis enim bonus parens mihi ignoſcat, ſi ſtudere amplius poſſum? ac non oderit hanc animi mei firmitatem, ſi quis in me eſt alius vſus vocis, quàm vt incuſem deos, ſuperſtes omnium meorum? nullam terras proſpicere Prouidẽtiam teſter? ſi non meo caſu, cui tamen nihil obijci niſi quòd viuam poteſt: at illorum certè, quos vtique immeritos mors acerba damnauit: erepta mihi prius eorundem matre, quæ nondum expleto ætatis vndeuiceſimo anno, duos enixa filios, quãuis acerbiſſimis rapta fatis, felix deceſſit. Ego vel hoc vno malo ſic eram afflictus, vt me iam nulla fortuna poſſet efficere felicem. Nam cum omni virtute, quæ in fœminas cadit, functa ſit, inſanabilem attulit marito dolorem: tum ætate ea puellari, præſertim meæ comparata, poteſt & ipſa numerari inter vulnera orbitatis. Liberis tamen ſuperſtitibus ob-

lectabar, & quod nefas erat, sæua, sed optabat ipsa, me saluo maximos cruciatus præcipiti via effugit. Mihi filius minor quintum egressus annum, vt in malis agerem, prior alterum ex duobus eruit lumen. Non sum ambitiosus in malis, nec augere lachrymarum causas volo, vtinámque esset ratio minuendi. Sed dissimulare qui possum, quid illi gratię in vultu, quid iucunditatis in sermone, quos ingenij igniculos, quam præstantiam placidæ, &(quod scio vix posse credi tantum) altæ mentis ostenderit? qualis amorem quicunque alienus infans mereretur. Illud verò insidiãtis, quo me validius cruciaret, fortunæ fuit, vt ille mihi blãdissimus, me suis nutricibus, me auiæ educanti, me omnibus, qui solicitare solent illas ætates, anteferret. Quapropter illi dolori, quẽ ex matre optima, atque laudem omnẽ supergressa paucos ante mẽses ceperam, gratulor. Minus enim est quod flendum meo nomine, quàm quod illius gaudendũ est. Vna post hæc Quintiliani mei spe ac voluptate nitebar, & poterat sufficere solatio. Non enim flosculos sicut prior, sed iam decimũ ætatis ingressus annum, certos atq; deformatos fructus ostẽderat. Iuro per mala mea, per infelicem conscientiam, per illos manes numina doloris mei, has me in illo vidisse virtutes ingenij, non modo ad percipiendas disciplinas, quo nihil pręstãtius cognoui, plurima expertus, studiíq; iam tum non coacti(sciunt præceptores)sed probitatis, pietatis, humanitatis, liberalitatis: vt prorsus possit hinc esse tanti fulminis metus, quòd obseruatum ferè est, celerius occidere festinatam maturitatẽ: & esse nescio quã, quæ spes tantas decerpat, inuidiã: ne videlicet vltra quàm homini datum est, nostra prouehantur. Etiam illa fortunæ aderant omnia, vocis iucũditas claritásque, oris suauitas, & in vtracunque lingua tanquam ad eam demum natus esset, expressa proprietas omnium literarũ. Sed hæc spes adhuc, illa maiora: constantia, grauitas, contra dolores etiam ac metus robur. Nã quo ille animo, qua medicorum admiratione, mẽsium octo valetudinem tulit? vt me in supremis consolatus est? quàm etiam deficiens, quámq; non tunc ipsum illum alienatæ mentis errorem circa solas literas habuit? Tuósne ego, o meæ spes inanes, labentes oculos, tuum fugientem spiritum vidi? tuum corpus frigidum exangue complexus, animam recipere, aurámq; communẽ haurire amplius potui? dignus his cruciatibus quos fero, dignus his cogitationibus. Téne consulari nuper adoptione, ad omnium spes ho-

norum patris admotum, te auunculo Prætori generum deſtinatum, te omnium ſpe Atticæ eloquentiæ cãdidatum, ſuperſtes parens habiturus eſt tantum ad pœnas? Et ſi non cupido lucis, certe patientia vindicet te reliqua mea ætate. Nam fruſtra mala omnia ad crimen fortunæ relegamus. Nemo niſi ſua culpa diu dolet. [Sed viuimus, & aliqua viuendi ratio quærenda eſt: credendúmque doctiſſimis hominibus, qui vnicum aduerſorum ſolatium literas putauerunt. Siquando tamen ita reſederit præſens impetus, vt aliqua tot luctibus alia cogitatio inſeri poſſit, non iniuſtæ petierim moræ veniam. Quis enim dilata ſtudia miretur, quæ potius non abrupta eſſe mirandũ eſt? Tum ſiqua minus fuerint effecta ijs, quæ leuius adhuc afflicti cœperamus, imperitię aut fortunæ remittãtur: quæ ſi quid mediocrium alioqui in noſtro ingenio virium fuit, vt non extinxerit, debilitauit tamen. Sed vel propter hoc nos cõtumacius erigamus, quòd illam vt perferre nobis difficile eſt, ita facile cõtemnere. Nihil enim ſibi aduerſus me reliquit, & infelicem quidem, ſed certiſſimam tamen attulit mihi ex his malis ſecuritatem. Boni autem conſulere noſtrum laborẽ vel propter hoc certum eſt, quòd in nullum iam proprium vſum perſeueramus, ſed omnis hæc cura ad alienos, vt alienis vtilis (ſi modo quid vtile ſcribimus) ſpectat. Nos miſeri, ſicut facultates patrimonij noſtri, ita hoc opus alijs præparabamus, alijs relinquemus.

¶ De concluſione ſeu peroratione. Cap. I.

ENVMERATIO.

PEroratio ſequebatur, quam cumulum quidam, concluſionẽ alij vocant. Eius duplex ratio eſt: poſita aut in rebus, aut in affectibus. [Rerum repetitio & congregatio, quæ Græcè dicitur ἀνακεφαλαίωσις, à quibuſdã Latinorum enumeratio, & memoriam iudicis reficit, & totam ſimul cauſam ponit ante oculos, & etiam ſi per ſingula minus mouerat, turba valet. In hac quæ repetemus, quambreuiſſimè dicẽda ſunt, & quod Græco verbo patet, decurrendum per capita. Nam ſi morabimur, non iam enumeratio, ſed altera quaſi fiet oratio. Quæ autem enumeranda videntur, cum põdere aliquo dicenda ſunt, & aptis excitanda ſententijs, & figuris vtique varianda: alioqui nihil eſt odioſius recta illa repetitione, velut memoriæ iudicum diffidentis. Sunt autem innumerabiles: optimæque in Verrem Ciceronis, Si pater ipſe iudicaret, quæ diceret cum hæc probarentur? & deinde ſubiecit enumerationem.

aut cum idem,& in eũdem, per inuocationem deorũ ſpoliata à prætore templa dinumerat.Licet & dubitare nũquid nos fugerit,& quid reſpõſuri ſint aduerſarij his & his: aut quã ſpem accuſator habeat omnibus ita defenſis. Illa verò iucũdiſſima, ſi contingat aliquod ex aduerſario ducere argumentum:vt ſi dicas,Reliquit hanc partẽ cauſæ,aut inuidia premere maluit, aut ad preces confugit, & merito,cum ſciret hæc & hæc. Sed non ſunt ſingulæ ſpecies proſequendæ,ne ſola videantur.quæ fortè nunc dixero: cũ occaſiones & ex cauſis, & ex dictis aduerſariorum,& ex quibuſdam fortuitis quoque oriantur. Nec referenda modo noſtra,ſed poſtulandum eſt etiam ab aduerſarijs, vt ad quædam reſpondeant.Id autem, ſi & actionis ſupererit locus,& ea propoſuerimus quæ refelli non poſſunt.Nã prouocare quæ inde ſint fortia,non arguentis eſt,ſed monentis.[Id vnum epilogi genus viſum eſt pleriſque Atticorum,& philoſophis ferè omnibus, qui de arte Oratoria ſcriptum aliquid reliquerunt. Id ſenſiſſe Atticos credo , quia Athenis affectus mouere etiam per præconẽ prohibebatur Orator Philoſophos minus miror, apud quos vitij eſt loco affici: nec boni mores videntur,ſic à vero iudicem auerti,nec cõuenire bono viro vitijs vti. Neceſſarios tamen affectus fatebuntur,ſi aliter obtineri vera & iuſta & in commune profutura non poſſint. Cæterum illud conſtitit inter omnes,etiam in alijs partibus actionis, ſi multiplex cauſa ſit,& pluribus argumentis defenſa vtiliter, ἀνακεφαλαίωσιν fieri ſolere. Sicut nemo dubitauerit multas eſſe cauſas,in quibus nullo loco ſit neceſſaria,ſi breues,& ſimplices fuerint.Hæc pars perorationis accuſatori,patronóque æquè communis eſt.[Affectibus quoque eiſdem ferè vtuntur,ſed rarius hic,ille ſæpius ac magis. Nam huic concitare iudices,illi flectere cõuenit. Verùm & accuſator habet interim lachrymas ex miſeratione eius rei, quem vlciſcitur: & reus de indignitate calumniæ conſpirationis vehementius interim queritur.Diuidere igitur hæc officia cõmodiſſimum, quæ plerumque ſunt,vt dixi, procœmio ſimilia, ſed liberiora, plenioráque . Inclinatio enim iudicum ad nos petitur initio parcius,tum admitti ſatis eſt,& oratio tota ſupereſt. In epilogo vero eſt,qualem animum iudex in conſilium ferat, & iam nihil amplius dicturi ſumus, nec reſtat quo ſeruemur. Eſt igitur vtriſque commune,conciliare ſibi,auertere ab aduerſario iudicem,concitare affectus,& componere. Et breuiſſimũ qui-

AFFEctus.

dem hoc præceptum dari vtrique parti poteſt, vt totas cauſæ ſuæ vires orator ante oculos ponat:& cum viderit quid inuidioſum,fauorabile,inuiſum,miſerabile,aut ſit in rebus,aut videri poſſit,ea dicat,quibus,ſi iudex eſſet, ipſe maximè moueretur.[Sed certius eſt ire per ſingula.Et quæ cõciliant quidem accuſatorẽ,in præceptis exordij iam diximus.Quædã tamen, quæ illic oſtendere ſatis eſt in peroratione implenda ſunt,magis ſi contra impotentẽ,inuiſum, pernitioſum ſuſcepta cauſa eſt:ſi iudicibus ipſis, aut gloriæ damnatio rei, aut deformitati futura abſolutio. Nam egregiè in Vatinium Caluus:Factũ,inquit,ambitum ſcitis omnes,& hæc vos ſcire omnes ſciunt.Cicero quidem in Verrem etiam emẽdari poſſe infamiam iudiciorum damnato reo,dicit:quod eſt vnum ex ſupradictis.Metus etiam,ſi eſt adhibendus,vt facit idem, hunc habeat locum fortiorem q̃ in procœmio.Qua de re quid ſentirem alio iam libro expoſui. Concitare quoq; inuidiam,odium,iram,liberius in peroratione contingit,quorum inuidiam gratia,odium turpitudo,iram offenſio iudicis facit,ſi cõtumax, arrogans,ſecurus ſit,qui non ex facto modò dictóve aliquo,ſed vultu,habitu,aſpectu moueri ſolet.Egregiéq; nobis adoleſcentibus dixiſſe accuſator Coſſutiani Capitonis videbatur,græcè quidẽ,ſed in hunc ſenſum:Erubeſcit Cæſarem timere. [Summa tamen concitandi affectus accuſatori in hoc eſt, vt id quod obiecit, aut quamatrociſſimum, aut etiam, ſi fieri poteſt, quammaximè miſerabile eſſe videatur.Atrocitas creſcit ex his, quid factum ſit,à quo,in quem,quo animo,quo tẽpore,quo loco,quo modo,quę omnia infinitos anfractus habent.Pulſatum querimur:de re primũ ipſa dicendum:tum ſi ſenex,ſi puer,ſi magiſtratus,ſi probus,ſi benè de Repub.meritus,etiam ſi percuſſus ſit à vili aliquo contemptóque:vel ex contrario à potente nimium,vel ab eo à quo minime oportuit. Et ſi die fortè ſolenni,aut ijs temporibus,cum iudicia huius rei maximè exercentur,aut in ſolicito ciuitatis ſtatu.Item in theatro,in templo,in concione creſcit inuidia.Et ſi non errore nec ira: vel etiam ſi fortè ira ſed iniqua , quòd patri affuiſſet , quòd reſpondiſſet, quòd honores contra peteret.Et ſi plus etiam videri poteſt voluiſſe,quàm fecit. Plurimum tamen affert atrocitatis,modus, ſi grauiter,ſi contumelioſè:vt Demoſthenes ex parte percuſſi corporis,ex vultu ferientis,ex habitu inuidiam Midiæ quærit. Occiſus eſt,vtrũ ferro,an igne,an veneno,vno vulnere an plu

Affectus ex parte accuſatoris.

Act.3.

Act.7.lib.4.

Affectuũ motio.

Atrocitatis amplificatio.

ribus,ſubito an expectatione tortus,ad hanc partem maxime pertinet.Vtitur frequenter accuſator & miſeratione,cum aut eius caſum quem vlciſcitur,aut liberorum aut parentum ſolitudinem conqueritur. Etiam futuri temporis imagine iudices mouet,qui maneant eos caſus, qui de vi & iniuria queſti ſunt, niſi vindicentur:fugiendum de ciuitate,cedendum bonis,aut omnia quæcunque amicus fecerit,perferẽda. Sed ſæpius id eſt accuſatoris, auertere iudicem à miſeratione qua reus ſit vſurus,atque ad fortiter iudicandum concitare. Cuius loci eſt etiam occupare , quæ dicturum facturúmve aduerſarium putes. Nam & cautiores ad cuſtodiam ſuæ religionis iudices facit,& gratiam reſpõſuris aufert, cum ea quæ prædicta ſunt ab accuſatore,iam ſi pro reo petentur, non ſint noua: vt Seruius Sulpitius contra Aufidiam,ne ſignatorum ab ipſis diſcrimen obijciatur ſibi,præmonet. Nec non ab Aeſchine,quali ſit vſurus Demoſthenes actione,prædictũ eſt.Docendi interim quoque iudices,quid rogãtibus reſpõdere debeant:quod eſt vnum repetitionis genus. ¶Periclitantem verò commendat dignitas,& ſtudia fortia,& ſuſceptæ bello cicatrices,& nobilitas, & merita maiorum. Hoc quod proximè dixi, Cicero atque Aſinius certatim ſunt vſi:pro Scauro patre hic,ille pro filio.Com mẽdat & cauſa periculi,ſi ſuſcepiſſe inimicitias ob aliquod factum honeſtum videtur, præcipuè bonitas, humanitas, miſericordia. Iuſtè enim tunc petere ea quiſque videtur à iudice, quæ alij ipſe præſtiterit . Referenda hæc pars quoque ad vtilitatem Reipublicæ,ad iudicum gloriam,ad exemplum,ad memoriam poſteritatis. [Plurimum tamen valet miſeratio,quæ iudicem flecti non tãtum cogit, ſed motum quoque animi ſui lachrymis confiteri.Hæc perẽtur aut ex ijs quæ paſſus eſt reus, aut ex ijs,quæ tum maximè patitur,aut ex ijs quæ damnatum manent: quæ & ipſa duplicantur,cum dicimus ex qua illi fortuna, & in quam recidendum ſit . Affert in ijs momentum & ætas,& ſexus,& pignora:liberi dico,& parentes,& propinqui. Quæ omnia tractari variè ſolent . [Nonnunquam etiam & ipſe patronus has partes ſubit:vt Cicero pro Milone,O me miſerum,ò me infelicem! Reuocare me tu in patriam Milo potuiſti per hos, ego te in patria per eoſdem retinere nõ potero? Maximéq;,ſi(vt tunc accidit)non cõuenient ei,qui accuſatur preces.Nã quis ferret Milonẽ pro capite ſuo ſupplicantẽ,qui à ſe virũ nobilem interfectũ, quia id fieri oportuiſſet,fateretur?

Miſeratione accuſator etiam interdũ monet.

Affectus pro defenſore.

Miſeratio.

Patroni perſona pro reo.

Ergo & ille captauit ex illa præſtantia animi fauorem,& in locum lachrymarũ eius, ipſe ſucceſſit. [His præcipuè locis vti-
Proſopopœiæ les ſunt Proſopopœiæ, id eſt fictæ alienarũ perſonarũ orationes,quales litigatorem decent,vel patronum.Mutę tamen res mouẽt,aut cum ipſis loquimur,aut cum ipſas loqui fingimus. Ex perſonis quoque trahitur affectus.Non enim audire iudex videtur aliena mala deflentes, ſed ſenſum ac vocem auribus accipere miſerorum , quorum etiam mutus aſpectus lachrymas mouet:quantóque eſſent miſerabiliora,ſi ea dicerẽt ipſi, tanto ſunt quadam portione ad afficiendum potentiora,cum velut ipſorum ore dicũtur: vt ſcenicis actoribus eadem vox, eadem pronuntiatio plus ad mouendos affectus ſub perſona valet. Itaque idem Cicero quanquam preces non dat Miloni, eúmque potius animi præſtantia commendat, accõmodauit ei tamen & verba,& conuenientes etiam forti viro cõqueſtiones.O fruſtra,inquit,mei ſuſcepti labores!O ſpes fallaces,ò cogitationes meæ inanes![Nunquã tamen debet eſſe longa mi-
In Partit. & de Inuent. 1. ſeratio:nec ſine cauſa dictum eſt,Nihil facilius quàm lachrymas inareſcere . Nam cum etiam veros dolores mitiget tempus,citius euaneſcat neceſſe eſt illa,quã dicendo effinximus, imago:in qua ſi moramur,lachrymis fatigatur auditor, & requieſcit , & ab illo quem ceperat impetu, ad rationem redit.
Lachrymarũ quis modus. Non patiamur igitur frigeſcere hoc opus,& affectum cum ad ſummum perduxerimus,relinquamus: nec ſperemus fore,vt aliena mala quiſquam diu deploret.Ideóque cum in alijs,tum maximè in hac parte debet creſcere oratio . Quia quicquid non adijcit prioribus, etiam detrahere videtur: & facile deficit affectus qui deſcendit.

[Rurſus de affectibus mouendis. Cap.I I.

Rebus etiam mouentur affectus. NOn ſolum autem dicendo,ſed etiam faciendo quædã, lachrymas mouemus:vnde & producere ipſos qui periclitentur,ſqualidos atque deformes,& liberos eorum ac parentes,inſtitutum:& ab accuſatoribus oſtendi cruentum gladium,& lecta è vulneribus oſſa,& veſtes ſanguine perfuſas videmus , & vulnera reſolui , ac verberata corpora nudari. Quarum rerum ingẽs plerunque vis eſt,velut in rem præſentem animos hominum ducentium. Et populum Rom.egit in
Sueto.in vita Cęſar.& Appianus lib.2. belli Ciuil. furorem prætexta Caij Cæſaris prolata in foro cruenta. Sciebatur interfectum eum,corpus deniq; ipſum impoſitum lecto erat, veſtis tamẽ illa ſanguine madens, ita repręſentauit ima-

ginẽ ſceleris,vt non occiſus eſſe Cęſar,ſed tum maximè occi-
di videretur. Sed non ideo probauerim,quod factũ & lego,&
ipſe aliquãdo vidi,depictã tabulam ſupra Iouẽ, in imaginem
rei,cuius atrocitate iudex erat commouendus. Quæ enim eſt
actoris infantia, qui mutam illam effigiem magis quàm ora-
tionem pro ſe putet locuturã? At ſordes,& ſqualores, & pro-
pinquorum quoque ſimilem habitũ ſcio profuiſſe,& magnum
ad ſalutem momentum preces attuliſſe. Quare & obſecratio *Obſeruatio.*
illa iudicum per chariſſima pignora,vtique ſi & reo ſint libe-
ri,coniunx, parentes, vtilis erit. Et deorum etiam inuocatio, *Inuocatio*
velut ex bona conſciẽtia profecta videri ſolet.Stratum deni- *Proſtratio.*
que iacere,& genua complecti,niſi tamen perſona nos,& an-
teacta vita,& rei conditio prohibebit.Quædam enim tam for
titer tuenda,quàm facta ſunt.Verùm ſic eſt habenda authori-
tatis ratio,ne ſit inuiſa ſecuritas. Fuit quõdam inter hæc om-
nia potentiſſimum id,quo Lucium Murenam Cicero accuſan
tibus clariſſimis viris eripuiſſe præcipuè videtur. Perſuaſit e-
nim nihil eſſe ad præſentem rerum ſtatum vtilius, quàm pri-
die Calendas Ianuarias ingredi Conſulatum.Quod genus no-
ſtris tẽporibus totum penè ſublatum eſt, cum omnia curæ tu-
telæque vnius innixa periclitari nullo iudicij exitu poſſint.De
accuſatoribus & reis ſum locutus, quia in periculis maximè
verſatur affectus. [Sed priuatæ quoque cauſæ vtrumque ha- *Affectus in*
bẽt perorationis genus:& illud quod eſt ex enumeratiõe pro- *priuatis cau-*
bationũ,& hoc quod ex lachrymis,ſi aut ſtatu periclitari, aut *ſis.*
opinione litigator videtur.Nam in paruis quidẽ litib⁹ has tra-
gœdias mouere tale eſt,quale ſi perſonam Herculis,& cothur
nos aptare infantibus velis. [Illud ne indignũ quidem admo-
nitione,ingens in epilogis meo iudicio verti diſcrimen, quo-
modo ſe dicenti,qui excitatur,accommodet.Nam & imperi-
tia,& ruſticitas,& rigor,& deformitas afferunt interim frigus:
diligẽtérque hæc ſunt actori prouidenda.Equidem repugnan- *Scenica geſti-*
teis eos patrono, & nihil vultu commotos & intempeſtiue ri- *culatio ridicu*
dentes,& facto aliquo vel ipſo vultu riſum mouentes,ſæpe e- *la,& odioſa.*
tiam vidi,præcipuè verò cũ aliqua velut ſcenicè fiunt.Tranſ-
tulit patronus aliquãdo puellã,quæ ſoror eſſe aduerſarij dice-
batur(nam de hoc lis erat)in aduerſa ſubſellia,tanquã in gre
mio fratris relicturus. At is à nobis præmonitus diſceſſerat.
Tum ille,alioqui vir facundus, inopinatæ rei caſu obmutuit,
& infantem ſuam frigidiſſimè reportauit.Alius imaginem ma

riti pro rea proferre magni putauit, at ea sæpius risum fecit. Nam & ij quorũ officij erat vt traderent eam, ignari qui esset epilogus, quoties respexisset patronus, offerebãt palàm, & prolata nouissimè, deformitate ipsa (nam senis cadaueri infusa) præteritam quoque orationis gratiam perdidit. Nec ignotum quid Gliconi, cui Spiridion fuit cognomen, acciderit. Huic puer, quem in ius productum quid fieret, interrogabat, à pædagogo se vellicari respondit. Sed nihil illa contra Cepasios Ciceronis fabula efficacius ad pericula epilogorum. Omnia tamen hæc tolerabilia, quibus actionem mutare facile est: at qui à stylo non recedunt, aut conticescunt ad hos casus, aut frequentissimè falsa dicunt. Inde est enim, Tendit ad vestra genua supplices manus, & hæret in complexu liberorum miser, & reuocat ecce me: etsi nihil horum is, de quo dicitur, faciat. Et è scholis hæc vitia in quibus omnia liberè fingimus, & impune, quia pro facto est quicquid volumus: non admittit hoc idem veritas fori. Egregiéque Cassius dicenti adolescentulo, Quid me toruo vultu intueris Seuere? Non mehercule, inquit, faciebam, sed sic scripsisti: ecce, & quàm potuit truculentissimè eum aspexit. [Illud præcipuè monendum, ne quis nisi summis ingenij viribus ad mouendas lachrymas aggredi audeat. Nam vt est longe vehementissimus hic cum inualuit affectus, ita si nihil efficit, tepet: quem melius infirmus actor tacitis iudicum cogitationibus reliquisset. Nam & vultus, & vox, & ipsa illa excitati rei facies, ludibrio etiam plerunque sunt hominibus, quos non permouerunt. Quare metiatur, ac diligenter æstimet vires suas actor, & quantum onus subiturus sit, intelligat. Nihil habet ista res medium: sed aut lachrymas meretur, aut risum. ¶Non autem commouere tantum miseratione, sed etiam discutere, epilogi est proprium, cum oratione continua, quæ motos lachrymis iudices ad iustitiam reducat, tum etiam quibusdam vrbanè dictis: quale est, Date puero panem ne ploret. Et corpulento litigatori, cuius aduersarius item puer, circa iudices erat ab aduocato lat⁹. Quid faciam? Ego te baiulare non possum. Sed hæc tamen non debent esse mimica. Ita neque illum probauerim quanquam inter clarissimos sui temporis Oratores fuit, qui pueris in Epilogum productis, talos proiecit in medium, quos illi diripere cœperunt. Namque & hæc ipsa discriminis sui ignorantia potuit esse miserabilis. Neque illum, qui cum esset cruentus gladius

Vires metiendæ.

Miseratio quomodo discutienda.

eius ab accusatore prolatus, quo is hominem probabat occisum, subitò ex subsellijs, vt territus fugit, & capite ex parte velato, cum ad agentem ex turba prospexisset, interrogauit, an iam ille cum gladio recessisset. Fecit enim risum, sed ridiculus fuit. Discutiendæ tamẽ oratione huiusmodi scenæ. Egregiéque Cicero & cõtra imaginem Saturnini pro Rabirio grauiter, & contra iuuenem cuius subinde vulnus in iudicio resoluebatur, pro Vareno multa dixit vrbanè. Sunt & illi leniores epilogi, quibus aduersario satisfacimus: si fortè sit eius persona talis, vt illi debeatur reuerentia: aut quum amicè aliquid commonemus, & ad concordiam hortamur, quod est genus egregiè tractatum à Passieno, cum Domitiæ vxoris suæ pecuniariam litem aduersus fratrem eius Aenobarbum ageret. Nam quũ de necessitudine multa dixisset, de fortuna quoque, qua vterque abũdabat, adiecit, Nihil vobis minus deest, quàm de quo contẽditis. ¶ Omnes autẽ hos affectus, etiam si quibusdam videntur in proœmio atque in epilogo sedem habere, in quibus sanè sunt frequentissimi, tamen aliæ quoq; partes recipiunt, sed breuiores, vt cum ex his plurima sint reseruanda. At hic, si vsquam, totos eloquentiæ aperire fontes licet. Nam ex his (si bene diximus reliqua) possidebimus iam iudicum animos: & è confragosis atque asperis euecti, tota pandere possumus vela: & cum sit maxima pars epilogi amplificatio, verbis atque sententijs vti licet magnificis atque ornatis. Tunc est commouendum theatrum, quum ventum est ad ipsum illud, quo veteres tragœdiæ comœdiæque clauduntur, Plaudite. [In alijs autem partibus tractandus affectus erit, vt quisque nascetur. Nã neq; exponi sine hoc res atroces & miserabiles debẽt. Cum de qualitate alicuius rei quæstio est, probationibus vniuscuiusque rei rectè subiungitur. Vbi verò coniunctam ex pluribus causam agimus, etiam necesse erit vti pluribus quasi epilogis: vt in Verrem Cicero fecit. Nam & Philodamo, & Nauarchis, & cruciatis ciuibus Romanis, & alijs plurimis suas lachrymas dedit. Sunt qui hos μερικοὺς ἐπιλόγους vocent, quo partitam perorationem significant. Mihi non tam partes eius, quàm species videntur. Siquidem hæc epilogi & perorationis nomina ipsa apertè satis ostendunt, hanc esse consummationem orationis.

Affectus vt dominãtur in proœmio & epilogo, ita per totã orationẽ spargendi.

Vbi affectib⁹ vtendum.

Act. 3.

Act. 7.

¶ De diuiſione affectuũ,& quomodo mouendi ſint. Cap. III.

QVamuis autem pars hæc iudicialium cauſarũ ſit ſumma,præcipuéque conſtet affectibus,& aliqua de his neceſſario dixerim,non tamẽ potui, ac ne debui quidem locum iſtum in vnam ſpeciem cõcludere. Quare adhuc opus ſupereſt;cum ad obtinenda,quæ volumus potẽtiſſimum,tum ſupradictis multo difficilius,mouendi iudicum animos,atque in eum, quem volumus,habitũ,formandi, & velut tranſfigurandi. Qua de re pauca,quæ poſtulabat hæc materia,ſic attigi,vt magis quid oporteret fieri,quàm quo id modo conſequi poſſemus,oſtẽderem. Nunc altius omnis rei repetenda ratio eſt. [Nam & per totam(vt diximus)cauſam,locus eſt affectibus , & eorum non ſimplex natura, nec in tranſitu tractanda,quo nihil maius afferre vis orandi poteſt. Nam cætera forſitan tenuis quoque & anguſta ingenij vena , ſi modo vel doctrina vel vſu ſit adiuta generare,atque ad frugem aliquam perducere queat. Certè ſunt, ſempérque fuerunt,non parum multi,qui ſatis peritè quæ eſſent probationibus vtilia, reperirent:quos equidem non contemno,ſed hactenus vtiles credo, nequid per eos iudici ſit ignotum, atque(vt dicam quod ſentio)dignos,à quibus cauſas diſerti docerentur. Qui verò iudicem rapere,& in quem vellet habitũ animi poſſet perducere, quo dicto flendum & iraſcendum eſſet,rarius fuit. Atque hoc eſt,quod dominatur in iudicijs,hæc eloquentiam regũt. Namque argumenta plerunque naſcuntur ex cauſa,& pro meliore parte plura ſunt ſemper:vt qui per hæc vicit, tantum non defuiſſe ſibi aduocatum ſciat. Vbi verò animis iudicum vis afferenda eſt,& ab ipſa veri contemplatione abducenda mens,ibi proprium Oratoris opus. Hoc non docet litigator,hoc cauſarum libellis non continetur. Probationes enim efficiunt ſanè, vt cauſam noſtram meliorem eſſe iudices putent,affectus prẽſtant vt etiã velint. Sed id quia volũt,credũt quoq;. Nam cum iraſci,fauere,odiſſe,miſereri cœperint,agi iam rem ſuã exiſtimant:& ſicut amãtes de forma iudicare nõ poſſunt,quia ſenſũ oculorũ premit amor,ita omnẽ inquirẽdæ veritatis rationem iudex amittit occupatus affectibus,æſtu fertur,& velut rapido flumini obſequitur. Ita argumenta ac teſtes quid egerint,pronuntiatio oſtendit:commotus autem ab Oratore iudex, quid ſentiat ſedens adhuc atq; audiens, confitetur. An cum ille qui pleriſq; perorationibus petitur,fletus erumpit, non palàm di-

Laus mouẽdorũ affectuũ.

Amor excæcat.

cta ſententia eſt? Huc igitur incumbat orator, hoc opus eius, hic labor eſt: ſine quo cætera nuda, ieiuna, infirma, ingrata ſũt: adeo, velut ſpiritus operis huius atq; animus eſt in affectibus. ¶ Horum autem, ſicut antiquitus traditum accepimus, duæ ſunt ſpecies: alteram Græci πάθος vocant, quã nos rectè vertentes ac propriè, affectum dicimus: alteram ἦθος, cuius nomine (vt ego quidem ſentio) caret ſermo Romanus, mores appellantur: atque inde pars quoque illa philoſophię ἠθικὴ moralis eſt dicta Sed ipſam rei naturam ſpectãti mihi non tam mores ſignificari vidẽtur, quàm morum quædã proprietas. Nam ipſis quidem omnes habitus mentis continentur. Cautiores voluntatem complecti, quàm nomina interpretari maluerunt. Affectus igitur hos cõcitatos, πάθος: illos mites atque compoſitos, ἦθος eſſe dixerunt. In altero vehementer commotos, in altero lenes: denique hos imperare, illos perſuadere: hos ad perturbationem, illos ad beneuolentiam præualere. Adijciunt quidam peritorum, πάθος temporale eſſe. Quod vt accidere frequentius fateor, ita nonnullas credo eſſe materias, quæ continuum deſiderent affectum. Nec tamen minus artis aut vſus hi leniores habent virium, atque impetus non tantundem exigunt. In cauſis verò etiam pluribus verſantur, imò ſecũdum quendam intellectũ in omnibus. Nam cum niſi ex illo & hoc loco nihil ab Oratore tractetur, quicquid de honeſtis, & vtilibus, denique faciendis & non faciendis dicitur, hoc vocari poteſt. Quidam cõmendationem, atq; excuſationẽ propria huius officij putauerunt: nec abnuo eſſe iſta in hac parte, ſed non concedo vt ſola ſint. quin illud adhuc adijcio, πάθος atq; ἦθος eſſe interim ex eadẽ natura: ita vt illud maius ſit, hoc minus: vt amor πάθος, charitas ἦθος. Interdum diuerſa inter ſe, ſicut in epilogis. Nanq; πάθος cõcitat, ἦθος ſolet mitigare. ¶ Propria tamen mihi huius nominis exprimenda natura eſt, quatinus appellatione ipſa non ſatis ſignificari videtur ἦθος, quod intelligimus, quódq; à docentibus deſideramus, id erit, quod ante omnia bonitate cõmendabitur: non ſolum mite ac placidũ, ſed plerunq; blandũ & humanum, & audientibus amabile atq; iucundum: in quo exprimendo ſumma virtus ea eſt, vt fluere omnia ex natura rerum hominúmq; videantur, quo mores dicentis ex oratione perluceant, & quodammodo agnoſcantur. quod eſt ſine dubio inter cõiunctas maximè perſonas, quoties perferimus, ignoſcimus, ſatisfacimus, mouemus procul ab ira,

Affectuũ diuiſio, in πάθος & ἦθος.

Quid propriè ſit ἦθος, & quomodo, vt in oratione eluceat efficiendum.

procul ab odio. Sed tamen alia patris aduerſus filium, tutoris aduerſus pupillum, mariti aduerſus vxorẽ moderatio eſt. (Hi enim prę ſe ferunt eorum ipſorum, à quibus læduntur, charitatem: neque alio modo inuiſos eos faciunt, quàm quòd amare ipſi videtur.) Alia cum ſenex adoleſcẽtis, alia cum cõuicium honeſtus inferioris fert. Hic enim tantum cõcitari, illic etiã afſici debet. Sunt & illa ex eadẽ natura, ſed motus adhuc minoris, veniam petere, adoleſcentiæ defendere amores. Nonnunquam etiã lenis alieni caloris deriſus ex hac forma venit: ſed non his ex locis tantum, verum aliquanto magis propriæ ſunt virtutes ſimulationis, ſatiſfaciendi, rogandi, & ἐρωνείας, quæ diuerſum ei quod dicit, intellectum petit. Hinc etiam ille maior ad concitandum odium naſci affectus ſolet, cum hoc ipſo quòd nos aduerſarijs ſubmittimus, intelligitur tacita impotentiæ exprobratio. Namque eos graues & intolerabiles id ipſum demõſtrat, quòd cedimus: & ignorant cupidi maledicẽdi, aut affectatores libertatis, plus inuidiam quàm conuicium poſſe: Nam inuidia aduerſarios, cõuicium nos inuiſos facit. Ille iam penè medius affectus eſt, ex amoribus & deſiderijs amicorum & neceſſariorũ. Nam & hoc maior eſt, & illo minor. [Non parum ſignificãter etiam illa in ſcholis ἤθη dixerimus, quibus plerumque ruſticos, ſuperſtitioſos, auaros, timidos, ſecũdum conditionem propoſitorũ effingimus. Nã ſic ἤθη mores ſunt, cum hos imitamur, & ex his ducimus orationem. Denique hoc omne, bonum & comem virum poſcit. Quas virtutes cum etiam in litigatore debeat orator (ſi fieri poteſt) approbare, vtique ipſe aut habeat, aut habere credatur. Sic proderit plurimum cauſis, quibus ex ſua bonitate faciet fidẽ. Nam qui dum dicit, malus videtur, vtique malè dicit. Non enim videtur iuſta dicere, alioqui qui ἦθος videretur? Quare & ipſum etiã dicẽdi genus in hoc placidũ debet eſſe ac mite: nihil ſuperbum, nihil elatum ſaltem ac ſublime deſideret. Proprie, iucũdè, credibiliter dicere ſat eſt. Ideóq; & medius ille orationis modus maximè conuenit. [Diuerſum eſt huic quod πάθος dicitur, quódque nos affectum propriè vocamus: & vt proximè vtriuſque differentiam ſignem, illud comœdiæ, hoc tragœdiæ ſimile. Hæc pars circa iram, odium, metũ, inuidiam, miſerationẽ, ferè tota verſatur. Quæ quibus ex locis ducenda ſint, & manifeſtum omnibus, & à nobis in ratione proœmij, atque epilogi dictum eſt. Et metum tamẽ duplicem intelligi volo: quem pa-

πάθος quomodo mouendum.

timur,& quẽ facimus.Et inuidiam: namq; altera inuidũ,altera inuidioſum facit. Hoc autẽ hominis,illud rei eſt,in quo & plus habet operis oratio.Nã quædã vidẽtur grauia per ſe,parricidiũ,cædes,veneficium:quædã efficienda ſunt.Id autẽ contingit,cum magnis alioqui malis grauius eſſe id quod paſſi ſumus,oſtenditur. Quale eſt apud Verg. O felix vna ante alias Priameïa virgo, Hoſtilẽ ad tumulũ Troiæ ſub mœnibus altis Iuſſa mori.Quàm miſer enim caſus Andromachę,ſi cõparata ei felix Polyxena? Aut cũ ita exaggeramus iniuriã noſtrã, vt etiam quæ multo minora ſunt,intolerãda dicamus:Si pulſaſſes,defendi non poteras:vulneraſti.Sed hæc diligẽtius,cum ad amplificationẽ venerimus,dicemus.Interim notaſſe cõtentus ſum,non id ſolum agere affectus,vt quæ ſunt oſtendantur acerba ac luctuoſa,ſed etiã vt quæ tolerãda haberi ſolent,grauia videãtur:vt cũ in maledicto plus iniuriæ,q̃ in manu:in infamia plus pœnæ dicimus,q̃ in morte.Nãque in hoc eloquentiæ vis eſt,vt iudicem non ad id tantum impellat,in quod ipſe à rei natura duceretur:ſed aut qui non eſt,aut maiorẽ quàm eſt,faciat affectum.Hæc eſt illa,quæ Δέινωσις vocatur,rebus indignis,aſperis,inuidioſis,addens vim oratio.Qua virtute prę-
ter alias, plurimum Demoſthenes valuit. [Quòd ſi mihi tradita ſequi præcepta ſufficeret,ſatisfacerẽ huic parti, nihil eorum quæ legi,vel didici, quod modo probabile fuit,omittendo.Sed mihi in animo eſt,quæ latẽt penitus, ipſa huius loci aperire penetralia:quæ quidem non aliquo tradente,ſed experimento meo,ac natura ipſa duce accepi.Summa enim(quantum ego quidem ſentio)circa mouẽdos affectus in hoc poſita eſt,vt moueamur ipſi.Nam & luctus,& iræ, & indignationis, aliquãdo ridicula fuerit imitatio,ſi verba vultúmq; tantũ,non etiã animum accõmodauerimus.Quid enim aliud eſt cauſæ, vt lugẽtes vtiq; in recẽti dolore diſertiſſimè quædã exclamare videãtur,& ira nonnunquã indoctis quoq; eloquentiam faciat,q̃ quòd illis ineſt vis mentis & veritas ipſa morũ? Quare in ijs quæ veriſimilia eſſe volemus, ſimus ipſi ſimiles eorũ,qui verè patiuntur affectibus:& à tali animo proficiſcatur oratio, qualem facere iudicem volet. An ille dolebit, qui audiet me, cum hoc dicam, non dolentem?iraſcetur, ſi nihil ipſe,qui in iram concitat, ídq; exigit,ſimile patietur? ſiccis agenti oculis lachrymas dabit?fieri nõ poteſt.Nec incẽdit niſi ignis,nec madeſcimus niſi humore, nec res vlla dat alteri colorẽ quẽ ipſa

Aeneid.3.

Affectuũ mouendorũ ſumma præceptio vt moueamur ipſi.

non habet. Primum eſt igitur, vt apud nos valeant ea quæ valere apud iudicem volumus, afficiamúrq; antequã afficere conemur. At quomodo fiet, vt afficiamur? Neque enim ſunt motus in noſtra poteſtate. Tentabo etiã de hoc dicere. Quas φαντασίας Græci vocant, nos ſanè viſiones appellemus: per quas imagines rerum abſentium ita repræſentantur animo, vt eas cernere oculis, ac præſentes habere videamur. Has quiſquis bene conceperit, is erit in affectibus potentiſſimus. Hunc quidam dicunt εὐφαντασιωτὸν qui ſibi res, voces, actus, ſecundũ verum optimè finget. quod quidem nobis volentibus facilè continget. Nam vt inter otia animorum, & ſpes inanes, & velut ſomnia quædam vigilantium, ita nos hæ de quibus loquimur, imagines proſequuntur: vt peregrinari, nauigare, præliari, populos alloqui, diuitiarum quos non habemus, vſum videamur diſponere: nec cogitare, ſed facere. Hoc animi vitium ad vtilitatem non tranſferemus? Vt hominem occiſum querar: non omnia quæ in re præſenti accidiſſe credibile eſt, in oculis habebo? non percuſſor ille ſubitus erumpet? non expaueſcet circunuentus? exclamabit? vel rogabit? vel fugiet? non ferientem, non concidentem videbo? non animo ſanguis, & pallor & gemitus, extremus denique expirantis hiatus inſidet? [Inſequetur ἐνάργια quæ à Cicerone illuſtratio & euidentia nominatur: quæ non tam dicere videtur quàm oſtendere, & affectus non aliter quàm ſi rebus ipſis interſimus, ſequentur. An non ex his viſionibus illa ſunt? Excuſſi manibus radij, reuolutáque penſa. Leuíque patens in pectore vulnus. Et equus ille in funere Pallantis Poſitis inſignibus. Quid? non idem poeta penitus vltimi fati cepit imaginem, vt diceret, Et dulcis moriens reminiſcitur Argos, Vbi vero miſeratione opus erit, nobis ea de quibus querimur accidiſſe credamus, atque id animo noſtro perſuadeamus. Nos illi ſimus, quos grauia, indigna, triſtia paſſos queramur. Nec agamus rem quaſi alienam, ſed aſſumamus parũper illum dolorem. Ita dicemus, quæ in ſimili noſtro caſu dicturi eſſemus. Vidi ego ſæpe hiſtriones atq; comœdos, cum ex aliquo grauiore actu perſonã depoſuiſſent, flentes adhuc egredi. Quòd ſi in alienis ſcriptis ſola pronuntiatio ita falſis accedit affectib⁹, quid nos faciemus, qui illa cogitare debemus, vt moueri periclitantiũ vice poſſimus? Sed in ſchola reb⁹ quoq; ipſis affici cõuenit, eáſque veras ſibi fingere: hoc magis, quòd illic vt litigatores loquimur frequentius q̃ vt aduocati.

Enargia.

Orbum agimus,& naufragũ,& periclitantem,quorum induere perſonas quid attinet, niſi affectus aſſumimus? [Hæc diſſimulanda mihi non fuerunt, quibus ipſe quantuſcunque ſum, aut fui;(nam peruenisse me ad aliquod nomen ingenij credo) frequenter motus ſum, vt me nõ lachrymæ ſolum deprehenderint, ſed pallor, & vero ſimilis dolor.

¶De riſu. Cap.IIII.

Riſus ſoluit affectus.

HVic diuerſa virtus,quæ riſum iudicis mouendo, & illos triſtes ſoluit affectus, & animũ ab intentione rerum frequenter auertit,& aliquãdo etiam reficit,& à ſatietate vel à fatigatione renouat. ¶Quanta ſit autem in ea difficultas,vel duo maximi Oratores,alter græcæ,alter latinæ eloquentiæ principes, docent. Nam plerique Demoſtheni facultatem huius rei defuiſſe credũt,Ciceroni modũ. Nec videri poteſt noluiſſe Demoſthenes,cuius pauca admodum dicta, nec ſanè cæteris eius virtutibus reſpondentia,palàm oſtendũt non diſplicuiſſe illi iocos,ſed non contigiſſe.Noſter vero non ſolum extra iudicia,ſed in ipſis etiam orationibus habitus eſt nimius riſus affectator.Mihi quidem ſiue id rectè iudico,ſiue amore immodico prẽcipui in eloquẽtia viri laboro,mira quædam videtur in eo fuiſſe vrbanitas.Nam & in ſermone quotidiano multa, & in altercationibus, & interrogandis teſtibus plura q̃ quiſquam,dixit facetè:& illa ipſa quæ ſunt in Verrem dicta frigidius,alijs aſſignauit,& teſtimonij loco poſuit:vt quo ſunt magis vulgaria, eo ſit credibilius illa ab Oratore non ficta,ſed paſſim eſſe iactata. Vtinam Quintus, & libertus eius Tyro, aut alius quiſquis fuit, qui tres hac de re libros edidit, parcius dictorum numero indulſiſſent,& plus iudicij in eligendis quàm in congerendis ſtudij adhibuiſſent. Minus obiectus calumniantibus foret,qui tamen nunc quoq;,vt in omni eius ingenio facilius quid reijci, quàm quid adijci poſſit,inueniẽt. [Affert autem ſummam rei difficultatem. Primũ,quòd ridiculum dictum plerumque ſalſum eſt,hoc ſemper humile,ſæpè ex induſtria deprauatũ: præterea nunq̃ honorificũ: tum varia hominũ iudicia in eo,quia nõ ratione aliqua,ſed motu animi quodam,neſcio an enarrabili,iudicatur. [Neque hoc ab vllo ſatis explicari puto,licet multi tentauerint:vnde riſus,qui nõ ſolum facto aliquo dictóve,ſed interdum quodam etiam corporis tactu arceſſitur. [Præterea non vna ratione moueri ſolet. Neque enim acutè tantum ac venuſtè,ſed ſtultè,iracũdè,

Rara virtus riſus mouẽdi.

Difficultatis cauſæ.

timidè dicta aut facta ridentur. Ideóque anceps eius rei ratio
Libro 2. de Orato. est,quòd à derisu nõ procul abest risus.Habet enim,vt Cicero dicit,sedem in deformitate aliqua & turpitudine,quę cum in alijs demonstrantur,vrbanitas: cum in ipsum dicentem recidunt, stultitia vocatur. ¶Cum videatur autem res leuis,& quę
Risus vis. à scurris,mimis,insipientibus denique sæpè moueatur,tamen habet vim nescio an imperiosissimam : & cui repugnari minimè potest. Erumpit etiam inuitis sæpè, nec vultus modo ac vocis exprimit confessionem,sed totum corpus vi sua concutit. Rerum autem sæpe (vt dixi) maximarum momenta vertit, cum odium irámque frequentissimè frangat.Documento sunt iuuenes Tarentini, qui multa de Pyrrho Rege securius inter cœnam locuti,cum rationem facti reposcerentur,& neque negari res, neque defendi posset, risu sunt & opportuno ioco elapsi. Namque vnus ex ijs, Imò,inquit,nisi lagena defeciſſet, occidissemus te. Eáque vrbanitate tota est inuidia cri-
Nõ arte tantum risus,sed natura magis & occasione efficitur. minis dissoluta. ¶Verũm hoc quicquid est,vt non ausim dicere carere omnino arte,quia nonnullam obseruationem habet, sũntque ad id pertinentia, & à Græcis & à Latinis cõposita præcepta: ita planè affirmo præcipuè positum in natura, & in occasione.Porrò natura non tantum in hoc valet,vt acutior quis atque habilior sit ad inuẽniendum, nam id sanè doctrina posset augeri: sed inest proprius quibusdã decor in habitu atque vultu, vt eadem illa minus dicente alio videantur vrbana esse. Occasioni verò & in rebus est tanta vis, vt sæpè adiuti ea non indocti modo, sed etiam rustici falsè dicant in eum,quisquis aliquid dixerit prior.Sũt enim longè venustiora omnia in respondendo,quàm in prouocando.Accedit difficultati,quòd eius rei nulla exercitatio est,nulli præceptores. Vtique in conuiuijs & sermonibus multi dicaces, sed quia in hoc vsu quotidiano proficimus, oratoria vrbanitas rara, nec ex arte propria, sed ad hanc consuetudinem accommodata. Nihil autem vetabat & componi materias in hoc idoneas, vt controuersiæ permixtis salibus fingerentur, vel res proponi singulas ad iuuenum talem exercitationem. Quin illæ ipsæ, quæ dicta sunt, ac vocantur, quas certis diebus festæ licentiæ dicere solebamus,si paulum adhibita ratione fingerentur, aut aliquid in his serium quoque esset admixtum,plurimum poterant vtilitatis afferre:quę nũc iuuenũ,vel sibi ludentiũ exercitatio est. ¶Pluribus autẽ nominibus in eadẽ re vulgo vtimur,

quæ tamen si diducas, suam propriã quandam vim ostendent.
[Nam & vrbanitas dicitur: qua quidem significari video ser- *Nomina ridi-*
monem præ se ferentẽ in verbis & sono & vsu propriũ quen- *culi varia. vt*
dam gustum vrbis, & sumptam ex conuersatione doctorũ ta- *Vrbanitas.*
citam eruditionem. Deniq; cui contraria sit rusticitas. [Venu- *Venustum.*
stum esse, quod cum gratia quadã & venere dicatur, apparet.
[Salsum in consuetudine pro ridiculo tantum accipimus: na- *Salsum.*
tura non vtiq; hoc est: quanquã & ridicula oporteat esse salsa.
Nam & Cicero, omne quod salsum sit, ait esse Atticorum, nõ
quia sunt maximè ad risum compositi. Et Catullus cum dicit,
Nulla in tam magno est corpore mica salis: nõ hoc dicit, nihil
in corpore eius esse ridiculum. Salsum igitur erit, quod nõ erit
insulsum, velut quoddam simplex orationis cõdimentũ, quod
sentitur latente iudicio, & velut palatũ excitat, quod & à tæ-
dio defendit orationem. Sanè tamen, vt ille in cibis paulo li-
beralius aspersus, si tamen non sit immodicus, affert aliquid
propriæ voluptatis: ita hi quoq; in dicendo habent quiddam,
quod nobis faciat audiendi sitim. [Facetum quoque non tantũ *Facetum.*
circa ridicula opinor consistere. Neq; enim diceret Horatius,
facetum carminis genus natura concessum esse Vergilio. De-
coris hanc magis, & excultæ cuiusdam elegãtiæ appellationẽ
puto. Ideóque in Epistolis Cicero hæc Bruti refert verba, Nec
vlli sunt pedes faceti, ac delicijs ingredienti mollius. Quod
conuenit cum illo Horatiano, Molle atque facetum, Vergilio.
[Iocum verò accipimus, quod est contrarium serio. Nam & *Iocus.*
fingere, & terrere, & promittere interim iocus est. [Dicacitas *Dicacitas.*
sine dubio à dicendo, quod est omni generi commune, ducta
est: propriè tamen significat sermonẽ cum risu aliquos inces-
sentem. Ideo Demosthenem vrbanum fuisse dicunt, dicacem
negant. Proprium autẽ materiæ, de qua nunc loquimur, est ri-
diculum. Ideóque hæc tota disputatio à Græcis περὶ γελοίου in-
scribitur. ¶Eius prima diuisio traditur eadem, quæ est omnis *SVMMA*
orationis, vt sit positũ in rebus, aut in verbis. [Vsus autem ma- *RIDICV*
ximè simplex. Aut enim ex alijs risum petimus, aut ex nobis, *LI DIVI-*
aut ex rebus medijs. Aliena autem reprehendimus, aut refuta- *SIO.*
mus, aut eleuamus, aut repercutimus, aut eludimus. Nostra ri-
dicule indicamus, & vt verbo Ciceronis vtar, dicimus aliqua
subabsurda. Nãque eadẽ, quę si imprudentibus excidant, stulta
sunt: si simulamus, venusta credũtur. Tertiũ est genus, vt idem
dicit, in decipiendis expectationibus, dictis aliter accipiendis,

cæteríſque, quæ in neutram perſonam contingunt. Ideóque à me media dicuntur. Item ridicula aut facimus aut dicimus.

FACTA *ridicula.*

¶ Facto riſus conciliatur interim admixta grauitate: vt, Marcus Cæcilius Prætor: cum ſellam eius curulem Cõſul Iſauricus fregiſſet, alteram poſuit loris intentam. Dicebatur autẽ Conſul à patre aliquando cæſus flagris. Interim ſine reſpectu pudoris, vt in illa pixide Cæliana. Quod neque Oratori, neque vlli graui viro conueniat. ¶ Idem autem de vultu geſtúque ridiculo dictum ſit, in quibus eſt quidem ſumma gratia, ſed maior, cum captare riſum non videntur. Nihil enim ex ijs quæ dicuntur ſalſa, dicitur inſulſius. Quanquàm autem gratiæ plurimũ dictis ſeueritas affert, fitque ridiculum id ipſum, quia qui dicit non ridet: eſt tamen interim & aſpectus & habitus oris, & geſtus non inurbanus, cum his modus contingit. Id porrò, quod dicitur, aut eſt laſciuum, aut hilare, qualia Galbæ pleraque: aut contumelioſum, qualia nuper Iunij Baſſi: aut aſperum, qualia Caſſij Seueri: aut lene, qualia Domitij Afri. [Refert his vbi quis vtatur. Nam in conuictibus, & quotidiano ſermone laſciua humilibus, hilaria omnibus conueniunt. Ludere nunq̃ velimus, longéque abſit propoſitũ illud, Potius amicum quàm dictum perdidi. In hac quidem pugna forenſi malim mihi lenibus interdicere: quanquã & contumelioſè & aſperè dicere in aduerſarios permiſſum eſt: cum accuſare etiam palàm, & caput alterius iuſtè petere conceſſum ſit. Sed hic quoq; tamen inhumana videri ſolet fortunæ inſectatio, vel quia culpa caret, vel quia recidere etiam in ipſos, qui obiecerunt, poteſt. [Primum itaque conſiderandũ eſt, & quis, & qua cauſa, & apud quem, & in quem, & quid dicat. Oratori minimè cõuenit diſtortus vultus, geſtúſq;, quæ in mimis rideri ſolent. Dicacitas etiã ſcurrilis, & ſcenica huic perſonæ alieniſſima eſt. Obſcœnitas vero nõ à verbis tantum abeſſe debet, ſed etiam à ſignificatione. Nam ſi quando obijci poteſt, non in omni loco exprobranda eſt. Oratorem præterea, vt dicere vrbanè volo, ita videri affectare id, planè nolo. Quapropter ne dicet quidem ſalſè quoties poterit, & dictũ potius aliquãdo perdet, quàm minuet authoritatem. Nec accuſatorem autem atroci in cauſa, nec patronum in miſerabili iocantem feret quiſquã. Sunt etiam iudices quidam triſtiores, quàm vt riſum libenter patiãtur. Solet interim accidere, vt id quod in aduerſarium dicimus, aut in iudicẽ conueniat, aut in noſtrũ quoque

DICTA *ridicula, & vbi ijs, & quomodo vtendũ.*

litigatorem:quanq̃ aliqui reperiuntur,qui ne id quidē,quod in ipſos recidere poſſit,euitent. Quod fecit Lōgus Sulpitius,qui cum ipſe fœdiſſimus eſſet, eum, contra quem iudicio liberali aderat,ne faciem quidem habere liberi hominis dixit.Cui reſpondēs Domitius Afer,Et tu,inquit,ex animi ſentētia Lōge? Qui malam faciem habet,liber non eſt? Vitandum etiam ne petulans,ne ſuperbū,ne loco,ne tempori alienū,ne prę̃paratū, & domo allatum videatur,quod dicimus.Nam aduerſus miſeros,ſicut ſuprà dixeram,inhumanus eſt iocus.Sed quidam ita ſunt receptæ authoritatis, & notæ verecundiæ,vt nocitura ſit in eos dicendi petulantia.Nam de amicis iam præceptum eſt. Illud non ad orandi ferè conſilium,ſed ad omnia pertinet.Ne laceſſat hoc modo,quem lædere ſit periculoſum,ne aut inimicitiæ graues inſequantur,aut turpis ſatiſfactio.Malè etiam dicitur,quod in plures cōuenit,ſi aut nationes totæ inceſſantur, aut ordines,aut conditio,aut ſtudia multorū. Ea quæ dicit vir bonus,omnia ſalua dignitate ac verecūdia dicet.Nimiū enim riſus precium eſt,ſi probitatis impendio conſtat. ¶Vnde autē concilietur riſus,& quibus ex locis peti ſoleat, difficillimū eſt dicere. Nam ſi ſpecies omnes perſequi velimus,nec modū reperiemus,& fruſtra laborabimus. Neq; enim numeroſi minus ſunt loci,ex quibus hęc dicta,quàm illi ex quibus eæ quas ſententias vocamus, ducuntur, neque alij. Nam hic quoq; eſt inuentio & elocutio,atq; ipſius elocutionis vis alia in verbis,alia in figuris. [Riſus igitur oriuntur,aut ex corpore eius in quem dicimus,aut ex animo: qui factis ab eo dictíſq; colligitur,aut ex ijs quæ ſunt extrà poſita.Intra hæc enim eſt omnis vituperatio:quæ ſi grauius poſita ſit,ſeria eſt:ſi leuius,ridicula. [Hæc aut oſtenduntur,aut narrantur,aut dicto notantur.Rarum eſt autem,vt oculis ſubijcere contingat,vt fecit C.Iulius,qui cum Helmio Manciæ ſæpius obſtrepenti ſibi diceret, iam oſtendā qualis ſis,iſque planè inſtaret interrogatione,qualem ſe tandē oſtenſurus eſſet, digito demōſtrauit imaginem Galli in ſcuto Mariano Cimbrico pictam,cui Mancia tum ſimillimus eſt viſus. Tabernæ autem erant circa forum, ac ſcutum illud ſigni gratia poſitum. [Narrare quæ ſalſa ſint,in primis eſt ſubtile, & oratorium,vt Cicero pro Cluentio narrat de Cepaſio atque Fabricio:ac Marcus Cælius de illa C.Lælij Collegæque eius in prouinciam feſtinantiū contentione.Sed in his omnibus cum elegans & venuſta exigitur tota expoſitio,tum id eſt feſtiuiſſi-

RIDICVLVM vnde petendum cum in alios dicimus,quod fit trifariā: oſtendendo, narrando, dicto notando.

Oſtenſio ridiculi.

Narratio.

Pro Cluent.

mum,quod adijcit Orator.Nam & à Cicerone ſic eſt Fabricij fuga illa condita.Itaque cum callidiſſimè ſe putaret'dicere,& cum illa verba grauiſſima ex intimo artificio deprompſiſſet: Reſpicite,inquit, hominum fortunas,reſpicite varios durósq; caſus,reſpicite C.Fabricij ſenectutem.Cum hoc reſpicite,ornandæ orationis cauſa ſæpè dixiſſet, reſpexit ipſe. At Fabricius à ſubſellijs demiſſo capite diſceſſerat,& cætera quæ adiecit:nam eſt notus locus,cum in re hoc ſolum eſſet,Fabricium à iudicio receſſiſſe.Et Cælius cum omnia venuſtiſſimè finxit, tum illud vltimũ ſic ſubſecutus: Quo modo tranſierit,vtrum rate,an piſcatorio nauigio,nemo ſciebat.Siculi quidẽ, vt ſunt laſciui & dicaces, aiebant in delphino ſediſſe, & ſic tanquam Ariona tranſuectũ. In narrando autem Cicero conſiſtere facetias putat,dicacitatem in iaciendo. Mire fuit in hoc genere venuſtus Afer Domitius,cuius orationibus cõplures huiuſmodi narrationes inſertæ reperiuntur:ſed dictorũ quoque ab eodem vrbanè ſunt editi libri. Illud quoq; genus eſt poſitũ non in hac veluti iaculatione verborũ, & incluſa breuiter vrbanitate,ſed in quodam longiore actu:quod de Craſſo cõtra Brutũ Cicero in ſecundo de Oratore libro, & alijs quibuſdam locis narrat.Nam cum Brutus in accuſatione Cn.Planci ex duobus lectoribus oſtendiſſet cõtraria,Lucium Craſſum patronũ eius in oratione quã de Colonia Narbonenſi habuerat,ſuaſiſſe ijs, quæ de lege Seruilia dixerat : tres excitauit & ipſe lectores, híſque patris eius dialogos dedit legẽdos:quorũ in Priuernati vnus,alter in Albano, tertius in Tiburti ſermonem habitum complecteretur,requirebat vbi eſſent eæ poſſeſſiones.Omnes autem illas Brutus vẽdiderat,& cum paterna mãciparet prædia,turpis habebatur. Similis in Apologis quoq;, & quibuſdã etiam interim hiſtorijs exponẽdis gratia conſequi ſolet.[Sed acutior eſt illa, atque velocior in vrbanitate breuitas. Cuius quidem duplex eſt forma: dicendi, ac reſpondendi:ſed ratio cõmunis in parte. Nihil enim in laceſſendo dici poteſt, quod non etiam in repercutiendo. At propria quædam ſunt reſpõdentium,illa etiam ira concitati afferre ſolent, hæc plerumq; in altercatione aut in rogandis teſtibus requiruntur. ¶Cum ſint autem loci plures,ex quibus dicta ridicula ducãtur, repetendum eſt mihi,non omnes eos Oratoribus cõuenire.In primis autem ex Amphibologia,neq; illa obſcura,quæ Atellanæ more captent,nec qualia vulgo iactantur,à viliſſimo quoque

Notatio.

RIDICV *lũ igiturvnde in alios petẽdum& primo quatenus ex verbis.*

conuerſa in maledictum ferè ambiguitate. Ne illa quidẽ, quæ Ciceroni aliquãdo, ſed non in agendo exciderũt, vt dixi, cum is candidatus qui coqui filius habebatur, coram eo ſuffragium ab alio peteret, Ego quoque tibi iure fauebo. Non quia excludenda ſint omnino verba duos ſenſus ſignificantia, ſed quia rarò bellè reſpõdeant, niſi cum prorſus rebus ipſis adiuuãtur. Quare non hoc modo penè & ipſum ſcurrile Ciceronis eſt in eundem, de quo ſuprà dixi, Iſauricũ: Miror quid ſit, quòd pater tuus homo conſtantiſſimus te nobis varium reliquit. Sed illud ex eodem genere præclarũ, cum obijceret Miloni accuſator in argumentũ factarum Clodio inſidiarũ, quòd Bouillas ante horam nonam diuertiſſet, vt expectaret dum Clodius à villa ſua exiret: & identidem interrogaret, quo tẽpore Clodius occiſus eſſet, reſpõdit, ſero: quod vel ſolum ſufficit, vt hoc genus non totum repudietur. Nec plura modo ſignificari ſolent, ſed etiam diuerſa: vt Nero de ſeruo peſſimo dixit, Nulli apud ſe plus fidei haberi, nihil ei neque occluſum neque obſignatũ eſſe. Peruenit res vſque ad ænigma, quale eſt Ciceronis in Pletorium Fontei accuſatorẽ, cuius matrem dixit, dum vixiſſet, ludum, poſtquam mortua eſſet, magiſtros habuiſſe. Dicebantur autem, dum vixit, infames fœminæ ad eam conuenire ſolitæ, poſt mortẽ eius bona vænibant: quanquã hic ludus per tranſlationem dictus eſt, magiſtri per ambiguitatem. In metalepſin quoque cadit ratio dictorum: Vt Fabius Maximus incuſans Auguſti congiariorum, quę amicis dabantur, exiguitatem, heminaria eſſe dixit. Nam congiariũ cum ſit commune liberalitatis atque menſuræ, à menſura ducta imminutio eſt rerum. Et hæc non tam frigida, quàm eſt nominum fictio, adiectis, detractis, mutatis literis, vt Aciſculũ, quia eſſet pactus Paciſculum: & Placidum nomine, quia is acerbus natura eſſet, Acidũ: & Tullium, cum fur eſſet, Tollium dictos inuenio. Sed hęc eadem genera commodius in rebus, quàm in nominibus reſpõdent. Afer enim venuſtè Manlium Suram multum in agendo diſcurſantem, ſalientem, manus iactantem, togã deijcientem & reponentem, nõ agere dixit, ſed ſatagere. Eſt enim dictum per ſe vrbanũ ſatagere, etiam ſi nulla ſubſit alterius verbi ſimilitudo. Fiunt & detracta, & adiecta aſpiratione, & binis cõiunctis verbis: ſimiliter ſæpius frigida, aliquãdo tamen recipienda. eadémq; cõditio eſt in ijs quæ à nominibus trahuntur. Multa ex hoc Cic. in Verrẽ, ſed vt ab alijs dicta. Modo futurũ,

vt omnia verreret,cum diceretur Verres: modò Herculi,quẽ expilauerat, moleſtiorẽ apro Erymanthio fuiſſe: modò malũ Sacerdotẽ,qui tam nequã Verrem reliquiſſet, quia Sacerdoti Verres ſucceſſerat.Præbet tamen aliquando occaſionem quędam felicitas hoc quoque genere benè vtendi: vt pro Cecinna Cicero in teſtem Sex.Clodium Phormionẽ,Nec minus niger, inquit, nec minus confidens,q̃ ille Terentianus eſt Phormio.

RIDICV ſũ ex rebus.

¶ Acriora igitur ſunt & elegãtiora,quæ trahuntur ex vi rerũ. In his maximè valet ſimilitudo, ſi tamen ad aliquid inferius leuiũſq; referatur: qua iam veteres illi iocabãtur, qui Lentulũ Spintherem,& Scipionem Serapionẽ eſſe dixerunt.Sed ea nõ ab hominibus modò petitur,verùm etiam ab animalibus, vt nobis pueris Iunius Baſſus,homo in primis dicax,aſinus albus vocabatur. Et Sarmentus ſeu Publius Bleſſus Iunium hominẽ nigrum & macrum & pandum, fibulam ferream dixit, quod nunc riſus petendi genus frequentiſſimum eſt.Adhibetur autẽ ſimilitudo interim palàm,interim inſeri ſolet parabolæ: cuius eſt generis id Auguſti, qui militi libellum timidè porrigenti, Noli,inquit,dubitare tanquam aſſem Elephãto des.Sunt quædam etiam veriſimilia: vnde Vatinius dixit,cum reus agente in eum Caluo,candido frontem ſudario tergeret,ídque ipſum accuſator in inuidiam vocaret: Quamuis reus ſum,inquit, & panem candidũ edo.Adhuc eſt ſubtilior illa ex ſimili tranſlatio,cùm quod in alia re fieri ſolet,in aliam mutuamur. Ea dicatur ſanè fictio,vt Chryſippus,cum in triũpho Cæſaris eburnea oppida eſſent tranſlata,& poſt dies paucos Fabij Maximi lignea, thecas eſſe oppidorum Cæſaris dixit.Et Pedo de mirmillone,qui retiariũ cõſequebatur,nec feriebat,Viuũ,inquit, capere vult. Iungitur amphiboliæ ſimilitudo:vt L. Galba qui pilam negligenter petenti: Sic,inquit,petis tanquam Cæſaris candidatus. Nam illud petis ambiguum eſt, ſecuritas ſimilis. Quod hactenus oſtẽdiſſe ſatis eſt. Cæterũ frequẽtiſſima aliorum generum cum alijs mixtura eſt,eáque optima,quę ex pluribus cõſtat.Eadem diſſimiliũ ratio eſt.Hinc eques Romanus, ad quem in ſpectaculis bibentem cum miſiſſet Auguſtus, qui ei diceret,ego ſi prandere volo, domum eo: Tu enim,inquit, non times,ne locũ perdas.Ex contrario nõ vna ſpecies. Neq; enim eodem modo dixit Auguſtus Præfecto, quẽ ignominia notabat,ſubinde interponẽti precibus,Quid reſpõdebo patri meo? Dic me tibi diſplicuiſſe. Quo Galba penulam roganti,

non possum cõmodare,domi maneo,cum cœnaculũ eius perplueret. Tertiũ adhuc illud,siquidẽ vt ne authorẽ ponam, verecundia ipsius facit,Libidinosior es q̃ vllus spado:quo sine dubio & opinio decipitur,sed ex contrario.Et hoc ex eodẽ loco est, sed nulli priorum simile,quod dixit Mar. Vestinius, cum ei nunciatum esset,aliquãdo desinet putere. Onerabo librum exemplis,similémq; ijs,qui risus gratia cõponuntur,efficiam, si persequi voluero singula veterum. [Ex omnibus argumentorum locis eadem occasio est. Nam & finitione vsus est Augustus de Pantomimis duobus,qui alternis gestibus cõtendebant,cum eorum alterũ saltatorem dixit,alterum interpellatorem. Et partitione Galba,cum penulã roganti respõdit, Non pluit,nõ est opus tibi:si pluit,ipse vtar. Proinde genere,specie, proprijs,differẽtibus,iugatis,adiunctis,cõsequentibus,antecedentibus, repugnantibus,causis,effectis, cõparatione parium, maiorum,minorũ,similis materia præbetur. [Sicut in tropos quoque omnes cadunt. An non plurima καθ' ὑπερβολὴν dicuntur? quale refert Cicero de Memmio homine prælongo,Caput eum ad fornicem Fabij offendisse. Et quod P. Oppius dixit de genere Lentulorum, cum assiduè minores parentibus liberi essent in nascendo. Interim vtrũque. Quid ironia? nónne etiã quæ sit verissima, ioci propè genus est? Qua vrbanè vsus est Afer,cum Didio Gallo,qui prouinciam ambitiosissimè petierat, deinde impetrata ea tanquã coactus querebatur, Age,inquit,aliquid,& reipublicæ causa elabora. Quáque Cicero vsus est,cum Vatinij morte nunciata, cuius parum certus dicebatur author: Interim,inquit,vsura fruar. Idem per allegoriam Marcũ Cælium melius obijcientem crimina quàm defendentem,bonam dexterã,malam siniſtrã habere dicebat. Emphasi Liuius dixit,ferro cotem Accium Nauium incidisse. [Figuras quoque mentis, quæ σχήματα διανοίας dicuntur,res eadẽ recipit omnes,in quas nonnulli diuiserunt species dictorum. Nam & interrogamus, & dubitamus, & affirmamus, & minamur, & optamus. Quædam vt miserantes, & quædam vt irascentes dicimus. Ridiculum est autem omne, quod apertè fingitur. ¶Stulta reprehendere facillimũ est,nam per se sunt ridicula. Sed rem vrbanam facit aliqua ex nobis adiectio. Stultè interrogauerat exeũtem de theatro Carpathiũ Tityus maximus,an spectasset: fecit Carpathius dubitationem eius stultiorem dicendo, Non, sed in orchestra pila lusi. [Refutatio cum sit in

Ex *argumẽtorum locis.*

Ex *tropis.*

Decrescere genus lentulorum.

Ex *figuris sententiarũ.*

RIDICVLUM *in respõdendo.*

Refutatio.

negando,redarguendo,defendendo,eleuãdo ridicule negauit Manius Curius.Nam cum eius accuſator in Sipario omnibus locis,aut nudum eum in neruo, aut ab amicis redemptum ex alea pinxiſſet,Ergo ego (inquit)nunquam vici. Redarguimus interim apertè,vt Cicero Vibium Curium multũ de annis ætatis ſuæ mentientẽ, Tũ ergo cum vnà declamabamus,non eras natus.Interim & ſimulata aſſenſione,vt idem Fabię Dolabellę dicenti,triginta ſe annos habere: Verum eſt,inquit,nam hoc iam viginti annis audio.Bellè interim ſubijcitur pro eo quod neges, aliud mordacius , vt Iunius Baſſus querente Domitia Paſſieni, ꝙ incuſans eius ſordes, calceos eam veteres diceret vendere ſolere:Non me hercule,inquit,hoc vnquam dixi,ſed emere te ſolere. [Defenſionem imitatus eſt eques Romanus, qui obijcienti Auguſto,quòd patrimoniũ comediſſet:Meum, inquit,putaui.[Eleuandi ratio eſt duplex,vt aut veniam quis, aut iactantiam minuat.Quemadmodum C.Cæſar Pomponio oſtendenti vulnus ore exceptũ in ſeditione Sulpitiana, quod ipſe ſe paſſum pro Cæſare pugnantem gloriabatur:Nunquam fugiens reſpexeris, inquit. Aut crimen obiectum, vt Cicero obiurgantibus quòd ſexagenarius Popiliam virginẽ duxiſſet, Cras mulier erit,inquit.Hoc genus dicti,cõſequens vocãt quidam,atque illi ſimile quo Cicero Curionẽ ſemper ab excuſatione ætatis incipientem, facilius quotidie proœmiũ habere dixit: quia iſta natura ſequi, & cohærere videantur. Sed eleuandi genus eſt etiam cauſarũ relatio, qua Cicero eſt vſus in Vatinium,qui pedibus æger,cum vellet videri commodioris valetudinis factus,& diceret ſe iam bina millia paſſuum ambulare:Dies enim,inquit,lõgiores ſunt.Et Auguſtus nunciantibus Tarraconenſibus palmam in ara eius enatam:Apparet, inquit,q̃ ſæpè accendatis. Tranſtulit crimen Caſſius Seuerus. Nam cũ obiurgaretur à Prætore,quòd aduocati eius L.Varro Epicureo Cęſaris amico conuiciũ feciſſent,Neſcio,inquit,qui conuiciati ſint, & puto Stoicos fuiſſe. [Repercutiendi multa ſunt genera, venuſtiſſimum quod etiam ſimilitudine aliqua verbi adiuuatur: vt Thracallus dicenti Suellio, Si hoc ita eſt, is in exilium : ſi non eſt ita, redis, inquit. Eluſit Caſſius Seuerus obijciente quodam quòd ei domo ſua Proculeius interdixiſſet, reſpondendo,Nunquid ego illuc accedo? [Sic eluditur & ridiculum ridiculo,vt diuus Auguſtus,cum ei Galli torquem aureum centũ pondo dediſſent,& Dolabella per iocum

Defenſio.

Eleuatio.

Repercuſſio.

Eluſio.

tentans tamen ioci ſui euentũ dixiſſet, Imperator torque me dona: Malo te, inquit, ciuica donare. Mendacium quoq; mendacio: vt Galba dicente quodam, victoriato ſe vno in Sicilia quinque pedes longam murenam emiſſe: Nihil, inquit, mirum: Nam ibi tam longæ naſcuntur, vt ijs piſcatores pro reſtibus vtantur. Contraria eſt neganti confeſſionis ſimulatio, ſed ipſa quoque multum habet vrbanitatis. Sic Afer cum ageret contra libertum Claudij Cæſaris, & ex diuerſo quidam conditionis eiuſdem cuius erat litigator, exclamaſſet, Præterea tu ſemper in libertos Cæſaris dicis: Nec mehercule, inquit, quicquam proficio. Cui vicinũ eſt, nõ negare quod obijcitur, cum & id palàm falſum eſt, & inde materia benè reſpondendi datur: vt Catulus dicenti Philippo, Quid latras? Furem video, inquit. ¶ In ſe dicere, non eſt ferè niſi ſcurrarum, & in Oratore vtique minime probabile. Quod fieri totidem modis quot in alios poteſt. Ideóque hoc quamuis frequens ſit, tranſeo. Illud verò etiam ſi ridiculum & indignum, tamen eſt homini tolerabile, quod aut turpiter, aut impotenter dicitur: Quod feciſſe quendam ſcio, qui humiliori liberè aduerſus ſe loquenti, Colaphum, inquit, tibi ducam, & formulam ſcribã, quòd caput durum habeas. Hic enim dubium eſt, vtrum ridere audientes, an indignari debuerint. ¶ Supereſt genus decipiendi opinione aut dicta aliter intelligendi, quæ ſunt in omni hac materia vel venuſtiſſima. Inopinatum, & à laceſſente poni ſolet: quale eſt quod refert Cicero, Quid huic abeſt, niſi res & virtus? Aut illud Afri, Homo in agendis cauſis optimè veſtitus. Et in occurrendo: vt Cicero audita falſa Vatinij morte, cum Quinium libertum eius interrogaſſet, Recté ne omnia? dicenti, rectè, Mortuus eſt, inquit. Plurimis autem circa ſimulationem & diſſimulationem riſus eſt, quæ ſunt vicina, & propè eadem. Sed ſimulatio eſt certam opinionem animi ſui imitantis: diſſimulatio aliena, parum ſe intelligere fingentis. Simulauit Afer, cum in cauſa ſubinde dicentibus, Celſinam diceret, cognouiſſet, quæ erat potens fœmina: Quis eſt inquit iſte? Celſinam enim videri ſibi virum finxit, Diſſimulauit Cicero cum Sex. Annalis teſtis reum læſiſſet, & inſtaret identidem accuſator ei: Dic Marce Tulli nunquid potes de Sexto Annali? Verſus tunc dicere cœpit de libro Ennij annali ſexto, Qui potis ingentis cauſas euoluere belli. Cui ſine dubio frequentiſſimã dat occaſionem ambiguitas: vt Caſſelio

RIDICV *lũ in ſeipſũ.*

EX ME- *dijs rebus ſiue in decipiẽdi expectatione, quod eſt tertium propoſitæ diuiſionis mẽbrum.*

qui consultori dicenti, nauem diuidere volo : perdes inquit. Sed auerti intellectus etiã aliter solet, cum ab asperioribus ad leniora deflectitur : vt qui interrogatus, quid sentiret de eo, qui in adulterio deprehensus esset, tardum fuisse respondit. Ei confine est, quod dicitur per suspicionẽ: quale illud apud Ciceronem querẽti ꝙ vxor sua è fico se suspẽdisset, rogo des mihi surculum ex illa arbore, vt inseram. Intelligitur enim quod nõ dicitur. Et hercle omnis falsè dicendi ratio in eo est, vt aliter quàm est, rectum verúmque dicatur: quod fit totum fingendis aut nostris, aut alienis persuasionibus, aut dicendo quod fieri non potest. Aliena finxit Iuba, qui querenti, quòd ab equo suo esset aspersus, quid tu, inquit, me hippocentaurum putas? Sua C. Cassius, qui militi sine gladio discurrenti, heus tu cõmilito, pugno bene vteris inquit. Et Galba de piscibus, qui cum pridie ex parte adesi, & versati, postero die appositi essent: Festinemus, alij subcœnant, inquit. Tertium illud Ciceronis (vt dixi) aduersus Curium. Fieri enim certè non poterat, vt cum declamaret, natus non esset. Est & illa ex ironia fictio, qua vsus est C. Cæsar. Nã cum testis diceret, à reo fœmina sua ferro petita, & esset facilis reprehensio cur illam potissimũ partem corporis vulnerare voluisset, Quid enim faceret, inquit, cũ tu galeam & loricam haberes? Vel optima est simulatio contra simulantem, qualis illa Domitij Afri fuit: Vetus habebat testamentum, & vnus ex amicis recentioribus sperans aliquid ex mutatione tabularũ, falsam tabulam intulerat, cõsulens eum, an primipilaris ei testamẽto suaderet ordinare suprema iudicia, Noli, inquit, facere, offendis illum. Iucundissima sunt autẽ ex his omnib⁹ lenia, & (vt sic dixerim) boni stomachi: vt Afer ingrato litigatori cõspectum eius vitanti, in foro per nomenclatorem missum ad eum, Amas me, inquit, quòd non te vidi. Et dispensatori, qui cum ad aliqua non responderet, dicebat subinde: Non comedi panem, & aquam bibo: Pasce, & redde quod debes : quæ ὑπαγωγὰς vocant. Est gratus iocus, qui minus exprobrat quàm potest: vt idem dicenti candidato, semper domũ tuam colui, cum posset palàm negare, credo inquit, & verum est. Interim de se dicere ridiculum est, & quod in alium, si absentem diceret, vrbanum non erat, quoniam ipsi palàm exprobratur, mouet risum : quale Augusti est, cum ab eo miles nescio quid improbè peteret, veniret contrà Martianus, quem suspicabatur & ipsum aliquid iniuste rogaturum:

Acad. 2.

Non magis,inquit, faciam commilito quæ petis, quàm quod Martianus à me petiturus eſt. Adiuuãt vrbanitatem & verſus commode poſiti,ſeu toti vt ſunt:quod adeo facile eſt,vt Ouidius ex tetraſticho Macri carmine librum in malos poetas cõ poſuerit. Quod fit gratius ſi qua etiam ambiguitate conditur: vt Cicero in Accium hominem callidum & verſutum, cum is in quadam cauſa ſuſpectus eſſet, Niſi qua Vlyſſes rate euaſit Laertius. Seu verbis ex parte mutatis:vt in eum, qui cũ antea ſtultiſſimus eſſet habitus, poſt acceptam hæreditatem primus ſententiam rogabatur,Cuius hæreditas eſt,quã vocant ſapientiam, pro illo facultas eſt. Seu fictis notis verſibus. Simile eſt quod παροιμία dicitur,& prouerbia opportune aptata:vt de homine in aquam lapſo,& vt alleuaretur roganti,Tollat te qui non nouit.Ex hiſtoria etiam ducere vrbanitatem eruditum,vt Cicero fecit, cum ei teſtem in iudicio Verris roganti dixiſſet Hortenſius,non intelligo hæc ænigmata:Atqui debes,inquit: cum ſphingẽ domi habeas. Acceperat autẽ ille à Verre ſphingem æneam,magnæ pecuniæ. Subabſurda illa conſtant ſtultis ſimili imitatione,& quę niſi fingãtur ſtulta ſunt,vt qui mirantibus quòd humile candelabrũ emiſſet,Pranſoriũ erit,inquit. Sed illa ſimilia abſurdis ſunt acria,quæ tanquam ſine ratione dicta ferũtur:vt ſeruus Dolabellæ, cum interrogaretur an dominus eius auctionem propoſuiſſet, Domũ,inquit, vendidit. Deprehenſi interim pudorem ſuum ridiculo aliquo explicãt: vt qui teſtem dicentem ſe à reo vulneratum,interrogauerat, an cicatrices haberet:cum ille ingentem in femore oſtẽdiſſet: Latus,inquit,oportuit.Contumelijs quoque vti bellè datur:vt Hiſpo obijcienti bis acerba crimina accuſatori,Mentiris,inquit.Et Fuluius propinquus Legato interroganti,an in tabulis quas proferebat, chirographus eſſet, Et verus,inquit domine.

Epilogus,cui adijcit ſeriũ vrbanitatis genus à Domitio Marſo proditum.

[Has aut accepi ſpecies,aut inueni frequentiſſimas,ex quibus ridicula ducerẽtur.Sed repetam neceſſe eſt,infinitas eſſe tam ſalſè dicendi,quàm ſeuerè: quas præſtat perſona,locus,tẽpus, caſus denique,qui eſt maximè varius. Itaque hęc ne omiſiſſe viderer, attigi: illa autẽ quæ de vſu ipſo,& modo iocandi cõplexus ſum,adeo infirma,ſed planè neceſſaria.His adijcit Domitius Marſus,qui de vrbanitate diligentiſſime ſcripſit,quædam non ridicula,ſed cuilibet ſeueriſſimæ orationi cõuenientia,eleganter dicta,& proprio quodã lepore iucunda:quę ſunt quidem vrbana,ſed riſum tamen non habent.Neque enim ei

de risu,sed de vrbanitate est opus institutũ,quam propriã esse nostræ ciuitatis ait:& serò sic intelligi cœptã,postquam vrbis appellationẽ,etiam si nomen propriũ non adijceretur,Romã tamen accipi sit receptũ:eámque sic finit,Vrbanitas est virtus quædã in breue dictũ coacta, & apta ad delectandos mouendósque homines in omnem affectum,maximè idonea ad resistendum,vel lacessendũ,prout quæque res ac persona desiderat.Cui si breuitatis exceptionem detraxeris,omnes orationis virtutes cõplexa sit.Nam sicut ista rebus & personis,& quod in vtrisq; oporteat dicere perfectæ eloquentiæ est. Cur autem breuẽ eam esse voluerit,nescio quidẽ. At quam in eodẽ libro dicat fuisse,& in multis narrandi vrbanitatem,paulò post ita finit,Catonis (vt ait) opinionẽ sequutus:Vrbanus homo erit, cuius multa bene dicta respõsáque erunt,& qui in sermonibus, circulis, cõuiuijs,item in concionibus,omni deniq; loco ridiculè, commodéque dicet,Risus erunt: quicunque hæc faciet, Orator.Quas si recipimus finitiones, quicquid benè dicetur, & vrbanè dicti nomen accipiet.Cæterũ illi,qui hoc proposuerat,consentanea fuit illa diuisio,vt dictorum vrbanorum,alia seria,alia iocosa,alia media faceret. Nam eadem est omnium benè dictorum. Verum mihi etiam iocosa quædam videntur posse non satis vrbanè referri. Nam meo quidem iudicio,illa est vrbanitas,in qua nihil absonum,nihil agreste,nihil inconditum,nihil peregrinũ, neque sensu,neque verbis, neque ore, gestúve possit deprehendi : vt non tam sit in singulis dictis q̃ in toto colore dicendi: qualis apud Græcos Atticismos ille redolens Athenarum proprium saporem.[Ne tamen iudicium Marsi hominis eruditissimi subtraham, Seria partitur in tria genera:honorificum,contumelioſum, medium.Et honorofici ponit exemplum Ciceronis quod pro Ligario apud Cæsarem, Qui nihil soles obliuisci,nisi iniurias.Et contummelioſi,quod Attico scripsit de Pompeio & Cæsare, Habeo quem fugiam, quem sequar non habeo.Et medij,quod ἀποφθεγματικὸν vocat, & est cum ita dixit:Neque grauem mortem accidere forti viro posse,neque immaturã Consulari,neque miseram sapienti. Quæ omnia sunt optimè dicta: sed cur propriè nomen vrbanitatis accipiant,non video.Quòd si nõ solũ totus(vt mihi videtur)orationis color meretur,sed etiã singulis dictis tribuendum est:illa potius vrbana esse dixerim,quę sunt generis eiusdem,quę ridicula dicuntur, & tamen ridicula non sunt:vt de

Tria seriorum genera ex Marsi sententia.

Pollione Asinio serijs iocísque pariter accommodato dictum est, Esse eum omnium horarum. Et de actore facile dicente ex tempore, ingenium eum in numerato habere. Etiam Pompeij, quod refert Marsus, in Ciceronem diffidentem eius partibus: Transi ad Cæsarē, me timebis. Erat enim, si de re minore, aut alio animo, aut denique non ab ipso dictū fuisset, quod posset inter ridicula numerari. Etiā illud, quod Cicero Cereliæ scripsit, reddens rationē cur illa C. Cæsaris tempora tam patienter toleraret: Hæc aut animo Catonis ferenda sunt, aut Ciceronis stomacho. Stomachus enim ille habet aliquid ioco simile. Hæc quæ mouebant, dissimulanda mihi non fuerunt: in quibus vt errauerim, legentes tamen non decepi, indicata diuersa opinione, quam sequi magis probantibus liberum est.

¶ De altercatione. Cap. V.

ALtercationis pręcepta poterant videri tunc inchoāda, cum omnia, quæ ad continuam orationem pertinent, peregissem. Nam est vsus eius ordine vltimus. Sed cum posita sit in sola inuentione, neque habere dispositionē possit, nec elocutionis ornamēta magnopere desideret, aut circa memoriam & pronunciationem laboret, priusq; secundā quinque partium, hanc quæ tota ex prima pendet, tractaturus nō alieno loco videor: quam scriptores ideo fortasse alij reliquerunt, quia satis cæteris præceptis in hanc quoq; videbatur esse prospectum. Constat enim aut intentione aut depulsione, de quibus satis traditū est: quia quicquid in actione perpetua circa probationes vtile est, idem in hac breui atque concisa prosit, necesse est. Neque alia dicuntur in altercatione, sed aliter aut interrogando, aut respōdendo. Cuius rei ferè omnis obseruatio in illo testium loco excussa nobis est. [Tamen, quia latius hoc opus aggressi sumus, neque perfectus Orator sine hac virtute dici potest, paululū impendamus huic quoque peculiaris operæ: quæ quidem in quibusdā causis ad victoriam vel plurimum valet. Nam vt in qualitate generali, in qua recténe factum quid, an contrà sit quæritur, perpetua dominatur oratio, & quæstionem finitionis actionis plerunque satis explicat, & omnia penè in quibus de facto constat, aut coniectura, artificiali ratione colligitur: ita in his causis, quæ sunt frequentissimæ, quæ vel solis extra artē probationibus, vel mixtis cōtinētur, asperrima in hac parte dimicatio est, nec alibi dixeris magis mucrone pugnari. Nā & firmissima quęq; memorię iudicis

Lib. 5. cap. 7. Vsus altercationis in iudicijs.

inculcãda ſunt:etiam præſtandũ quicquid in actione promiſimus,& refellenda mendacia.Nuſquã eſt deniq; qui cognoſcit intentior.Nec immerito quidam,quanquã in dicendo mediocres,hac tamen altercandi præſtãtia meruerunt nomẽ patronorum.At quidã litigatoribus ſuis illũ modo ambitioſum declamandi ſudorẽ præſtitiſſe contenti,cum turba laudantium deſtituunt ſubſellia,pugnámq; illam decertatoriã imperitis,ac ſæpe pullatæ turbæ relinquũt. Itaq; videas alios plerũque iudicijs priuatis ad altercationes vocari,alios ad probationẽ.Quę ſi diuidenda ſunt officia,hoc certè magis neceſſarium eſt,pudendúmq; dictu ſi plus litigãtibus proſunt minores.In publicis certè iudicijs vox illa pręconis,pręter patronos,ipſum qui egerit citat.¶Opus eſt igitur in primis ingenio veloci ac mobili,animo præſenti & acri.Non enim cogitandũ ſed dicendũ ſtatim eſt,& propè ſub conatu aduerſarij manus erigẽda.Quare cum in omni parte huuſce officij plurimũ facit, totas non diligenter modò, ſed etiam familiariter noſſe cauſas, tum in altercatione maximè neceſſarium eſt, omnium perſonarum, inſtrumentorum,temporũ,locorum,habere notitiam:alioqui & tacendum erit ſæpe,etiam alijs ſubijcientibus,plerũque autem ſtudio loquendi* fatuè modo accedendũ,quod nunquã accidit,ni noſtra credulitate aliena ſtultitia erubeſcamus.Neq; tantum hoc ipſis monitoribus clareſcit, quidã faciunt apertè quòd rixemur.Videas enim pleroſq; ira percitos exclamãtes, vt iudex audiat,cõtrarium id eſſe quod admoneamur,ſciátq; ille qui pronũciaturus eſt in cauſa,malũ quod tacetur.[Quare bonus altercator vitio iracũdiæ careat.Nullus enim rationi magis obſtat affectus,& fert extra cauſam,& plerũque deformia conuicia facere ac mereri cogit,& ipſos nonnunquam iudices incitat melior moderatio,ac nonnunq̃ etiã patientia. Neque enim refutanda tantum quæ è contrario dicuntur,ſed contemnenda,eleuãda,ridenda ſunt,nec vſquã plus loci reperit vrbanitas:odiũ mordet & pudor:cõtra turbantes audendũ, & impudentiæ fortiter reſiſtendũ.Sunt enim quidam præduri in hoc oris,vt obſtrepãt ingenti clamore,& medios ſermones intercipiant,& omnia tumultu cõfundant:quos vt nõ imitari, ſic acriter propulſare oportebit.& ipſorũ improbitas retũdenda,& iudices,vel præſidentes magiſtratus appellandi frequenter,vt loquẽdi vices ſeruentur. Nam eſt res animi iacentis,& mollis ſupra modum frontis,fallítq; plerunque q̃ probitas vo-

Prȩcepta altercandi.

catur, quæ eſt imbecillitas. [Valet autem in altercatione plurimũ acumen, quod ſine dubio ex arte nõ venit. Natura enim non docetur, arte tamẽ adiuuatur: in qua præcipuum eſt ſemper id in oculis habere, de quo quæritur, & quod volumus efficere. Quia propoſitum tenentes in rixã non ibimus, nec cauſæ debita tempora conuiciando conteremus, gaudebimúſq; ſi hoc aduerſarius facit. Omnia tẽpora ferè parata ſunt meditatis diligẽter, quę aut ex aduerſo dici, aut reſpõderi à nobis poſſint. [Nonnunquã tamen ſolet hoc quoque eſſe artis genus, vt quædam in actione diſſimulata ſubitò in altercãdo proferantur, & inopinatis eruptionibus, & ex inſidijs citiſſimo facto ſimillimũ. Id autẽ tantum faciendũ, cum eſt aliquid cui reſponderi non ſtatim poſſit: potuerat autem, ſi tempus ad diſponendum fuiſſet. Nã quod fideliter firmũ eſt, à primis ſtatim actionibus arripere optimũ eſt, quo ſæpius diutiúſq; dicatur. [Illud vix ſaltẽ præcipiendũ videtur, ne turbidus & clamoſus tãtum ſit altercator, & quales facti ſunt qui literas neſciunt. Nam improbitas licet aduerſario moleſta ſit, iudici inuiſa eſt. [Nocet etiam diu pugnare in ijs, quæ obtinere nõ poſſis. Nam vbi vinci neceſſe eſt, expedit cedere: quia ſiue plura ſunt de quibus quæritur, facilior erit in cæteris fides: ſiue vnum, mitior ſolet irrogari pœna verecũdiæ. Nam culpam præſertim deprehenſam pertinaciter tueri, culpa altera eſt. [Dum ſtat acies, multi in re conſilij atq; artis eſt, vt errantem aduerſarium trahas, & ire quamlongiſſimè cogas, vt vana interim ſpe exultet. Ideo quædam benè diſſimulantur inſtrumenta. Inſtant enim, & ſæpè diſcrimen omne cõmittunt, quod deeſſe nobis putãt, & faciunt probationibus noſtris authoritatem poſtulando. [Expedit etiam dare aliquid aduerſario, quod pro ſe putet, quod apprehendens maius aliquid cogatur dimittere: duas interim res proponere, quarum vtramlibet malè ſit electurus: quod in altercatione fit potentius, quàm in actione: quia in illa nobis ipſi reſpondemus, in hac aduerſarium quaſi confeſſum tenemus. [Eſt in primis acuti, videre quo iudex dicto moueatur, quid reſpuat: quod ex vultu ſæpiſſimè & aliquando etiam dicto aliquo factõve eius deprehenditur: & inſtare proficientibus, & ab ijs quæ non adiuuant, quammolliſſimè pedem oportet referre. Faciunt hoc medici quoque, vt remedia perinde perſeuerẽt adhibere, vel deſinãt, vt illa recipi vel reſpui videt. [Nonnunquã ſi rem euoluere propoſitam facile non ſit, infe-

renda eſt alia quæſtio:atq; in eam,ſi fieri poteſt,iudex auocandus.Quid enim cum reſpondere non poſſis,agendum eſt,niſi vt aliud inuenias cui aduerſarius reſpondere nō poſſit?In pleriſque iudex eſt auocandus,vt dixi,qui circa teſtes eſt locus,& perſonis modò diſtat,quòd hic patronorū inter ſe certamen, illic pugna inter teſtem & patronum. Exercitatio verò huius rei longè facilior.Nam eſt vtiliſſimum,frequenter cum aliquo qui ſit ſtudiorum eorundem, ſumere materiam, vel veræ vel etiam fictæ controuerſiæ,& diuerſas partes altercationis modo tueri:quod idem etiam in ſimplici genere quæſtionum fieri poteſt.[Ne illud quidem ignorare aduocatū volo,quo quæque ordine probatio ſit apud iudices proferenda:cuius rei eadem in argumentis ratio eſt,vt potentiſſima,prima & ſumma ponantur. Illa enim ad credendum præparant iudicem, hæc ad pronunciandum.

Ordo probationum.

¶De iudicio & conſilio. Cap.VI.

HIs pro noſtra facultate tractatis,non dubitaſſem trāſire protinus ad diſpoſitionem,quæ ordine ipſo ſequitur,niſi vererer, ne quoniam fuerūt qui iudicium inuentioni ſubiungerent,præterijſſe hunc locum quibuſdam viderer : qui mea quidem opinione adeo partibus operis huius omnibus cōnexus ac mixtus eſt,vt ne à ſentētijs quidē aut verbis ſaltē ſingulis poſſit ſeparari:nec magis arte traditur q̄ guſtus aut odor.Ideóq; nos quid in quaque re ſequēdum cauendúmq; ſit,docemus ac deinceps docebimus, vt ad iudiciū dirigatur.Præcipiam igitur,ne quod effici non poteſt,aggrediamur?vt contraria vitemus & cōmunia? ne quid in eloquendo corruptū obſcurúmq; ſit?Referatur oportet ad ſenſus,qui non docentur.Nec multū à iudicio credo diſtare conſilium,niſi q̄ illud oſtendētibus ſe rebus adhibetur,hoc latentibus,& aut omnino nondum repertis,aut dubijs.Et q̄ iudicium frequentiſ ſimè certum eſt:Conſilium verò eſt ratio quædam altè petita, & plerunq; plura perpendens & cōparans,habénſq; in ſe & inuentionem & iudicationem.[Sed ne hęc quidem præcepta in vniuerſum ſpectanda ſunt.Nam ex re ſumitur:cui locus ante actionem eſt frequenter. Nam Cicero ſummo cōſilio videtur in Verrem vel contrahere tempora dicēdi maluiſſe,q̄ in eum annum,quo erat Q.Hortēſius C O S.futurus incidere.Et in ipſis actionibus primum ac potētiſſimum obtinet locum. Nam quid dicendū,quid tacendum,quid diffitendū ſit exigere,con

Iudiciū quid diſtet à conſilio.

silij est:Negare sit satius an defendere:Vbi proœmio vtendũ & quali:Narrandúmne,& quomodo: Iure prius pugnandum, an æquo: Qui sit ordo vtilissimus:tum omnes colores, aspere an leniter,an etiam submissè loqui expediat.[Sed hęc quoque vt quisq; passus est locus,monuimus, idémque in reliqua parte faciemus:pauca tamẽ exempli gratia ponam,quibus manifestius appareat,quid sit,quod demõstrari posse præceptis non arbitror. Laudatur consilium Demosthenis,quòd cum suaderet bellum Athenienſibus parũ id prosperè expertis,nihil adhuc factum esse ratione monstrat.Poterat enim emendari negligentia. At si nihil esset erratum, melioris in posterum spei non erat ratio. Idem cum offensam vereretur, si obiurgaret populi segnitiem in asserenda libertate reipub. maiorum laude vti maluit, qui rem fortissimè administrassent. Nam & faciles habuit aures, & natura sequebatur, vt meliora probantes,peiorum pœniteret. Ciceronis quidem vel vna pro Cluentio quamlibet multis exemplis sufficeret oratio.Nam quod in eo cõsilium maximè mirer?primámne expositionem,qua matri,cuius filium premebat authoritas, abstulit fidem? an quòd idem corrupti iudicij crimen transferre in aduersarium maluit,quàm negare propter inueteratã(vt ipse dicit)infamiam? an quòd in re inuidiosa legis auxilio nouissimè est vsus?quo genere defensionis etiam offendisset nondum præmollitas iudicum mentes.An quòd seipsum inuito Cluentio facere testatus est?Quid pro Milone?q̃ non antè narrauit,quàm præiudicijs omnibus reum liberaret? quòd insidiarũ inuidiã in Clodium vertit?quanquam re vera fuerat pugna fortuita: quòd factum & laudauit, & tamen voluntatem Milonis remouit? quòd illi preces non dedit, & in earum locum ipse successit?Infinitum est enumerare,vt Cottæ detraxerit authoritatem,vt pro Ligario se opposuerit,Cornelium ipsa confessionis fiducia eripuerit.[Illud dicere satis habeo, nihil esse non modò in orando, sed in omni vita, prius consilio: frustrãque sine eo tradi cæteras artes,plúsque vel sine doctrina prudẽtiam,quàm sine prudentia facere doctrinam. Apparet etiam orationem accommodare locis,temporibus,personis,esse eiusdem virtutis. Sed hic quia latius fusus est locus,mixtúsque cum elocutione, tractabitur cum præcipere de aptè dicendo cœperimus.

Exempla cõsilij.

Olynth.2.

Olynth.3.

Ciceroïs prudentia.

M. FABII QVINTILIANI INstitutionum oratoriarum, Liber VII.

¶De diuiſione ſeu parenchireſi. Cap. I.

Diſpoſitionis cõmendatio.

DE inuentione(vt arbitror) ſatis dictum eſt. Neque enim ea demum,quæ ad docẽdum pertinent,executi ſumus,verum etiam motus animorum tractauimus. Sed vt opera extruentibus ſatis non eſt,ſaxa atque materiam,& cætera ædificanti vtilia congerere niſi diſponendis eius,collocandíſque artificum manus adhibeatur: ſic in dicendo quãlibet abundans rerum copia,cumulum tantum habeat atque congeſtum,niſi illas eadem diſpoſitio in ordinem digeſtas, atque inter ſe commiſtas deuinxerit.Nec immerito ſecunda quinque partiũ poſita eſt,cum ſine ea prior nihil valeat.Nec enim quanquam fuſis omnibus membris,ſtatua ſit,niſi collocentur.Et ſi quam in corporibus noſtris aliorúmve animalium partem permutes & trãſferas,licet habeant eadem omnia,prodigium ſit tamen.Et artus etiam leuiter loco moti perdũt,quo viguerunt,vſum: & turbati exercitus ſibijpſi ſunt impedimento.Nec mihi videntur errare,qui ipſam rerum naturam ſtare ordine putant, quo confuſo peritura ſint omnia. Sic oratio carens hac virtute tumultuetur neceſſe eſt,& ſine rectore fluitet,nec cohæreat ſibi: multa repetat, multa tranſeat, velut nocte in ignotis locis errans:nec initio,nec fine propoſito, caſum potius quàm conſilium ſequatur.Quapropter totus hic liber ſeruiat diſpoſitioni: quæ quidem, ſi certa aliqua via tradi in omnes materias vllo modo poſſet,non tam paucis contigiſſet. Sed cum infinitæ litium formæ fuerint,futuræque ſint,& tot ſeculis nulla reperta ſit cauſa,quæ eſſet tota alteri ſimilis,ſapiat oportet actor,& vigilet,& inueniat,& iudicet,& conſiliũ à ſeipſo petat.Neq; infi cias eo quædã eſſe, quæ demonſtrari poſſint:eáq; non omittã.

¶De diſpoſitione in vniuerſum. cap.II.

Diuiſio. Partitio. Diſpoſitio.

SIt igitur(vt ſuprà ſignificaui)Diuiſio rerum plurium in ſingulas.Partitio ſingularum in partes, diſcretus ordo, & recta quædam collocatio prioribus ſequentia annectens. Diſpoſitio vtilis rerum ac partium in loco diſtributio. ¶Sed meminerimus ipſam diſpoſitionem plerumque vtilita-

te mutari, nec eandem ſemper primam quæſtionem ex vtraque parte tractandã. Cuius rei vt cætera exempla præteream, Demoſthenes quoque atque Aeſchines poſſunt eſſe documẽto in iudicio Cteſiphontis, diuerſum ſecuti ordinem, cum accuſator à iure, quo videbatur potẽtior, cœperit: patronus omnia vel penè omnia ante ius poſuerit, quibus iudicem quęſtioni legum præpararet. Aliud enim alio docere prius expedit, alioqui ſemper petitoris arbitrio diceretur. Denique in accuſatione mutua, vt ſe vterque defendat priuſquam aduerſariũ arguat, omnium rerum neceſſe eſt ordinem eſſe diuerſum. ¶ Igitur quid ego ſim ſecutus, quod partim præceptis, partim vſurpatum ratione cognoueram, promam: nec vnquam diſſimulaui. Erat mihi curæ in controuerſijs forẽſibus noſſe omnia quæ in cauſa verſarentur. Nam in ſchola certa ſunt & pauca, & ante declamationem exponuntur: quæ θέματα Græci vocant, Cicero propoſita. Cum hæc in conſpectu quodammodo collocaueram, non minus pro aduerſa parte, quàm pro mea cogitabam. Et primum (quod non difficile dictu eſt, ſed tamen ante omnia intuendum) conſtituebam, quid vtraque pars vellet efficere, tum per quid, hoc modo: Cogitabam quid primum petitor diceret. Id aut confeſſum erat, aut controuerſum. Si confeſſum, non poterat ibi eſſe quæſtio. Trãſibam ergo ad reſponſum partis alterius, idem intuebar: nonnunquam etiam quod inde obtinebatur, confeſſum erat. Vbi primum cœperat non conuenire, quæſtio oriebatur. Id tale eſt, Occidiſti hominem, occidi, conuenit: tranſeo. Rationem reddere debet reus quare occiderit: Adulterium, inquit, cum adultera occidere licet, legem eſſe certum eſt. Tertium iam aliquid vidẽdum eſt, in quo pugna conſiſtat. Non fuerunt adulteri, fuerunt: quęſtio. De facto ambigitur: coniectura eſt. Interim ergo & tertium confeſſum eſt, adulteros fuiſſe. Sed tibi, inquit accuſator, illos non licuit occidere. Exul enim eras, & ignominioſus, de iure quæritur. At ſi protinus dicenti, occidiſti, reſpõdeatur, non occidi, ſtatim pugna eſt. [Sic explorandũ eſt vbi cõtrouerſia inciat, & conſiderari debet, quæ primam quæſtionẽ facit: Intentio ſimplex, Occidit Saturninum Rabirius: Cõiuncta, Lege de ſicarijs commiſit L. Varenus. Nam C. Varenum occidendo, & Cn. vulnerando, & Salarium item occidendo, ✳ cadit. Nam ſic diuerſæ propoſitiones erunt, quod idem de petitionibus dictum ſit. Verum ex coniuncta propoſitione, plures eſſe quæ-

DISPOSItio aliquando vtilitate mutatur.

Tota cauſa ponenda ante oculos, & in eadem videndũ in quo ſit cõtrouerſia.

ſtiones ac ſtatus poſſunt, ſi aliud negat reus, aliud defēdit, aliud iure actionis excludit. In quo genere agendi eſt diſpiciēdum, quid quoque loco diluat.

ACTORIS *diſpoſitio.*

¶ Quod pertinet ad actorem, nō plane diſſentio à Celſo, qui ſine dubio Ciceronem eſt ſecutus. Inſtat tamen huic parti vehementius, vt putet primo firmum aliquid eſſe ponendum, ſummo firmiſſimum, imbecilliora medio: quia & initio mouēdus ſit iudex, & ſummo impellendus.

DISPOSI*tio pro reo.*

¶ At pro reo plerunque grauiſſimum quicque primum mouendum eſt, ne illud ſpectans iudex reliquorum defenſioni ſit auerſior. Interim tamen & hoc mutabitur, ſi leuiora illa palàm falſa erūt, grauiſſimi defenſio difficilior, vt detracta prius accuſatoribus fide aggrediamur vltimum, iam iudicibus omnia vana eſſe credentibus. Opus erit tamen præfatione, qua & ratio reddatur dilati criminis, & promittatur defēſio, ne id quod non ſtatim diluemus, timere videamur. Anteactæ vitæ crimina plerūque prima purganda ſunt, vt id de quo laturus eſt ſententiam, iudex audire propitius incipiat. Sed hoc quoque pro Vareno Cicero in vltimum diſtulit, non quid frequentiſſimè, ſed quid tum expediret, intuitus.

Cum vnū reſpōdendū eſt, quomodo id quærendum.

[Cum ſimplex intentio erit, videndum eſt, an vnum aliquid reſpondeamus, an plura. Si vnum, in re quæſtionem inſtituamus, an in ſcripto. Si in re, negandum ſit quod obijcitur, an tuendum. Si in ſcripto, in qua ſpecie iuris pugna ſit, & in ea de verbis, an volūtate quæratur. Id ita conſequemur, ſi intuiti fuerimus quæ ſit lex quæ litem faciat, hoc eſt, qua iudicium ſit conſtitutum. Nam quædam in ſcholaſticis ponuntur ad coniungendā modo actæ rei ſeriem, vt, Pater expoſitum qui agnouerit, ſolutis alimentis recipiat. Minus dicto audiētem filium liceat abdicare. Qui expoſitum recepit, imperat ei nuptias locupletis propinqui, ille ducere vult filiam pauperis educatoris. Lex de expoſitis ad effectum pertinet. Iudiciū pendet ex lege abdicationis. Nec tamen ſemper ex vna lege quæſtio eſt, vt in ἀντινομία. His ſpectatis apparebit circa quæ pugna ſit. Cōiuncta defenſio eſt, qualis pro Rabirio: Si occidiſſet, rectè feciſſet, ſed non occidit.

Cū multa cōtra vnam intentionē dicū tur, quis ordo ſeruādus.

[Vbi verò multa contra vnam propoſitionem dicimus, cogitandum eſt primum quicquid dici poteſt: tum ex ijs quo quicque loco dici expediat ordinādum. In quo non idem ſentio, quod de propoſitionibus paulo antè, quódque de argumētis probationum loco conceſſi, aliquando nos incipere à firmioribus. Nam vis quæſtionum creſcere debet, & ad potentiſſima ab infirmiſſi-

mis peruenire,siue sunt eiusdem generis,siue diuersi. Iuris autem quæstiones solent esse nonnunquã ex alijs atque alijs conflictationibus, facti semper idem spectant,in vtroque genere similis ordo est.[Sed prius de dissimilibus,ex quibus infirmissimum quicque primum tractari oportet. Ideóque quasdam quæstiones executi donare solemus,& cõcedere.Neque enim transire ad alias possumus,nisi omissis prioribus.Quod ipsum ita fieri oportet,non vt damnasse eas videamur,sed omisisse, quia possumus etiam sine eis vincere. Procurator alicuius pecuniam petit ex fœnore hæreditario,potest incidere quæstio, an huic esse procuratorem liceat. Finge nos postquam tractauimus remittere vel etiam cõuinci: quæretur, an ei cuius nomine litigatur,procuratorem habẽdi sit ius.Discedamus hinc quoque: recipit materia quæstionem, an ille cuius nomine agitur,hæres sit fœneratoris,an ex asse hæres.Hæc quoque concessa sint,quæretur,an debeatur. Contrà nemo tã demens fuerit, vt id quod firmissimum duxerit se habere, remittat,& ad leuiora transcendat.Huic in schola simile est: Non abdicabis adoptatum,vt hunc quoque,num virum fortem,vt & fortem num quicunque volũtati tuæ non paruerit,in alia omnia subiectus sit: num propter opinonem: & num propter talem opinionem. Hæc iuris quæstionum differentia est. [In factis autem ad idem tendentia sunt plura.Ex quibus aliqua citra summam quæstionem remitti solent, vt si is cum quo furti agitur, dicat, proba te habuisse, proba te perdidisse,proba te furto perdidisse, proba te mea fraude. Priora enim remitti possunt, vltimum non potest. ¶Solebam & hoc facere præcipuè,vt vel ab vltima specie(nam ea ferè est,quæ continet causam) retrorsum quærerem vsque ad primam generalem quæstionem,vel à genere ad extremam speciem descenderem,etiam in suasorijs. Vt deliberat Numa, an regnum offerentibus Romanis recipiat.Primum id est genus,an regnandum:an in ciuitate aliena,an Romæ: an laturi sint Romani talem Regem. Similiter & in controuersijs.Optet enim vir fortis alienam vxorem. Vltima species est,an optare possit alienã vxorem. Generale est,an quicquid optauerit,accipere debeat:inde an ex priuato,an nuptias, an maritum habentem. Sed hoc non quemadmodũ dicitur,ita & quæritur.Primũ enim occurrit ferè,quod est vltimũ dicendum:vt hoc,non debes alienam vxorem optare.Ideóq; diuisionẽ perdit festinatio. Non opor-

Ordo dissimilium quæstionũ.

Ordo similiũ, siue ad idem tendentium.

Aliud præceptum dispositionis pro reo

tet igitur offerentibus ſe contentum eſſe. Quæratur aliquid quod eſt vltrà, ſi ne viduam quidem: adhuc plus, ſi nihil ex priuato: vltimum retrorſum, quod idem à capite primum eſt, ſi nihil iniquum. Itaque propoſitione viſa, quod eſt facillimum, cogitemus, ſi fieri poteſt, quid naturale ſit primum reſponderi. Id ſi tanquã res agatur, & nobiſipſis reſpõdendi neceſſitas ſit, intueri voluerimus, occurrit. Si id non contigerit, ſeponamus id quod primum ſe obtulerit, & ipſi nobiſcum ſic loquamur: Quòd ſi hoc non eſſet, id iterum, & tertium, & dum nihil ſit reliqui. Itáque inferiora quoque ſcrutabimur, quæ tractata faciliorem nobis iudicẽ in ſumma quæſtione facient. [Non diſſimile huic eſt & illud præceptum, vt à communibus ad propria veniamus. Ferè enim communia generalia ſunt. Commune eſt, tyrannum occidit: proprium, Viriatum tyrannum occidit, mulier occidit, vxor occidit. ¶ Solebam & excerpere quid mihi cum aduerſario conueniret, ſi modo id pro me erat: nec ſolum premere confeſſionem, ſed partiendo multiplicare: vt in illa controuerſia, Dux qui competitorem patrem in ſuffragijs vicerat captus eſt. Euntes ad redimẽdum eum Legati, obuium habuerunt patrem reuertẽtem ab hoſtibus: is Legatis dixit, ſerò itis. Excuſſerunt illi patrem, & aurum in ſinu eius inuenerunt, ipſi perſeuerauerunt ire quò intenderant, inuenerũt ducem crucifixum, cuius vox fuit, Cauete proditorẽ: Reus eſt pater. Quæ conueniunt? proditio nobis prodita eſt, & prodita à duce, quærimus proditorem, te ijſſe ad hoſtes fateris, & ijſſe clàm, & ab his incolumem rediſſe, aurum retuliſſe, & aurum occultum habuiſſe. Nam quod fecit, id nonnũquam potentius fit in propoſitione: quæ ſi animos occuparit, propè aures ipſi defenſioni præcluduntur. In totum autem congregatio criminum accuſantem adiuuat, ſeparatio defendentem. ¶ Solebam id, quod fieri & in argumentis dixi, in tota facere materia, vt propoſitis extra quæ nihil eſſet omnibus, deinde cæteris remotis, ſolum id ſupereſſet quod credi volebam: vt in præuaricationum criminibus vt abſoluatur reus, aut innocentia ipſius fit, aut interueniente aliqua poteſtate, aut vi, aut corrupto iudicio, aut difficultate probationis, aut præuaricatione. Nocẽtem fuiſſe confiteris, nulla poteſtas obſtitit, nulla vis, corruptum iudicium non quereris, nulla probandi difficultas fuit: quid ſupereſt, niſi vt præuaricatio fuerit? Si omnia amoliri non poteram, tamen plura amoliebar. Hominem occiſum eſſe conſtat

Alia præcepta.

Item aliud præceptum.

non in ſolitudine,vt à latronibus ſuſpicer:non prædæ gratia, quia inſpoliatus eſt:nõ hæreditatis ſpe,quia pauper fuit.Odiũ igitur in cauſa:quis inimicus?¶Quæ res autem faciliorem di uiſioni viam pręſtat,eadẽ inuentioni quoq; excutere quicquid dicitur,poteſt: & velut reiectione facta ad optimũ peruenire. Accuſatur Milo,q̃ Clodium occiderit:aut fecit,aut non.Opti mum erat negare:ſi non poteſt,occidit.Ergo,aut iure,aut iniu ria.Vtique iure,aut volũtate igitur,aut neceſſitate.Nam igno rantia prætendi non poteſt: Voluntas anceps eſt. Sed quia ita id homines putant,adiungenda defenſio,vt id pro repub.fue- rit.Neceſſitate,ſubita igitur pugna,non pręparata:alter igitur inſidiatus eſt.Vter?profecto Clodius. Vidéſne vt ipſa rerũ ne- ceſſitas deducat ad defenſionem? Adhuc,aut vtique voluit oc cidere inſidiatorẽ Clodium,aut non.tutius ſi noluit.Fecerunt ergo ſerui Milonis neque iubente, neque ſciente Milone . At hæc tam timida defenſio detrahit authoritatem illi,qua rectè dicebamus occiſum. Adijcietur:Quod ſuos quiſque ſeruos in tali re facere voluiſſet.Hoc eo eſt vtilius,quòd ſæpe nihil pla- cet,& aliquid dicendum eſt.Intueamur ergo omnia, ita appa- rebit, aut id quod optimum eſt, aut id quod minimè malum. [Propoſitione aliquando aduerſarij vtendum,& eſſe nonnun quam communem eam ſuo loco dictum eſt . ¶Multis milli- bus verſuum ſcio apud quoſdam eſſe quæſitũ,quomodo inue- niremus vtra pars deberet prior dicere,quod in foro,vel atro citate formularum,vel modo petitionum,vel nouiſſimè ſorte diiudicatur.In ſchola quæri nihil attinet,cum in declamatio- nibus ijſdem narrare, & cõtradictiones ſoluere tam ab acto- re,quàm à poſſeſſore conceſſum ſit.Sed in plurimis controuer ſijs ne inueniri quidem poteſt,vt in illa:Qui tres liberos habe bat,Oratorem,philoſophum,& medicum,teſtamẽto quatuor partes fecit, & ſingulas ſingulis dedit : vnam eius eſſe voluit, qui eſſet vtiliſſimus ciuitati . Contendunt quis primus dicat, incertum eſt,propoſitio tamen certa. Ab eo enim cuius perſo- nam tuebimur,incipiẽdum erit ¶Et hæc quidem de diuiden do in vniuerſum præcipi poſſunt . At quo modo inueniemus etiam illas occultiores quæſtiones? ſcilicet quo modo ſenten- tias,verba,figuras,colores:ingenio,cura,exercitatione.Non ta men ferè vnquam niſi imprudentem fugerint, ſi(vt dixi)na- turam ſequi ducem velit.Sed plerique eloquentiæ famam affe ctantes contenti ſunt locis ſpecioſis modo, vel nihil ad pro-

Diuiſio adiu- uat inuentio- nem,& dele- ctũ eius præ- ſtat.

Vtri parti prius dicẽdũ.

De occultiori bus quæſtioni bus.

bationem conferentibus. Alij nihil vitantes,ea quæ in oculos incurrunt, exquirenda putant. Quod quo facilius appareat, vnã de ſchola cõtrouerſiam non ita ſanè difficilẽ, aut nouam proponam in exemplum:Qui reo proditionis patri non affuerit,exhæres ſit.Proditionis damnatus cũ aduocato exulet.Reo proditionis patri diſertus filius affuit,ruſticus nõ affuit: dãnatus abijt cum aduocato in exilium.Ruſticus cum fortiter feciſſet,prẽmij nomine impetrauit reſtitutionem patris & fratris. pater reuerſus inteſtatus deceſſit, petit ruſticus partem bonorum,Orator totum ſibi vendicat. Hic illi eloquẽtes,quibúſq; nos circa lites raras ſolicitiores ridiculi videmur,inuadẽt perſonas fauorabiles:Actio pro ruſtico contra diſertum,pro viro forti cõtra imbellẽ,pro reſtitutore contra ingratũ, pro eo qui parte contentus ſit,contra eũ qui fratri nihil dare ex paternis velit.Quæ omnia ſunt in materia,& multũ iuuant,victoriam tamen non tradunt.In hac quærẽtur ſententiæ,ſi fieri poterit, præcipites vel obſcuræ.Nam ea nunc virtus eſt, * & pulchrè fuerit cum materia tumultu & clamore tranſactum. Illi verò quibus propoſitũ quidem melius,ſed cura in proximo eſt,hęc velut innatantia videbunt,excuſatum eſſe ruſticum, qui non interfuerit iudicio nihil collaturus patri, ſed ne diſertum quidem habere quod imputet reo,cum is damnatus ſit. Dignum eſſe hæreditate reſtitutorem,non auarum,impium,ingratum, qui diuidere nolit cum fratre, eóque ſic merito. Quæſtionem quoq; illam primã ſcripti & voluntatis, qua nunc expugnata, non ſit ſequentibus locus.At qui naturã ſequetur,illa cogitabit,primo hoc dicturũ ruſticũ: Pater inteſtatus duos nos filios reliquit,partẽ iure gẽtium peto.Quis tam imperitus?quis tam procul à literis?quin ſic incipiat,etiã ſi neſcierit quid ſit propoſitio?Hanc cõmunem omnium legem leuiter adornabit,vt iuſtam : Nempe ſequetur, vt quæramus quid huic tam æquæ poſtulationi reſpondeatur.At id manifeſtum eſt.Lex eſt,quæ iubet exhæredem eſſe eum,qui patri proditionis reo non affuerit,tu autem non affuiſti.Hanc propoſitionẽ neceſſariò ſequitur legis laudatio,& eius qui non affuerit,vituperatio Adhuc verſamur in confeſſis, redeat animus ad petitorem: nunquid non hoc cogitet neceſſe eſt,niſi quis ſit planè hebes?Si lex obſtat,nulla lis eſt,inane iudicium eſt:atqui & legem eſſe, & hoc quod ea puniat,à ruſtico factum, extra dubitationẽ eſt. Quid ergo dicemus?Ruſticus eram.Sed lex erat,omnes cõplectitur,

Exemplo docet vtilia ſpecioſis i deligẽdis quæſtionibus prẽponenda eſſe.

nihil proderit. Quæramus ergo, num infirmari in aliqua parte lex possit: Quid aliud (sæpius dicã) natura permittit, quàm vt cum verba contrà sint, de voluntate quæratur? Generalis igitur quæstio, verbis an voluntate sit standum. Sed enim in commune de iure omni disputandum semper, nec vnquam satis iudicatũ est. Quærendum igitur in hac ipsa, qua consistimus, an aliquid inueniri possit, quod scripto aduersetur. Ergo quisquis nõ affuerit, exhæres erit? quisquis sine exceptione? Iam se illa vel vltrò offerent argumenta: Filius infans & æger non affuit, & qui aberat, & qui militabat, & qui in legatione erat. Iam multum acti est, posset aliquis nõ affuisse, & hæres esse. Transeat nunc idem ille qui cogitauit, vt ait Cicero, tibicinis latini modo ad disertum, Vt ista concedam, tu nec infans es, nec æger eras, nec abfuisti, nec militasti. Non aliud occurrit quàm illud, Sed rusticus sum. Contrà, quod palàm est, dicet: Vt agere non potueris, assidere potuisti. Et verum est, quare redeundum est rustico ad animũ legumlatoris: Impietatem punire voluit, ego autem impius non sum. Contra quæ disertus: Tu impie fecisti, inquit, cum exhæredationem meruisti, licet te postea, vel pœnitentia, vel ambitus ad hoc genus optionis adduxerit. præterea propter te damnatus est pater. Videbaris enim de causa pronũtiasse. Ad hæc rusticus: Tu verò in causa damnationis fuisti: Multos offenderas: Inimicitias domi cõtraxeras. Hæc coniecturalia. Illud quoque quod coloris loco rusticus dicit, patris fuisse tale cõsilium, ne vniuersam domum periculo subijceret. Hæc prima quæstione scripti & voluntatis continentur. Intendamus vltrà animum, videamúsque an aliquid inueniri præterea possit, quo id modo fiat. Sedulò imitor quærentem, vt quærere doceam, & omisso speciosiore illo styli genere ad vtilitatem me submitto discentium. Omnes adhuc quęstiones ex persona petitoris ipsius duximus: Cur nõ aliquid circa patrem quærimus? Dictum verò est, cui quis non affuerit, exhæres erit. Cur non conamur & hic quærere, num cuicunq; non affuerit? Facimus hoc sæpe in ijs cõtrouersijs, in quibus petuntur in vincula, qui parẽtes suos non alunt, an eum testimonium in filium impietatis reum dixit, an eum qui filium lenoni vendidit? In hoc de quo loquimur patre, quid apprehendi potest? Damnatus est. Nunquid igitur lex ad absolutos tantum patres pertinet? dura prima fronte quæstio est. Non despe remus, credibile est hoc voluisse legũlatorẽ, ne auxilia libero-

Pro Murena

rum innocentibus deeſſent. Sed hoc dicere ruſtico verecundum eſt, quia innocentem fuiſſe patrem fatetur. Dat aliud argumentum controuerſia. Damnatus proditionis cum aduocato exulet. Vix videtur poſſe fieri, vt pœna filio eadem, patri & ſi affuerit, & ſi non affuerit, conſtituta ſit. Præterea lex ad exules nulla pertinet: Non ergo credibile eſt de non aduocato damnari ſcriptum. An poſſint enim bona eſſe vlla exulis, ruſticus in vtraque parte dubium facit. Diſertus & verbis inhærebit, in quibus nulla exceptio eſt, & propter hoc ipſum pœnã eſſe conſtitutã eis, qui non affuerint, ne periculo exili deterreantur ab aduocatione, & ruſticum innocenti non affuiſſe dicet. Illud protinus non indignum quod annotetur, poſſe ex vno ſtatu duas generales fieri quæſtiones: An quiſquis, an cuicunque. hæc ex duabus perſonis quæſita ſunt. E tertia autem, quæ eſt aduerſarij, nulla oriri quæſtio poteſt: quia nulla fit ei de ſua parte controuerſia. Nondum tamen cura deficiat. Iſta enim omnia dici poſſent, etiam nõ reſtituto patre. Nec ſtatim eò tendamus, quod occurrit vltrò à ruſtico reſtitutum. Qui id ſubtiliter quæret aliquid ſpectabit vltrà. Nam vt genus ſpecies ſequitur, ita ſpeciem genus præcedit. Fingamus ergo ab alio reſtitutum, ratiocinatiua atque collectiua quæſtio orietur: an reſtitutio pro ſublatione iudicij ſit, & perinde valeat, ac ſi iudicium non fuiſſet. Vbi tentabit ruſticus dicere, ne impetrare quidem aliter potuiſſe ſuorum reſtitutionem vno præmio, niſi patre perinde ac ſi accuſatus non eſſet, reuocato: quæ res aduocati quoque pœnam tanquam is non affuiſſet, remiſerit. Tum veniemus ad id quod primum occurrebat, à ruſtico reſtitutum eſſe patrẽ. Vbi rurſus ratiocinamur, an reſtitutor accipi debeat pro aduocato, quando id præſtiterit, quod aduocatus petijt, nec improbum ſit pro ſimili accipi quod plus eſt: Reliqua iam æquitatis ſunt, vtrius iuſtius ſit deſiderium. Id ipſum adhuc diuiditur, etiam ſi vterque ſibi totum vendicaret, nũc vtique cum alter ſemiſſem, alter vniuerſa fratre excluſo. Sed his tractatis etiam habet magnum momentum apud iudices patris memoria, cum præſertim de bonis eius quæratur. Erit ergo coniectura, qua mẽte pater inteſtatus deceſſerit. Sed ea pertinet ad qualitatẽ, quæ alterius ſtatus inſtrumentum eſt. Plerumque autem in fine cauſarum de æquitate tractabitur, quia nihil libentius iudices audiunt. Aliquãdo tamen hunc ordinẽ mutabit vtilitas, vt ſi in iure minus fiduciæ erit, æquitate

iudicem præparemus. [Nihil habui amplius, quod in vniuerſum præciperem. Nunc eamus per ſingulas cauſarũ iudicialiũ partes, quas vt perſequi ad vltimam ſpeciem, ideſt ad ſingulas lites cõtrouerſiáſque nõ poſſum, ita de generalibus ſcribere licet: vt quæ in quẽque ſtatũ frequentiſſimè incidãt, tradam. Et quia natura prima quæſtio eſt, factúmne ſit, ab hac exordiar.

De coniectura. Cap. I I I.

CONiectura omnis aut de re, aut de animo eſt. Vtriuſq; tria tẽpora, præteritum, præſens, futurum. De re, & generales quæſtiones ſunt, & definitæ, id eſt, & quæ non cõtinentur, & quę continẽtur. De animo quęri non poteſt, niſi vbi perſona eſt, & de facto cõſtat. [Ergo cum de re agitur, aut quid factũ ſit, in dubium venit, aut quid fiat, aut quid ſit futurum. Vt in generalibus, An atomorũ concurſu mundus ſit effectus: an prouidentia regatur: an ſit aliquãdo caſurus. In definitis: an parricidium commiſerit Roſcius: An regnũ affectet Manlius: An rectè Verrẽ ſit accuſaturus Q. Cæcilius. In iudicijs præteritũ tempus maximè valet. Nemo enim accuſat, niſi quæ facta ſunt. Nam & quæ fiant, & quæ futura ſint, ex præteritis colligũtur. Quæritur & vnde quid ortũ, vt peſtilẽtia, an ira deũm, an intẽperie cœli, an corruptis aquis, an noxio terræ halitu. Et quæ cauſa facti, vt quare ad Troiã quinquaginta Reges nauigauerint, iureiurãdo adacti, an exẽplo moti, an gratificantes Atridis. Quæ duo genera nõ multũ inter ſe diſtant. Ea verò quæ ſunt præſentis tẽporis, ſi non argumẽtis, quæ neceſſe eſt nręceſſiſſe, ſed oculis deprehendenda ſunt, non egent coniectura: vt ſi apud Lacedæmonios quæratur an Athenis muri fiant. Sed & illud poteſt videri extra hoc propoſitum coniecturę genus, cũ de aliquo homine quæritur quis ſit, vt eſt quæſitum contra Vrbiniæ hæredes, ſi is qui tãquam filius petebat bona, Figulus eſſet, an Soſipater: nã & ſubſtantia eius ſub oculos venit, vt non poſſit quæri, an ſit. Quomodo vltra oceanũ, nec quid ſit, nec quale ſit, ſed an quid ſit. Verùm hoc quoque genus litis ex præterito pendet: An hic ſit ex Vrbinia natus Cluſinius Figulus. Fuerunt autem tales noſtris etiam temporibus controuerſiæ, atq; aliquæ in meum quoq; patrocinium inciderunt. [Animi coniectura non dubiè in omnia tempora cadit. Qua mẽte Ligarius in Africa fuerit. Qua mente Pyrrhus fœdus petat. Quo modo laturus ſit Cæſar, ſi Ptolemæus Pompeium occiderit. [Quæritur per coniecturam & quantitas &

Cõiecturæ diuiſio, cuius primum genera oſtẽdit, deinde docet quomodo tractãda ſit.

Genera facit tria, facti, animi, rerum.

qualitas circa modum, ſpeciem, numerum. An ſol maior quàm terra. Luna globoſa, an plana, an acuta. Vnus mundus, an plures. Itémque extra naturales quæſtiones: Maius bellum Troianum, an Peloponeſiacum: Qualis clypeus Achillis. An vnus Hercules. ¶ In his autem quæ accuſatione ac defenſione conſtant, vnum eſt genus, in quo quæritur & de facto, & de authore. Quod interim coniunctam quæſtionem habet, & vtrunque pariter negatur: interim ſeparatam, cum & factum ſit, nec ne: & ſi de facto conſtet, à quo factum ſit ambigitur. Ipſum quoque factum aliquando ſimplicem quæſtionem habet, an homo perierit: aliquando duplicem, veneno, an cruditate perierit. Alterum eſt genus de facto tantũ, cum, ſi id certum ſit, non poteſt de authore dubitari. Tertiũ de authore tantum, cum factum conſtet: ſed à quo factum ſit, in controuerſiam venit. Et quod tertio loco poſui, nõ eſt ſimplex: Aut enim reus feciſſe tantummodo ſe negat, aut alium feciſſe dicit. Sed ne in alterum quidem tranſferendi criminis vna forma eſt: Interdum enim ſubſtituitur mutua accuſatio, quam Græci ἀντικατηγορίαν, vocant, noſtrorũ quidam concertatiuam. Interdum in aliquam perſonã, quæ extra diſcrimẽ iudicij eſt, tranſfertur, & aliàs certam, aliàs incertam: Et cum incertam, aut in extrariam, aut ipſius, qui perijt voluntatem. In quibus ſimilis atque in ἀντικατηγορίᾳ perſonarũ, cauſarum, cæterorum comparatio eſt: Vt Cicero pro Vareno, in familiam Anchariana: pro Scauro, circa mortem Boſtaris in matrem auertens crimen, facit. Eſt etiam illud huic contrarium comparationis genus, in quo vterque à ſe factum eſſe dicit, & illud in quo non perſonæ inter ſe, ſed ipſæ res colliduntur, id eſt, non vter fecerit, ſed vtrum factum ſit. [Cum de facto & de authore cõſtat, de animo quæri poteſt. Nunc de ſingulis, cum pariter vtrunque negatur, hoc modo: Adulterium non commiſi: Tyrannidem non affectaui. In cædis ac veneficij cauſis frequens eſt illa diuiſio: non eſt factum, & ſi eſt factum, ego non feci. Sed cum dicimus proba hominem occiſum, accuſatoris tantum partes ſunt: à reo nihil dici contrà, præter aliquas fortaſſe ſuſpiciones, poteſt, quas ſpargere quammaximè variè oportebit: quia ſi vnum aliquid affirmaris, probandũ eſt, aut cauſa periclitandum. Nam vt cum inter id quod ab aduerſario, & id quod à nobis propoſitum eſt, quęritur, videtur vtique alterum verum: ita ex aduerſo vnum eſt quo defendimur, reliquũ eſt quo pre-

CONIEctura in iudicijs, quæ eſt triplex, de authore & facto ſimul: de animo tantũ, & de authore tantũ, ex quo ſæpe ἀντικατηγορία naſcitur.

mimur. At cũ quærimus de ambiguis ſignis cruditatis & veneni, nihil tertium eſt. Ideóque vtraque pars, quod propoſuit, tuetur. Interim autẽ ex re quæritur, veneficium fuerit, an cruditas, cum ex ipſa aliqua citra perſonam quoque argumẽta ducuntur. Refert enim conuiuium præceſſerit, an triſtitia: labor, an ocium, vigilia, an quies. Aetas quoque eius qui perierit, diſcrimen facit. Intereſt ſubitò defecerit, an longiore valetudine conſumptus ſit. Liberior tamen adhuc in vtrãque partem diſputatio, ſi tantum ſubita mors in quæſtionem venit. Interim ex perſona probatio rei petitur, vt propterea credibile ſit venenum fuiſſe, quia credibile ab hoc factũ veneficium, vel cõtrà. Cum verò de reo & de facto quæritur, naturalis ordo eſt, vt prius factum eſſe accuſator probet: deinde à reo factum. Si tamen plures in perſonã probationes habuerit, conuertet hunc ordinẽ. Defenſor autem prius negabit eſſe factũ, quia ſi in hac parte vicerit, reliqua non neceſſe habet dicere. Victo ſupereſt, vt tueri ſe poſſit. Illic quoque vbi de facto tantum controuerſia eſt, quod ſi probetur, non poſſit de authore dubitari: ſimiliter argumenta & ex perſona, & ex re ducuntur, ſed in vnam facti quæſtionẽ: ſicut in illa controuerſia (vtendũ eſt enim & his exẽplis, quę ſunt dicentibus magis familiaria): Abdicatus medicinæ ſtuduit, cũ pater eius ægrotaret, deſperãtibus de eo cæteris medicis, adhibitus ſanaturum ſe dixit, ſi is potionem à ſe datam bibiſſet. Pater acceptæ potionis epota parte dixit venenum ſibi datum, filius quod reliquum erat, exhauſit, pater deceſſit, ille parricidij reus eſt. Manifeſtum quis potionem dederit, nulla quæſtio de authore, tantum an fuerit venenum ex argumentis à perſona ductis colligetur. [Supereſt tertiũ, in quo factum eſſe conſtat aliquid, à quo ſit factum quæritur: eius rei ſuperuacuum eſt ponere exemplum, cum plurima ſint huiuſmodi iudicia: vt ſi hominem occiſum eſſe manifeſtum eſt, vel ſacrilegium commiſſum: is autem qui arguitur feciſſe, neget. Ex hoc naſcitur ἀντικατηγορία. Vtique hoc factum eſſe conuenit: quod duo inuicẽ obijciunt. In quo quidẽ genere cauſarum admonet Celſus fieri id in foro non poſſe, quod neminẽ ignorare arbitror. De vno enim reo cõſilium cogitur, & ſi qui ſunt qui inuicem accuſent, alterum iudicium præferre neceſſe eſt. Apollodorus quoque ἀντικατηγορίας duas eſſe controuerſias dixit: & ſunt reuera ſecundũ forenſe ius duæ lites. Poteſt tamen hoc genus in cognitionem venire Senatus, aut principis. Sed in

Mutua accuſatio, in qua ſemper prior debet eſſe defenſio, itẽ & cõparatio argumentorum adhibenda.

iudicio quoque nihil intereſt actionum, vtrum ſimul de vtroque pronuncietur, an de vno ſeorſum. Quo in genere ſemper prior debebit eſſe defenſio. Primum, quia natura potior eſt ſalus noſtra quàm aduerſarij pernicies. Deinde quòd plus habebimus in accuſatione authoritatis, ſi prius de innocentia noſtra conſtiterit. Poſtremo, quòd ita demum duplex cauſa erit. Nam qui dicit, ego non occidi, habet reliquã partem, vt dicat, occidiſti. At qui dicit, tu occidiſti, ſuperuacuũ habet poſtea dicere, ego non occidi. [Hæ porrò actiones conſtant comparatione, ipſa comparatio non vna via ducitur. Aut enim totam cauſam noſtram cum tota aduerſarij cauſa componimus, aut ſingula argumenta cum ſingulis: Quorũ vtrum ſit faciendum non poteſt niſi ex ipſius litis vtilitate cognoſci: vt Cicero ſingula pro Vareno comparat in primo crimine. Eſt enim ſuperior, quum perſona alieni, cum perſona matris temerè comparetur. Quare optimum eſt, ſi fieri poterit, vt ſingula vincantur à ſingulis. Sed ſi quando in partibus laborabimus, vniuerſitate pugnandum eſt: ſiue inuicem accuſant, ſiue crimen reus citra accuſationem in aduerſarium vertit: vt Roſcius in accuſatores ſuos, quamuis reos non feciſſet, ſiue in ipſos, quos ſua manu perijſſe dicemus, factum deflectitur: nõ aliter quàm in in ijs quæ mutuam accuſationem habent, vtriuſque partis argumenta inter ſe comparantur. Id autem genus, de quo nouiſſimè dixi, non ſolum in ſcholis ſæpè tractatur, ſed etiam in foro. Nam id eſt in cauſa Næuij Apruniani ſolum quæſitum: præcipitata ne eſſet ab eo vxor, an ſe ipſa ſua ſponte ieciſſet. Cuius actionem equidẽ ſolam in hoc tempus emiſeram, quod ipſum feciſſe ſeductum iuuenili cupiditate glorię fateor. Nam cæteræ quæ ſub nomine meo feruntur, negligentia excipientium in quæſtum notariorum corruptæ minimam partem mei habent. [Eſt & alia duplex coniectura, huic ἀντικατηγορίᾳ non diuerſa, de præmijs: vt in illa controuerſia, Tyrannus ſuſpicatus à medico ſuo datum ſibi venenũ, torſit eum, & cum id dediſſe ſe negaret, accerſit alterum medicum: ille datum ei venenum dixit, ſed ſe antidotum daturũ, & dedit ei potionem, qua epota tyrannus deceſſit. De præmio duo medici contendunt. Nam vt illic factum in aduerſarium tranſferentium, ita hic ſibi vendicantium, perſonæ, cauſæ, facultates, tempora, inſtrumenta, teſtimonia comparantur. Illud quoque, etſi non eſt ἀντικατηγορία, ſimili tamen ratione tractatur, in quo citra accu

ſationem quæritur,vtrum factum ſit.Vtraq; enim pars expoſitionem ſuam habet,atque eam tuetur: vt in lite Vrbiniana, petitor dicit,Cluſiniũ Figulum filium Vrbiniæ acie victa, in qua ſteterat,fugiſſe:iactatúmque caſibus varijs,retentũ etiam à rege,tandem in Italiam ac patriam ſuam Marginos veniſſe, atque ibi agnoſci.Pollio contrà,ſeruiſſe eum Piſauri dominis duobus,medicinam factitaſſe,manumiſſum alienæ ſe familiæ vænalem immiſcuiſſe, ac rogantem vt eis ſeruiret emptum. Nónne tota lis conſtat duarum cauſarum comparatione, & coniectura duplici atque diuerſa? Quæ autem accuſantium atque defendentium, eadem petentium & inficiantium ratio eſt. ¶Ducitur coniectura primũ à præteritis. In his ſunt perſonæ,cauſæ,conſilia. Nam is ordo eſt: vt facere voluerit, potuerit,fecerit. [Ideóque intuendum ante omnia, qualis ſit de quo agitur. Accuſatoris autẽ eſt efficere, vt ſi quid obiecerit, non ſolum turpe ſit, ſed etiam crimini, de quo eſt iudicium, quammaxime conueniat.Nam ſi reum cædis impudicum vel adulterum vocet,lædat quidem infamia:minus tamen hoc ad fidem valeat,quàm ſi audacem, petulantem,crudelem, temerarium oſtenderit.Patrono ſi fieri poterit,id agendum eſt, vt obiecta vel neget,vel defendat,vel minuat.Proximum eſt,vt à præſenti quæſtione ſeparet.Sunt enim pleraque non ſolum diſſimilia,ſed etiam aliquando contraria:vt ſi reus furti, prodigus dicatur aut negligens. Neque enim videtur in eundem & contemptus pecuniæ,& cupiditas cadere.Si deerunt hęc remedia,ad illa declinandum eſt,nõ de hoc quæri,nec eum qui aliquando peccauerit,vtique commiſiſſe omnia,& hanc fiduciam fuiſſe accuſatoribus falſa obijciendi,quòd læſum & vulneratum reum ſperauêre hac inuidia opprimi poſſe.Alia propoſitio eſt accuſatoris, contra quam loci oriuntur ſæpè à perſona,& interim generaliter.Incredibile eſſe à filio patrem,ab vxore virum occiſum : ab Imperatore proditam hoſtibus patriam. Facilè reſpondetur, vel quòd omnia ſcelera in malos cadant:ideóque ſæpè deprehenſa ſint,vel quòd indignum ſit, crimina ipſa atrocitate defendi.Interim propriè,quod eſt varium.Nam dignitas & tuetur reum,& nõnunquã ipſa in argumentum facti conuertitur,tanquam inde fuerit ſpes impunitatis:ſed perinde paupertas,humilitas,opes,vt cuique ingenio vis eſt,in diuerſum trahuntur. Probi verò mores, & anteactæ vitæ integritas nunquam non plurimum profuerint. Si nihil

CONIECturæ tractatio, quæ cõtinetur tribus capitibus.

ANVOſuit, in quo ſpectantur perſonæ,cauſæ,conſilia.

Perſonæ.

obijcietur, patronus quidem in hoc vehementer incumbet. Accuſator autem ad præſentem quæſtionem de qua ſola iudicium ſit, cognitionẽ allegabit, dicens, neminẽ non aliquãdo cœpiſſe peccare, nec per ἐγκαίνια ducendum ſcelus primũ. Hoc in reſpondendo. Sic autem præparabit actione prima iudicũ animos, vt noluiſſe potius obijcere, quàm non potuiſſe credatur. Eóque ſatius eſt omni ſe anteactæ vitæ abſtinere cõuicio, quàm leuibus, aut friuolis, aut manifeſto falſis reum inceſſere, quia fides cæteris detrahitur: & qui nihil obijcit, omiſiſſe credipoteſt maledicta tanquã ſuperuacua: qui vana cõgerit, cõfitetur vanum in anteactis argumẽtum, in quibus vinci quàm tacere maluerit. Cętera quę à perſonis duci ſolent, in argumẽ
Cauſæ. torum locis expoſuimus. [Proxima eſt ex cauſis probatio, in quibus hæc maximè ſpectantur: ira, odium, metus, cupiditas, ſpes. Nam reliqua in has ſpecies cadunt, quorũ ſi quid in reũ conueniet, accuſatoris eſt efficere, vt ad quicquid faciendum cauſæ valere videãtur, eáſq; quas in argumentũ ſumet, augere: Si minus, illuc conferenda eſt oratio, aut aliquas fortaſſe latentes fuiſſe, aut nihil ad rem pertinere cur fecerit: ſi fecit aut etiã dignius eſſe odio ſcelus, quòd non habuerit cauſam. Patronus verò quoties poterit, inſtabit huic loco, vt nihil credibile ſit factum eſſe ſine cauſa: quod Cicero vehementiſſimè in multis orationibus tractat, præcipuè tamẽ pro Vareno, qui omnibus malis premebatur: nã & damnatus eſt. At ſi proponitur cur factum ſit, aut falſam cauſam aut leuem, aut ignotam reo dicet. Poſſunt eſſe aliquæ interim ignotæ: an hæredem habuerit: an accuſaturus fuerit eũ, à quo dicitur occiſus. Si alia defecerint, non vtiq; ſpectandas eſſe cauſas. Nam quẽ poſſe reperiri, qui non metuat, oderit, ſperet, iraſcatur, cupiat? plurimos tamen hæc ſalua innocentia facere. Neque illud eſt omittendũ, non omnes cauſas in omnibus perſonis valere: nam vt alicui ſit furandi cauſa paupertas, non erit idem in T. Curio Fabritióq; momentum. De cauſa prius an de perſona dicendum ſit, quæritur: variéq; eſt ab oratoribus factũ: à Cicerone etiã prælatæ frequentiſſimè cauſæ. Sed mihi ſi ſine vllo litis cõuicio proponeretur, ſecundum naturam videtur incipere à perſona. Nam hoc magis generale eſt, rectiórque diuiſio, aut in nullo crimen credibile, aut in hoc. Poteſt tamẽ idipſum, ſicut pleraq;, vertere vtilitas. Nec tantũ cauſæ voluntatis ſunt quærendæ, ſed interim & erroris: vt ebrietas & ignorãtia: nam hæc vt in quali-

tate crimen eleuant,ita in cõiectura premunt. Et perſona quidem neſcio an vnquã vtiq; in vno actu rei poſſit incidere,de qua neutra pars dicat,de cauſis frequẽter quęri nihil attinet:vt in adulterijs,in furtis,quia illas per ſe ipſa crimina ſecũ habẽt. [Poſt hæc intuenda videntur & conſilia, quæ latè patent: an credibile ſit reũ ſperare id à ſe ſcelus effici poſſe: an ignorari cum feciſſet:an etiam ſi ignoratũ non eſſet,abſolui,vel pœna leui tranſigi,vel tardiore, vel ex qua minus incommodi conſecuturus, q̃ ex facto gaudij videretur : an etiam tanti putauerit pœnam ſubire.Poſt hæc an alio tempore,& aliter facere, vel facilius,vel ſecurius potuerit: vt dicit Cicero pro Milone enumerãs plurimas occaſiones,quibus ab eo Clodius impunè occidi potuerit.Præterea cur potiſſimũ illo loco,illo tempore, illo modo ſit aggreſſus,qui & ipſe diligentiſſimè tractatur pro eodem locus . An etiamſi nulla ratione ductus eſt, impetu raptus ſit,& abſq; ſententia: Nam vulgo dicitur, Scelera non habere conſilium. An etiam conſuetudine peccandi ſit allectus. ¶Excuſſa prima parte an voluerit, ſequitur an potuerit. Hic tractatur locus,tempus:vt furtũ in loco clauſo vel recluſo,frequenti vel ſolo : tempore vel diurno cum teſtes plures, vel nocturno cum maior difficultas. Inſpiciũtur vtique difficultates & occaſiones,quę ſunt plurimæ,ideóq; exemplis non egent.Hic ſequens locus talis eſt,vt ſi fieri non potuit,ſublata lis ſit:ſi potuit,ſequatur quæſtio,an fecerit. Sed hæc etiam ad animi coniecturã pertinent : nã & ex his colligitur an ſperauerit.Ideo ſpectari debent & inſtrumẽta,vt Clodij ac Milonis comitatus. ¶Quæſtio an fecerit,incipit à ſecundo tempore, id eſt præſenti,ac deinde coniuncto,hoc eſt inſequenti:quorũ ſunt ſonus,clamor,gemitus,latitatio,metus,ſimilia.His accedunt ſigna, de quibus tractatũ eſt : Verba etiam & facta,quæque anteceſſerunt,quæque inſecuta ſunt.Hæc aut noſtra ſunt aut aliena Sed verba magis nocẽt aut minus: magis nocent, & minus proſunt noſtra q̃ aliena : magis proſunt & minus nocent aliena q̃ noſtra . Facta autem interim magis proſunt noſtra, interim aliena: vt ſi quid quod pro nobis ſit, aduerſarius fecit.Semper verò magis nocent noſtra q̃ aliena.Eſt & illa in verbis differentia, q̃ aut aperta ſunt, aut dubia, ſeu noſtra, ſeu aliena ſunt Infirmiora in vtrũque ſint neceſſe dubia,tamẽ noſtra ſæpè magis nocent:vt in illa cõtrouerſia:Interrogatus filius vbi eſſet pater, dixit,vbicunque eſt viuit: at ille in puteo

Conſilia.

AN POtuerit.

An fecerit.

mortuus est inuentus. Aliena quæ sunt dubia, nunquã possunt nocere, nisi aut incerto authore, aut mortuo. Noctè audita est vox: Cauete tyrannicidam, & interrogatus, cuius veneno moreretur, respondit: Non expedit tibi scire. Nam si est qui possit interrogari, soluet ambiguitatem. Cum autem dicta factáque nostra defendi solo animo possint, aliena variè refutantur.

Depositi furti, creditæ pecuniæ quæstiones.

¶ De vno quidem maximè genere cõiecturalium controuersiarum locuti videmur, & in omnes aliquid de his cadit. Nam depositi furti, creditæ pecuniæ, & à facultatibus argumẽta veniunt, an fuerit quod deponeretur: & à personis, an illum deposuisse apud hũc, vel huic credidisse credibile sit: an petitorẽ calumniari: an reum inficiatorem esse, vel furem. Sed etiam in furti reo sicut in cædis, quæritur de facto & de authore. Crediti & depositi duæ sunt quæstiones, sed nonnunquã iunctæ, an datum sit, an redditum. Habent aliquid proprij, adulterij causæ, quòd plerũque duorum discrimen est, & de vtriusque vita dicendum: quanquam & id quæritur an vtrũque pariter defendi oporteat. Cuius rei consilium nascetur ex causa. Nam si adiuuabit pars altera, coniungã: si nocebit, separabo. Ne quis autem mihi putet temerè excidisse, quòd plerũque duorum ctimen esse adulterium, non semper dixerim: potest accusari sola mulier incerti adulterij. Munera domi inuenta sunt, pecunia, cuius author non extat: codicilli, dubium ad quẽ scripti. In falso quoque ratio similis: Aut enim plures in culpam vocantur, aut vnus. Et scriptor quidem semper tueri signatorem necesse habet, signator scriptorem non semper: nam & decipi potuit. Is autem qui hos adhibuisse, & cui id factum dicitur, & scriptorem & signatores defendet. Idem argumentorum loci in causis proditionis, & affectatæ tyrannidis. Verum illa scholarum consuetudo ituris in forum potest nocere, quòd omnia quæ in themate nõ sunt, pro nobis ducimus. Adulteriũ obijcis, quis testis? quis index? quod precium? quis cõscius? Venenum, vbi emi? à quo? quando? quanti? per quem dedi? Pro reo tyrannidis affectatæ, vbi sunt arma? quos contraxi satellites? Neque hæc nego esse dicenda, & ipsis vtendum pro parte susceptа. Nam & in foro siquãdo aduersarius probare non poterit, desiderabo. Sed in foro tantum illam facultatem olim desiderauimus, vbi non ferè causa agitur, vt nõ aliquid ex his, aut plura ponantur. Huic simile est, quòd in epilogis quidã, quibus volunt, liberos, nutrices, parentes accõmodant: nisi quòd magis

conceſſeris ea, quæ non ſint poſita, deſiderare quàm dicere.

¶De animo quomodo quæratur, ſatis dictum eſt, cum ita diuiſerimus, an voluerit, an potuerit, an fecerit. Nã qua via tractatur an voluerit, eadem quo animo fecerit: id enim eſt, an malè facere voluerit. Ordo quoque rerum, aut affert, aut detrahit fidem, multo ſcilicet magis res prout congruunt, aut repugnant. Sed hæc niſi in ipſo complexu cauſarum non deprehenduntur. Quærendum tamen ſemper quid cuique connectatur: & quid cuique conſentiat. *Animi coniectura.*

¶De finitione. Cap. IIII.

SEquitur coniecturam finitio. Nam qui non poteſt dicere nihil feciſſe, proximum habebit, vt dicat, non id feciſſe quod obijciatur. Itaque plerũque legibus ijſdem quibus coniectura verſatur, defenſionis tantum genere mutato, vt in furtis, depoſitis, adulterijs. Nam quemadmodũ dicimus, non feci furtum, non accepi depoſitum, non commiſi adulterium: ita, non eſt hoc furtum, non eſt hoc depoſitum, non eſt hæc mutuatio, non eſt hoc adulterium. Interim à qualitate ad finitionẽ deſcenditur: vt in actionibus dementię, malę tractationis, reip. lęſæ. In quibus ſi rectè facta eſſe quæ obijciuntur, dici non poteſt: illud ſuccurrit, non eſt hoc dementem eſſe, malè tractare, remp. lædere. ¶Finitio igitur eſt rei propoſitæ propria & dilucida & breuiter comprehenſa verbis enunciatio. Conſtat maximè, ſicut eſt dictũ, genere, ſpecie, differentibus, proprijs: vt ſi finias equum (noto enim maximè vtar exẽplo) Genus eſt animal: Species, mortale: Differentia, irrationabile. Nam & homo mortale erat. Proprium, hinniens. [Hæc adhibetur orationi in pluribus cauſis. Nam tum eſt certum de nomine, ſed quæritur quæ res ei ſubijcienda ſit: tum res eſt manifeſta, ſed de nomine non conſtat. De re cum dubiũ eſt, interim coniectura eſt, vt ſi quæratur, quid ſit deus. Nam qui id neget, deum eſſe ſpiritum omnibus partibus immixtum, non hoc dicat, falſam eſſe illius diuinæ naturæ appellationẽ: ſicut Epicurus qui humanã ei formã locúmq; inter mundos dedit: ſed nomine vterque vno vtitur, vtrum ſit in re, cõiectat. Interim qualitas tractatur: vt quid ſit Rhetorice, Vis perſuadendi, an benè dicendi ſciẽtia. Quod genus eſt in iudicijs frequẽtiſſimum. Sic enim quæritur, an deprehenſus in lupanari cum aliena vxore adulter ſit, quia non de appellatione, ſed de vi facti eius ambigitur, an omnino peccarit: nam ſi peccauit, non *Finitio quid ſit & vbi adhibenda.*

poteſt aliud eſſe quàm adulter. [Diuerſum eſt genus, cum controuerſia conſiſtit in nomine, quod pendet è ſcripto, nec verſatur in iudicijs, niſi propter verba, quæ litem faciunt. An qui ſe interfecit, homicida ſit: an qui tyrannũ in mortẽ compulit, tyrãnicida: an carmina magorum, veneficiũ. Res enim manifeſta eſt, ſcitúrq; non idem eſſe occidere ſe, quod alium: Non idem occidere tyrannum, quod compellere ad mortem: Non idem carmina, ac mortiferam potionem. Quæritur tamen an eodem nomine appellanda ſint. ¶ Quanquam autẽ diſſentire vix audeo à Cicerone, qui permultos ſecutus authores dicit, finitionem eſſe de eodẽ, & de altero (ſemper enim neganti aliquod eſſe nomen, dicendum quid ſit potius) tamen in eandẽ tres habeo velut ſpecies. [Nam interim conuenit ſic quærere, an habendum ſit adulterium in lupanari. Cum hoc negamus, nõ neceſſe eſt dicere quid id vocetur, quia totum crimen inficiamur. [Interim quæritur, an hoc furtum, an ſacrilegium: nõ quin ſufficiat nõ eſſe ſacrilegiũ, ſed quia neceſſe ſit dicere quid ſit aliud, quo in loco vtrũque finiendum eſt. [Interim quæritur in rebus ſpecie diuerſis, an & hoc eodem modo ſit appellandum, cum res vtraq; habeat ſuum nomen, vt amatorium, venenum. In omnibus autem huius generis litibus quæritur, an etiam hoc, quia nomen de quo ambigitur, vtique in alia re certum eſt. Sacrilegiũ eſt rem ſacram de templo ſurripere, num & priuatam? Adulterium cum aliena vxore domi coire, an & in lupanari? Tyrannicidium occidere tyrannum, an etiam in mortem compellere? Ideóque συλλογισμὸς, de quo poſtea dicam, velut infirmior eſt finitio, quia hac quæritur, an idem ſit huius rei nomen, quod alterius: illo, an perinde habenda ſit hæc atque illa. [Eſt & talis finitionum diuerſitas, vt quidam ſentiunt: num idem diuerſis verbis cõprehendatur, vt Rhetorice bene dicendi ſcientia, & eadem benè inueniendi & benè enunciandi, & dicendi ſecundum virtutem orationis, & dicendi quid ſit officij. Atque prouidendum vt ſi ſenſu nõ pugnant, comprehenſione diſſentiant: ſed de his diſputatur, nõ litigatur. Opus eſt aliquãdo finitione, obſcurioribus & ignotioribus verbis, vt quid ſit clarigatio. Erit & interim notis nomine verbis: vt quid ſit penus quid littus. Quæ varietas efficit vt eam quidam coniecturę, quidã qualitati, quidam legitimis quæſtionibus ſubiecerint. ¶ Quibuſdam ne placuit quidem omnino ſubtilis hæc, & ad morẽ dialecticorum formata con-

Finitinarum quæſtionum ſpecies.

De forma definiendi quo-

cluſio:vt in diſputationibus potius per argumenta verborum cauillatrix,quàm in oratoris officio multũ allatura momenti. Licet enim valeat in ſermone tantum,vt conſtrictũ in vinculis ſuis habeat eum, qui reſponſurus eſt,& vel tacere, vel etiã inuitum id quod ſit contrà,cogat fateri,non eadem eſt tamẽ eius in cauſis vtilitas. Perſuadendũ enim iudici eſt:qui etiam ſi verbis deuinctus eſt,tamẽ niſi ipſi rei acceſſerit,tacitus diſſentiet. Agenti verò quæ tanta eſt huius præciſæ comprehenſionis neceſſitas? An ſi non dixero homo eſt animal rationale,mortale, non potero expoſitis tot corporis animíque proprietatibus, latius oratione ducta, vel à dijs eum, vel à mutis diſcernere? Quid? non vno modo diffinitur res eadem, ſed latiore,varióque tractatu: vt facit Cicero, vt omnes oratores plerũque fecerunt. Rariſſima enim apud eos reperietur illa ex conſuetudine philoſophorum ducta ſeruitus, (eſt enim ſeruitus)ad certa ſe verba aſtringendi: ídque faciendum in libris Ciceronis de Oratore vetat M. Antonius. Nam eſt etiam periculoſum,cum ſi vno in verbo ſit erratum,tota cauſa cecidiſſe videamur. Optimáque eſt illa via,qua vtitur Cicero pro Cecinna,vt res proponatur,verba non periclitentur. Etenim Recuperatores, non ea ſola vis eſt,quæ ad corpus noſtrũ vitámq; peruenit,ſed etiam multo maior ea,quæ periculo mortis iniecto, formidine animum perterritum loco ſæpè & certo de ſtatu dimouet. Aut cum finitionem præcedit probatio,vt in Philippicis Cicero, Seruium Sulpitiũ occiſum ab Antonio colligit,& in clauſula demũ ita finit: Is ei profecto mortem attulit, qui cauſa mortis fuit. Non negauerim tamen hæc quoque vt expedit cauſæ,eſſe facienda. Et ſi quando firma cõprehendi poterit, & breui complexu verborum finitio, eſſe id tum elegans,tum etiam fortiſſimum,ſi modò erit illa inexpugnabilis.

modo oratori tractãda ſit.

¶ Eius certus ordo eſt,quid ſit,an hoc ſit: & in hoc ferè labor maior eſt, vt finitionem confirmes,quàm vt in rem finitionẽ applices. In eo quid ſit,duplex opus eſt. Nam & eſt noſtra cõfirmanda,& aduerſæ partis deſtruenda finitio. Ideóq; in ſchola,vbi nobiſipſis fingimus contradictionem,duos ponere debemus fines, quales vtrinque eſſe optimi poterunt. At in foro prouidendum, num fortè ſuperuacua, & nihil ad cauſam pertinens:an ambigua,an contraria, an communis ſit finitio: quorũ nihil accidere,niſi agentis culpa poteſt. Vt rectè autẽ finiamus ita fiet,ſi prius in animo cõſtituerimus,quid velimus

ORDO *quæſtionum, Quid ſit, An hoc ſit,& quo modo vtrũq; genus tractãdum.*

efficere. Sic enim accommodari ad voluntatem verba pōterunt. Atque vt à notiſſimo exemplo, quo ſit res lucidior, non recedamus: Qui priuatam pecuniam de templo ſurripit, ſacrilegij reus eſt: culpa manifeſta. Quæſtio eſt: an huic crimini nomen quod eſt in lege, conueniat. Ergo ambigitur, an hoc ſacrilegium ſit. Accuſator quia de templo ſit ſurrepta pecunia vtitur hoc nomine: Reus, quia priuatam ſurripuerit negat eſſe ſacrilegiū, ſed furtum fatetur. Actor ergo ita finiet: Sacrilegiū eſt ſurripere aliquid de ſacro. Reus ita finiet: Sacrilegium eſt, ſurripere aliquid ſacri. Vterque alterius finitionē impugnat. Ea duobus generibus euertitur: ſi aut falſa eſt, aut parū plena. Nam illud tertium, niſi ſtultis nō accidit, vt nihil ad quæſtionem pertineat. Falſa eſt, ſi dicas: Equus eſt animal rationale: nam eſt equus animal, ſed irrationale. Quod autem commune cum alio eſt, deſinet eſſe proprium. Hic reus falſam dicit eſſe finitionem accuſatoris: Accuſator autem non poteſt dicere falſam eſſe rei. Nam eſt ſacrilegium, ſurripere aliquid ſacri. Dicit parum plenam, adijciendum enim ait ex ſacro. Maximus autem vſus in approbando refellendóq; fine propriorū ac differentium, nonnunquā etiam etymologiæ. Quæ tamen omnia, ſicut in cæteris, confirmat æquitas: nonnunquā etiam coniectura mentis. Etymologia maximè rara eſt. Quid enim eſt aliud tumultus, niſi perturbatio tanta, vt maior timor oriatur? Vnde etiam nomen ductū eſt tumultus. Circa propria ac differentia magna ſubtilitas, vt cum quæritur, an addictus, quem lex ſeruire donec ſoluerit, iubet, ſeruus ſit. Altera pars finit ita: Seruus eſt, qui eſt iure in ſeruitute. Altera: qui in ſeruitute eſt eo iure, quo ſeruus: aut vt antiqui dixerunt, qui ſeruitutem ſeruit. Quæ finitio etiam ſi conſtat æquo, niſi tamen proprijs & differentibus adiuuetur, inanis eſt. Dicet enim aduerſarius ſeruire eum ſeruitutem, aut eo iure quo ſeruum. Videamus ergo propria differentiáque liberorū, quę libro quinto leuiter in trāſitu attigerā. Seruus cum manumittitur, fit libertinus: addictus recepta libertate eſt ingenuus. Seruus inuito domino libertatem non conſequitur: addictus ſoluendo citra voluntatem domini conſequitur Ad ſeruū nulla lex pertinet: addictus legem habet. Propria liberi: quæ nemo habet niſi liber, prænomen, nomen, cognomen tribū: habet hæc addictus.

AN HOC ſit. [Excuſſo quid ſit, propè peracta eſt quęſtio, an hoc ſit. Id enim agimus, vt ſit cauſæ noſtræ conueniens finitio. Potentiſſima

autẽ eſt in ea qualitas,an amor, an inſania. Huc pertinebunt probationes,quas Cicero dicit proprias eſſe finitionis,ex antecedentibus, cõſequentibus,adiunctis,repugnãtibus, cauſis,effectis,ſimilibus,de quorũ argumentorũ natura dictũ eſt.Breuiter autẽ pro Cecinna Cicero initia,cauſas,effecta,antecedentia,cõſequẽtia cõplexus eſt:Quid igitur fugiebãt?propter metum. Quid metuebant?vim videlicet poteſtatis.Igitur principia negare poteſtis,cum extrema conceditis?Sed ſimilitudine quoq; vſus eſt: Quæ vis in bello appellatur, ea in otio non appellabitur?Sed ex cõtrario argumenta ducũtur,vt ſi quęratur, an amatorium,venenũ ſit nec ne,quia venenũ, amatoriũ non ſit. Illud alterũ genus,quo ſit manifeſtius adoleſcẽtibus meis, (Meos enim ſemper adoleſcẽtes putabo)hic quoq; fictę controuerſiæ vtar exẽplo: Iuuenes qui cõuiuere ſolebant, conſtituerunt vt in littore cœnarent.Vnius,qui cœnæ defuerat,nomen tumulo,quẽ extruxerant,inſcripſerunt.Pater eius à trãſmarina peregrinatione cũ ad littus idem appuliſſet, lecto nomine ſuſpendit ſe.Dicuntur hi cauſa mortis fuiſſe.Hic finitio eſt accuſatoris:Per quẽ factũ eſt,vt quis perierit,cauſa mortis eſt.Rei eſt: Qui fecit quid ſciens, per quod perire homini neceſſe eſſet. Remota finitione, accuſatori ſat eſt dicere: Cauſa mortis fuiſtis, per vos enim actũ eſt, vt homo periret:quia niſi vos illud feciſſetis,viueret.Cõtrà,non ſtatim per quẽ factũ eſt vt quis periret, is dãnari debet : vt accuſator, teſtis, iudex rei capitalis.Nec vndecunque cauſa fluxit,ibi culpa eſt:vt ſi quis profectionẽ ſuaſerit , vt ad amicũ acceſſerit trans mare, & is naufragio perierit:ad cœnã inuitarit,& is cruditate illic contracta deceſſerit.Nec fuerit in cauſa mortis ſolũ adoleſcentiũ factũ,ſed credulitas ſenis,& in dolore ferũdo infirmitas:denique ſi fortior fuiſſet aut prudentior,viueret. Nec mala mente fecerunt,& ille potuit vel ex loco tumulũ,vel ex opere tumultuario ſuſpicari non eſſe monumentum. Qui ergo puniri debent? in quibus omnia ſunt homicidæ præter manũ. ¶Eſt interim certa finitio,de qua inter vtrãque partem cõuenit:vt Cicero dicit maieſtas eſt in imperio atq; in omni populi Romani dignitate.Quæritur tamen an maieſtas minuta ſit,vt in cauſa Cornelij quæſitũ eſt.Sed hic etiã ſimilis videri poteſt finitiuę, tamen quia de finitione nõ ambigitur, iudicatio eſt qualitas, atque ad eum potius ſtatum reducenda,ad cuius forte quadã venimus mentionem,ſed & erat ordine proximus locus.

In Topicis.

TERTIum genus cũ certa eſt finitio, *ad qualitatem reducitur.*

¶De qualitate. Cap. V.

QVALITAS generalis.

EST autem qualitas alia de ſummo genere, atque ea quidem non ſimplex. Nam & qualis ſit cuiuſque rei natura, & quæ forma, quæritur: An immortalis anima: an humana ſpecie deus: & de magnitudine ac numero, quantus ſol, an vnus mundus. Quæ omnia coniectura quidē colliguntur, quæſtionem tamen habent in eo, qualia ſint. Hæc & in ſuaſorijs aliquando tractari ſolent: vt ſi Cæſar deliberet, an Britanniam impugnet: quæ ſit Oceani natura: an Britannia inſula: (nam tum ignorabatur) quanta in ea terra: quo numero militum aggredienda, in conſiliū ferendum ſit. Eidem qualitati ſuccedunt facienda ac non facienda, appetenda, vitanda: quæ in ſuaſorias quidē maximè cadunt, ſed in controuerſijs quoq; ſunt frequentia: hac ſola differentia, quia illic de futuris, hic de factis agitur. Item demōſtratiuæ partis omnia ſūt in hoc ſtatu, factum eſſe conſtat, quale ſit factū quęritur. ¶Lis eſt omnis, aut de præmio, aut de pœna, aut de quantitate. Igitur primum genus cauſæ, aut ſimplex, aut comparatiuū. Illic quid æquum, hic quid æquius, aut quid æquiſſimum ſit excutitur. Cum de pœna iudicium eſt, à parte eius, qui cauſam dicit, aut defenſio eſt criminis, aut imminutio, aut excuſatio, aut vt quidā putant, deprecatio. [Defenſio longè potentiſſima eſt, qua ipſum factum quod obijcitur, dicimus honeſtū eſſe. Abdicatur aliquis, quòd inuito patre militarit, honores petierit, vxorem duxerit: tuemur quod fecimus. Partem hanc vocant Hermagorei κατ' ἀντίληψιν, ad intellectum id nomen referentes. Latinè ad verbum tranſlatū non inuenio, abſoluta appellatur. Sedenim de re ſola quæſtio, iuſta ſit ea, nec ne. Iuſtum omne continetur natura, vel conſtitutione. Natura, quod fit ſecūdum cuiuſque rei dignitatem: hæc ſunt pietas, fides, continentia, & talia. Adijciunt & id quod ſit par, verum id nō temerè intuendum eſt. Nam & vis contra vim, & talia nihil habent aduerſum eum, qui prior fecit iniuſtè: & non quoniam res pares ſunt, etiam id eſt iuſtum quod anteceſſit. Illa vtrinq; iuſta, eadem lex, eadem conditio, ac forſitan ne ſint quidē paria, quæ vlla parte ſunt diſſimilia. Conſtitutio eſt in lege, more, iudicato, pacto. [Alterum eſt defenſionis genus, in quo factum per ſe improbabile aſſumptis extrinſecus auxilijs tuemur, id vocant προσληπτικὴν. Latini hoc quoq; non ad verbum tranſferūt. Aſſumptiua enim dicitur cauſa, In quo genere for-

QVALITAS iudicialis, quę eſt vel de pœna, vel de prędmio, vel de quātitate.

Pœnæ defenſio duplex, abſoluta, & adſumptiua.

tissimum est, si crimen causa facti tuemur, qualis est defensio Orestis, oratio Milonis. ἀντίγκλημα dicitur, quia omnis nostra defensio constat eius accusatione qui vindicatur. Occisus est, sed latro. exectus, sed raptor. Est & illa ex causis facti ducta defensio priori cõtraria, in qua neque factum ipsum per se, vt in absoluta quæstione defenditur, neq; ex cõtrario facto: sed ex aliqua vtilitate aut reipublicę, aut hominũ multorũ, aut etiam ipsius aduersarij, nõnunquã & nostra, si modo id erit quod facere nostra causa fas sit: quod sub extrario accusatore & legibus agẽte prodesse nũquã potest, in domesticis disceptationibus potest. Nã & filijs pater in iudicio abdicationis, & maritus vxori, si malæ tractationis accusabitur: & patri filius, si demẽtiæ causa erit, non inuerecundè dicet multum sua interfuisse. In quo tamen incommoda vitantis melior, quàm commoda petentis, est causa. Quibus similia etiã in vera rerũ quæstione tractantur. Nam quæ in scholis abdicatorũ, hæc in foro exhæredatorũ à parentibus, & bona apud Cõsules rẽpetentiũ ratio est: quæ illic malæ tractationis, hic rei vxoriæ, cum quæritur vtrius culpa diuortiũ factum sit: quæ illic dementiæ, hic petendi curatoris. Subiacet vtilitati etiam illa defensio, si peius aliquid futurũ fuit. Nam in cõparatione malorum boni locum obtinet leuius, vt si Mãcinus fœdus Numantinũ sic defendat, quòd periturus nisi id factũ esset, fuerit exercitus Romanus. Hoc genus ἀντίσασις græcè nominatur, comparatiuum nostri vocant. Hæc circa defensionem facti, quæ si neque per se ipsam, neq; adhibitis alijs auxilijs dabitur, proximum est in aliũ transferre crimen, si possumus. Ideóque etiam in hos qui iam scripti sunt status, visa est cadere translatio. Interdũ ergo culpa in hominẽ relegatur: vt si Gracchus reus fœderis Numantini, cuius metu leges populares tulisse in Tribunatu videtur, missum se ab Imperatore suo diceret. Interim deriuatur in rem, vt si is qui testamento quid iussus nõ fecerit, dicat per leges id fieri non potuisse. Hoc μετάσασιν dicunt. [Excluſis quoq; his excusatio supereſt, ea est aut ignorantiæ, vt si quis fugitiuo stigmata scripserit, eóque ingenuo iudicato, neget scisse se liberum eum fuisse: aut necessitatis, vt cum miles ad cõmeatus diem non affuit, dicit se fluminibus intercluſum, aut valetudine. Fortuna quoque sæpè substituitur culpæ. Nonnunq̃ malè fecisse nos, sed bono animo dicimus. Vtriusque rei multa & manifesta exempla sunt, idcirco nõ est eorũ necessaria expositio.

Recusatio, quã alij trãslationẽ criminis vocant.

Comparatio criminis.

Translatio, quæ ab alijs remotio vocatur.

Excusatio siue purgatio.

Imminutio culpæ.

[Si omnia quæ ſuprà ſcripta ſunt deerunt, videndum an minui culpa poſſit. Hic eſt ille qui à quibuſdã dicitur ſtatus quãtitatis. Sed ea cum ſit aut pœnæ, aut honoris, ex qualitate facti conſtituitur: eóque nobis ſub hoc ſtatu videtur, ſicut eius quoque quæ ad numerum refertur à Græcis. Nam & ποιότητα, & ποσότητα dicunt, nos vtrũque eadem appellatione cõplectimur.

Deprecatio.

[Vltima eſt deprecatio, quod genus cauſę plerique negarunt in iudiciũ vnquã venire. Quin Cicero quoq; pro Quinto Ligario idem teſtari videtur, cum dicit: Cauſas Cęſar egi multas: & quidem tecum, dum te in foro tenuit ratio honorũ tuorum. Certè nunquam hoc modo, Ignoſcite Iudices, errauit, lapſus eſt, non putauit, ſi vnquam poſthac, & cætera. In Senatu vero, & apud populum, & apud Principem, & vbicunque iuris clementia eſt, habet locum deprecatio. In qua plurimum valent ex ipſo qui reus eſt, hæc tria in vita præcedere: ſi innocens, ſi bene meritus, ſi ſpes in futurum innocenter victuri, & in aliquo vſu futuri. Præterea ſi vel alijs incõmodis, vel præſenti periculo, vel pœnitentia videatur ſatis pœnarum dediſſe. Extra, nobilitas, dignitas, propinqui, amici. In eo tamen qui cognoſcit, plurimum ponendum, ſi laus eum miſericordis potius, quàm reprehenſio diſſoluti conſecutura eſt. Verùm & in iudicijs etiam ſi non toto genere cauſæ, tamen ex parte magna hic locus ſæpè tractatur. Nam & diuiſio frequẽs eſt, etiam ſi feciſſet, ignoſcendum fuiſſe. Idque in cauſis dubijs ſæpè præualuit, & epilogi omnes in eadem ferè materia verſari ſolent. Sed nonnunquam etiam reus hic totius ſummam conſtituit, ſi exhæredatum à ſe filium pater teſtatus fuerit elogio, præterea quòd is meretricẽ amauerit. Nã omnis hic quæſtio, an huic delicto pater debuerit ignoſcere, & Centumuiri tribuere debeãt veniam. Sed etiam in formulis, cum pœnariæ ſunt actiones, nos ita cauſam partimur, an cõmiſſa ſit pœna, an exigi debeat. Id autem quod illi viderunt, verum eſt, reum à iudicibus hoc defenſionis modo liberari non poſſe.

DE PRAEmio, quod genus quæſtionis ex meritis ſpectatur.

[De præmijs autem quærũtur duo: an vllo ſit dignus qui petit, an tanto: ex duobus, vter dignior: ex pluribus, quis digniſſimus. Quorum tractatus ex ipſo meritorũ genere ducuntur. Et intuebimur non rem tantum, ſiue alleuanda, ſiue comparanda erit, ſed perſonam quoque. Nam & multum intereſt, tyrannũ iuuenis occiderit an ſenex, vir an fœmina, alienus an coniunctus. Eſt & ad locum multipliciter, in ciuitate tyrãnis aſſueta,

an libera ſemper: in arce, an domi : & quomodo factum ſit: an ferro, an veneno: & quo tempore, bello an pace : an cum depoſiturus eſſet eam poteſtatem: an cum aliquid noui ſceleris auſurus. Habetur in meritis gratia , periculum quoque ac difficultas. Similiter liberalitas à quo profecta ſit refert. Nam in paupere gratior quàm in diuite , dante beneficium quàm reddente, patre quàm orbo. Item quam rem dederit, & quo tempore,& quo animo,id eſt,num in aliquam ſpem ſuam: ſimiliter alia. Et ideo qualitas maxima Oratoris recipit opera, quia in vtrãque partem plurimum eſt ingenio loci,nec vſquã tantum affectus valent. Nam coniectura extrinſecus quoque adductas frequenter probationes habet,& argumenta ex materia ſumit: vt quale quicque videatur,eloquentia opus eſt,hic regnat, hic imperat , hic ſola vincit. ¶ Huic parti ſubiungit Virginius cauſas abdicationis, dementiæ, malæ tractationis, orbarum nuptias indicentiũ. Nam & iudicium ferè ſic accidit, inuentíque ſunt qui has materias officiorũ vocarent. Sed alios quoque nonnunquam leges hæ recipiunt ſtatus. Nam & coniectura eſt aliquando in pleriſque horum, cum ſe vel non feciſſe,vel bona mente feciſſe,contendunt. Cuius generis exẽpla ſunt multa. Et quid ſit dementia,& mala tractatio finitur. Nã iuris quæſtiones plerũque leges præcurrere ſolent , & ex quibus cauſis non fiat ſtatutum. Quod tamen facto defendi non poterit, iure nitetur. Et quot & quibus cauſis abdicare non liceat: & in quæ crimina malæ tractationis actio detur : & cui accuſare dementiæ non permittatur. [Abdicationum formæ ſunt duæ: altera criminis perfecti,vt ſi abdicetur raptor,adulter: altera imperfecti, velut pendentis, & adhuc in cõditione poſiti : quales ſunt,in quibus abdicatur filius, quia non pareat patri . Illa ſemper aſperam abdicantis actionem habet, (immutabile eſt enim quod factum eſt:)hæc ex parte blandam & ſuadendi ſimilẽ. Mauult enim pater corrigere,q̃ abdicare. At pro filijs in vtroque genere ſummiſſam,& ad ſatisfaciendum compoſitam,à quo diſſenſuros ſcio,qui libenter patris figurã lædunt: quod non auſim dicere, nunquam eſſe faciendũ (poteſt enim materia incidere, quæ hoc exigat) cæterum videndum eſt quoties aliter agi poteſt. Sed de figuris in alio libro tractabimus. Non diſſimiles autem abdicationũ actionibus ſunt malæ tractationis actiones. Nã & ipſæ habent eandem in accuſationibus moderationem. [Dementiæ quoque iudicia,aut

Præmijs ſubiacent varia cauſarum genera, vt

Abdicationũ.

Dementiæ.

propter id quod factũ eſt,aut propter id quod adhuc fieri vel non fieri poteſt,inſtituuntur: & actor in eo quod factum eſt, liberum habet impetum : ſic tamen,vt factum accuſet, ipſius patris tanquam valetudine lapſi miſereatur:in eo verò,cuius libera mutatio eſt, diu roget & ſuadeat, & nouiſſimè dementiam rationi quęratur obſtare,non mores,quos quanto magis in præteritũ laudauerit,tanto facilius probabit morbo eſſe mutatos. Reus quoties cauſa patietur, debebit eſſe in defenſione moderatus,quia ferè ira,cõtentio,& concitatio furori ſunt ſimilia. Omnibus his cõmune eſt, quòd rei non ſemper defenſione facti, ſed excuſatione ac venia frequenter vtuntur. Eſt enim domeſtica diſceptatio, in qua & ſemel peccaſſe, & per errorem,& leuius quàm obijciatur,abſolutioni nonnunquam ſufficit. [Sed alia quoq; multa controuerſiarũ genera in qualitatem cadunt Iniuriarum:quanquam enim reus aliquãdo feciſſe negat, plerũque tamen hæc actio facto,atque animo cõtinetur. [De accuſatore conſtituendo,quæ iudicia Diuinationes vocantur:(in quo genere Cicero quidẽ, qui mandantibus ſocijs Verrem accuſabat,hac vſus eſt diuiſione) ſpectandum à quo maximè agi velint ij,de quorum vltione quæritur,à quo minimè velit is,qui accuſatur.Frequentiſſimę tamen hæ ſunt quæſtiones, vter maiores cauſas habeat , vter plus induſtriæ, aut virium ſit allaturus ad accuſandum , vter id meliore fide ſit facturus. [Tutelæ præterea, in quo iudicio ſolet quæri, an alia de re quàm de calculis cognoſci oporteat : an fidem præſtare debeat tantum, non etiam conſiliũ & euentum. [Cui ſimile eſt malæ geſtæ procurationis in foro negociorum geſtorum,nam & mãdati actio eſt.[Præter hæc finguntur in ſcholis & ſcripti maleficij,in quibus aut hoc quæritur,an ſcriptum ſit:aut hoc,an maleficium ſit,raro vtrũque.[Malæ geſtæ legationis,apud Græcos & veris cauſis frequẽs,vbi iuris loco quæri ſolet,an omnino aliter agere quàm mandatum ſit,liceat:& quouſque ſit legatus,quoniam alij in renunciando ſunt.vt is, qui teſtimonium in Verrem dixerat,poſt perlatam legationẽ. Plurimum tamen eſt in eo,quale ſit factum.[Reip.læſæ.Hinc mouentur quidem mille iuris cauillationes, quid ſit remp.lædere , & læſerit ne an profuerit , & ab ipſo an propter ipſum læſa ſit.In facto tamen plurimum ineſt. [Ingrati quoque: In quo genere quæritur, an is cum quo agitur, acceperit beneficium:quod rarò negãdum eſt(ingratus eſt enim qui negat)an

Iniuriarum.

De accuſatore cõſtituẽdo.

Tutelæ.

Procuratiõis malæ geſtæ.

Scripti maleficij.

Malę geſtę legationis.

Reipub.læſę.

Ingrati.

quantũ acceperit reddiderit: an prot inus,qui non reddiderit, ingratus ſit:an potuerit redder e:an id quod exigebatur,debue rit:quo animo ſit.[Simpliciores illæ iniuſti repudij,ſub qua le- *Iniuſti repudij.*
ge cõtrouerſiæ illud proprium habent,quòd à parte accuſan- *Cauſæ mortis*
tis defenſio eſt,& defendentis accuſatio. [Præterea cum quis *in Senatu.*
rationem mortis in Senatu reddit,vbi vna quęſtio eſt iuris,an is demum prohibendus ſit,qui mori vult vt ſe legum actionibus ſubtrahat.Cætera qualitatis. [Finguntur & teſtamenta,in *Teſtamenti.*
quibus de ſola quæratur voluntate:vt in cõtrouerſia quã ſuprà *Nuptiarum*
expoſui,in qua de parte patrimonij quarta,quã pater digniſ- *orbæ.*
ſimo ex filijs reliquerat,cõtendunt philoſophus,medicus,Orator. [Quod item accidit,ſi orbæ nuptias indicãt pares gradu, & ſi inter propinquos de idoneo quæratur. Sed mihi nec omnes perſequi materias in animo eſt:fingi enim adhuc poſſunt, nec communes ſunt earum quæſtiones,quia poſitionibus mutantur.Hoc tantum admiror,Flauium cuius apud me meritò ſumma eſt authoritas, cum artem ſcholæ tantum cõponeret, tam anguſtè materiam qualitatis terminaſſe. ¶Quãtitas quo- *De QVANtitate vel pœnæ vel Præmij.*
que(vt dixi) etiam ſi nõ ſemper, tamen plerũque eidem ſubiacet,ſeu modi eſt, ſeu numeri. Sed modus aliquando conſtat æſtimatione facti,quanta ſit culpa,quantúmve beneficiũ: aliquando iure,cum id in controuerſiam venit,qua quis lege puniendus,vel honorandus ſit. Stuprator an decem millia dare debeat, quæ pœna huic crimini conſtituta eſt: an quia ſtupratus ſe ſuſpendit,capite puniri,tanquam cauſa mortis.Quo in genere falluntur, qui ita dicunt,tanquã inter duas leges quæratur.Nam de decem millibus nulla controuerſia eſt,quę nec petuntur. Iudicium redditur,an reus cauſa ſit mortis. In coniecturam quoque eadem ſpecies cadit,cum perpetuo,an quinquennali ſit exilio multandus,in controuerſiam venerit:num prudens cædem commiſerit,quæritur. Illa quoque,quę ex numero ducitur,pendet ex iure,an Thraſybulo triginta præmia debeantur:& cum duo fures pecuniam abſtulerunt,ſeparatim quadruplum quiſque, an duplũ debeat. Sed hic factũ quoque æſtimatur, & tamen ius ipſum pendet ex qualitate.

¶De actionis quæſtione. Cap.VI.

QVI neq; feciſſe ſe negabit, neq; aliud eſſe quod fecerit dicet,neque factũ defendet,neceſſe eſt in ſuo iure cõſiſtat.In quo plerũque actionis eſt quæſtio, quæ nõ ſem-

per eadem eſt, vt quidam putauerunt. Nam & iudicium antecedit, qualia ſunt Præturæ curioſa conſilia, cum de iure accuſatoris ambigitur, & in ipſis frequentiſſimè iudicijs verſatur.

Ex præſcriptione. ¶Eſt enim duplex eius diſceptationis conditio, quòd aut intentio, aut præſcriptio habet controuerſiam. Ac fuerunt, qui præſcriptionis ſtatum facerent, tanquam ea non ijſdem omnibus, quibus cæteræ léges quæſtionibus contineretur. Cum ex præſcriptione lis pendet, de ipſa re quæri nõ eſt neceſſe. Ignominioſo patri filius præſcribit, de eo ſolo iudicatio eſt, an liceat. Quoties tamen poterimus efficiendũ eſt, vt de re quoque bene ſentiat. Sic enim iuri noſtro libentius indulgebit: vt in ſpõſionibus, quæ ex interdictis fiunt, etiam ſi nõ proprietatis eſt quæſtio, ſed tantũ poſſeſſionis, tamen non ſolum poſſediſſe nos, ſed etiam noſtrum poſſediſſe docere oportebit. [Sed frequentius etiam quæritur de intentione, Vir fortis optet quicquid volet, nego illi dandum quicquid optauerit, non habeo præſcriptionẽ, ſed tamen volũtate cõtra verba præſcriptionis modo vtor. [In vtroque autẽ genere ſtatus idem fit. Porrò lex omnis, aut tribuit, aut adimit, aut punit, aut iubet, aut vetat, aut permittit. Litẽ habet, aut propter ſe ipſam, aut propter alterã. Quæſtio eſt aut in ſcripto, aut in volũtate. In ſcripto, aut apertum eſt, aut obſcurũ, aut ambiguũ. Quod de legibus dico, idem accipi volo de teſtamentis, pactis, ſtipulationibus, omni denique ſcripto, idem de voce. Et quoniã quatuor eius generis quæſtiones vel ſtatus facimus, ſingulos percurram.

¶De ſtatu ex ſcripto & voluntate. Cap. VII.

SCripti & voluntatis frequentiſſima inter cõſultos quæſtio eſt, & pars magna cõtrouerſiæ iuris hinc pendet: quo minus id in ſcholis accidere mirũ eſt, vbi etiam ex induſtria fingitur. ¶Eius genus vnum eſt, in quo & de ſcripto, & de voluntate quæritur. Id tum accidit, cum eſt in lege aliqua obſcuritas, & in ea aut vterque ſuam interpretationem confirmat, aut aduerſarij ſubuertit: vt hic, Fur quadruplum ſoluat, duo ſurripuerunt pariter decem millia, petuntur ab vtroque quadragena, illi poſtulant vt vicena conferant. Nam & actor dicit, hoc eſſe quadruplum quod petat, & rei hoc quod offerant. [Voluntas quoque vtrinque defenditur, aut cum de altero iatellectu certum eſt, de altero dubiũ. Ex meretrice natus, ne concionetur. Quæ filiũ habebat, proſtare cœpit. Prohibetur adoleſcens cõcione. Nam de eius filio, quæ ante partum

meretrix fuit,certũ eſt: an eadem huius cauſa ſit,dubium eſt, quia ex hac natus, & hæc meretrix eſt. [Solet & illud quæri, quo referatur quod ſcriptum eſt,bis de eadem re ne ſit actio, id eſt,hoc bis ad actorem,an ad actionẽ.Hęc ex iure obſcuro. ¶Alterum genus eſt ex manifeſto,quod qui ſolum viderunt, hunc ſtatũ plani & volũtatis appellauerunt.In hoc altera pars ſcripto nititur,altera voluntate.Sed cõtra ſcriptum tribus generibus occurritur. [Vnum eſt,in quo id ſeruari ſemper non poſſe ex ipſo patet.Liberi parentes alant aut vinciantur.Non enim alligabitur infans. [Hinc erit ad alia trãſitus & diuiſio, num quiſquis non aluerit,nũ hic.Propter hoc proponunt quidam tale genus controuerſiarum,in quo nullum argumẽtum eſt, quod ex lege ipſa peti poſſit, ſed de eo tantum, de quo lis eſt,quærendum ſit.Peregrinus,ſi murum aſcenderit,capite puniatur.Cum hoſtes murum aſcendiſſent, peregrinus eos depulit.petitur ad ſupplicium. Non erunt hic ſeparatæ quæſtiones, an quiſquis,an hic:quia nullum poteſt afferri argumentũ contra ſcriptum vehementius eo quod in lite eſt:ſed hoc tantum, an ne ſeruandæ quidem ciuitatis cauſa.Ergo & æquitate & voluntate pugnandũ.Fieri tamen poteſt,vt ex alijs legibus exempla ducamus,per quæ appareat ſemper ſtari ſcripto non poſſe, vt Cicero pro Cecinna fecit.[Tertium,cũ in ipſis verbis legis reperimus aliquid per quod probemus aliud legũlatorem voluiſſe:vt in hac controuerſia,Qui nocte cum ferro deprehẽſus fuerit,alligetur.Cum annulo ferreo inuentum magiſtratus alligauit. Hic quia eſt verbum in lege,deprehenſus, ſatis etiam ſignificatum videtur non contineri lege niſi noxium ferrum. Sed vt qui volũtate nitetur,ſcriptum quoties poterit infirmare debebit:ita qui ſcriptum tuebitur,adiuuare ſe etiam voluntate tentabit.[In teſtamentis & illa accidunt,vt voluntas manifeſta ſit,ſcriptum nihil ſit:vt in iudicio Curiano,in quo nota L. Craſſi & Scæuolæ fuit contentio.Subſtitutus hæres erat,ſi poſthumus ante tutelę ſuæ annos deceſſiſſet.Nõ eſt natus.propinqui bona ſibi vendicabant.Quis dubitaret,quin ea voluntas fuiſſet teſtãtis,vt is non nato filio hæres eſſet,qui mortuo? ſed hoc non ſcripſerat.[Id quoque,quod huic contrarium eſt, accidit nuper,vt eſſet ſcriptum quod appareret ſcriptorem noluiſſe, qui ſeſtertiũm numũm quinque millia legauerat , cum emendaret teſtamentum,ſublatis ſeſtertijs numis,argẽti pondo poſuit,quinque millia remanſerunt.Apparuit tamen quin-

De teſtamentis.

De Orat.1.

que pondo dari voluiſſe, quia ille in argento legato modus, & inauditus erat, & incredibilis. Sub hoc etiam ſtatu generales ſunt quæſtiones, ſcripto an voluntate ſtandum ſit: quæ fuerit ſcribentis voluntas, tractatus omnes qualitatis aut coniecturæ, de quibus ſatis dictum arbitror.

¶De contrarijs legibus. Cap. VIII.

Antinomia. PRoximum eſt de legibus contrarijs dicere, quia inter omnes artium ſcriptores cõſtat in Antinomia duos eſſe, ſcripti & voluntatis, ſtatus: neq; immerito, quia cum lex legi obſtet, vtrinque contra ſcriptum dicitur, & quæſtio eſt de voluntate. in vtraque id ambigitur, an vtique illa lege ſit vtendum. Omnibus autem manifeſtum eſt, nunquam eſſe legem legi contrariam iure ipſo: quia ſi diuerſum ius eſſet, alterum altero abrogaretur: ſed eas caſu collidi, & euentu. [Colliduntur autem aut pares inter ſe, vt ſi optio tyrãnicidæ, & viri fortis comparentur, vtrique data quod velit petendi poteſtate, hic meritorum temporis, præmij collatio eſt: aut ſecum ipſæ: vt duorum fortium, duorũ tyrannicidarum, duarum raptarum: in quibus non poteſt eſſe alia quæſtio quàm tẽporis,

Diuerſæ. vtra prior ſit: aut qualitatis, vtra iuſtior ſit petitio. [Diuerſæ quoq; leges cõfligunt, aut ſimiles. Diuerſæ, quibus etiam citra aduerſam legem contradici poſſit: vt in hac controuerſia, Magiſtratus ne ab arce diſcedat, Vir fortis optato quæ volet: vel alia nulla obſtante, quæri poteſt an quicquid optarit accipere debeat: & à magiſtratu multa dicentur, quibus ſcriptum expugnatur. Si incendium in arce fuerit: ſi in hoſtes recurrendum.

Similes. [Similes, cõtra quas nihil opponi poteſt, niſi lex altera. Tyrannicidæ imago in gymnaſio ponatur: contrà mulieris imago in gymnaſio ne ponatur. Mulier tyrannum occidit. Nam neque mulieris imago vllo alio caſu poni poteſt, neque tyrannicidæ

Impares. vllo alio caſu ſummoueri. [Impares ſunt, cũ alteri multa ſunt quæ opponi poſſunt, alteri nihil, niſi quod in lite eſt: vt cum vir fortis impunitatem deſertoris petit. Nam cõtra legem viri fortis (vt ſuprà oſtendi) multa dicũtur: aduerſus deſertores

Cum confeſſum ius. ſcripta non poteſt niſi optione ſubuerti. ¶Item aut confeſſum eſt ex vtraque parte ius, aut dubium. Si confeſſum eſt, hęc ferè quæruntur: Vtra lex potentior: ad deos pertineat, an ad homines: ad rempublicam, an ad priuatos: de honore, an de pœna: de magnis rebus, an de paruis. Permittat, an vetet, an imperet. Solet tractari & vtra ſit antiquior, & velut potentiſſima,

vtra minus perdat: vt in deſertore,& viro forti,quòd illo non occiſo, lex tota tollatur: occiſo, ſit reliqua viro forti alia optio. Plurimum tamen eſt in hoc,vtrum fieri ſit melius atque æquius,de quo nihil præcipi,niſi propoſita materia poteſt.[Si dubium,aut alteri,aut inuicem vtrique de iure ſit controuerſia,vt in re tali.Patri in filium,patrono in libertum manus iniectio ſit. Liberti hæredem ſequantur. Liberti filium quidam fecit hæredem, inuicem petitur manus iniectio , & patronus negat ius patris illi fuiſſe , quia ipſe in manu patroni fuerit. ¶Duplices leges ſicut duæ colliduntur, vt nothus ante legitimum natus legitimus ſit,poſt legitimum tantũ ciuis.¶Quod de legibus,idem de Senatuſconſultis dictum, quæ ſi aut inter ſe pugnent aut obſtent legibus,non tamen aliud ſit eius ſtatus nomen.

Cum ius dubium.

¶De ſyllogiſmo,ſeu ratiocinatione. Cap.IX.

SYllogiſmus habet aliquid ſimile ſcripto & voluntati, quia ſemper pars in eo altera ſcripto nititur.Sed hoc intereſt,quòd illic contra ſcriptum dicitur,hic ſuper ſcriptum:illic qui verba defendit,hoc agit vt fiat vtiq; quod ſcriptum eſt,hic ne aliud quàm ſcriptum eſt.Eius nonnulla etiam cum finitione eſt cognatio. Nam ſæpe ſi finitio infirma eſt,in ſyllogiſmum delabitur . Sit enim lex, Venefica capite puniatur. Sæpè ſeparanti amatorium dedit,eundem repudiauit,per propinquos rogata vt rediret,non eſt reuerſa,ſuſpendit ſe maritus:mulier veneficij rea eſt. Fortiſſima eſt actio dicẽtis amatorium venenum eſſe,id erit finitio: quæ ſi parum valebit,fiet ſyllogiſmus,ad quẽ velut remiſſa priore cõtentione veniemus an perinde puniri debeat,ac ſi virum veneno necaſſet.¶Ergo hic ſtatus ducit ex eo quod ſcriptum eſt,id quod incertum eſt: quod quoniã ratiocinatione colligitur, ratiocinatiuus dicitur. ¶In has autem ferè ſpecies venit: An quod ſemel ius eſt,idem & ſæpius.Inceſti damnata,& prẽcipitata de ſaxo vixit,repetitur. An quod in vno,& in pluribus.Qui duos vno tempore tyrannos occidit,duo præmia petit.An quod ante,& poſtea.Raptor profugit , rapta nupſit , reuerſo illo petit optionem . An quod in toto, idem in parte.Aratrum accipere pignore non licet,vomerẽ accepit.An quod in parte,idem in toto.Lanas vehere Tarento non licet,oues vexit.[In his ſyllogiſmis ſcripto alter nititur,alter non ſatis cautum eſſe dicit.Poſtulo vt præcipitetur inceſta,lex eſt: & rapta optionem petit,& in oue lanæ

Vnũ genus cũ incertum ex ſcripto ducitur,quod plures habet ſpecies.

ſunt ſimiliter alia. Sed quia reſpõderi poteſt, non eſt ſcriptum vt ſæpius præcipitetur damnata, vt quandocũque rapta opter, vt tyrãnicida duo præmia accipiat, nihil de vomere cautum, nihil de ouibus: ex eo quod manifeſtũ, colligitur quod dubium eſt. ¶ Maioris pugnæ eſt, ex ſcripto ducere quod ſcriptum non eſt. An quia hoc, & hoc. Qui patrem occiderit, culeo inſuatur: matrem occidit. Ex domo in ius educere ne liceat: tabernaculis eduxit. [In hoc genere hæc quæruntur: An quoties propria lex non eſt, ſimili ſit vtendum. An id de quo agitur, ei de quo ſcriptum eſt, ſimile ſit. Simile autem & maius eſt, & par & minus. In illo priore, an ſatis lege cautum ſit, an etſi parum cautum eſt, hac ſit vtendum. In vtroque de voluntate legumlatoris, ſed de æquo tractatus potentiſſimi.

Aſt erũ genus cum id quod ſcriptũ nõ eſt ex ſcripto diiudicatur.

¶ De ambiguo, ſeu amphibologia. Cap. X.

AMphibologiæ ſpecies ſunt innumerabiles: adeo vt philoſophorum quibuſdã nullum videatur eſſe verbum, quod non plura ſignificet: genera admodũ pauca. Aut enim vocibus accidit ſingulis, aut coniunctis. Singula afferunt errorem cum pluribus rebus, aut hominibus eadem appellatio eſt: ὁμωνυμία dicitur, vt gallus. Vtrum enim auem, an gentem, an nomen, an fortunam corporis ſignificet, incertum eſt. Aiax Telamonis an Oilei filius. Verba quoque quædam diuerſos intellectus habent, vt cerno: quæ ambiguitas plurimis modis accidit. Vnde ferè lites præcipuè ex teſtamentis, cum de libertate, aut etiam de hæreditate contendunt ij, quibus idem nomen eſt, aut quid ſit legatum quæritur. Alterum eſt in quo alia verbo integro ſignificatio eſt, alia diuiſo: vt ingenua, & armamentum, & coruinum, ineptæ ſanè cauillationes, ex qua tamen Græci controuerſias ducũt: inde ἀυλαίξις illa vulgata, cum quęritur, vtrum aula quę ter ceciderit, an tibicina ſi ceciderit, debeat publicari. Tertia eſt ex compoſitis, vt ſi quis corpus ſuum in occulto loco poni iubeat, circáque monumentum multum agri ab hæredibus in tutelam cinerum, vt ſolet leget, ſit latus hoc cultum. Sic apud Græcos contendit λέων & παντελέων, cum ſcriptura dubia eſt bona omnia λέοντι, an bona παντελέοντι relicta ſint [In coniunctis plus ambiguitatis eſt. Fit autem per caſus: vt, Aio te Aeacida Romanos vincere poſſe. Per collocationem, vbi dubium eſt quid quò referri oporteat: ac frequentiſſime cum id quod medium eſt, vtrinque poſſit trahi, vt de Troilo Virgilius, Lora tenens tamen. Hic vtrum quòd te-

neat tamen lora,an quamuis teneat,tamen trahatur,quæri po teſt.Vnde controuerſia illa,Teſtamento quidã iuſſit poni ſtatuam auream haſtam tenentẽ.Quæritur ſtatua haſtam tenens aurea eſſe debeat,an haſta eſſe aurea in ſtatua alterius materię. Fit per flexum idem magis,Quinquaginta vbi erant centum inde occidit Achilles. Sæpe vtri duorum antecedentium ſermo ſubiunctus ſit,in dubio eſt.Vnde eſt controuerſia, Hæres meus vxori meæ dare damnas eſto argenti,quod elegerit,pondo centum. Vter eligat quæritur. Verùm id quod ex his primum eſt mutatione caſuum:ſequens diuiſione verborum,aut tranſlatione emendatur : tertium adiectione. Accuſatiui geminatione facta,amphibologia ſoluitur ablatiuo, vt illud,Lachetem audiui percuſſiſſe Demeam : fiat, à Lachete percuſſum Demeam.Sed ablatiuo ipſi,vt in primo diximus,ineſt naturalis amphibologia, Cælo decurrit aperto. Vtrum per apertum cælum, an cum cælum apertũ eſſet. Diuiſio reſpiratione & mora conſtat. Statuam,deinde auream haſtam:vel ſtatuam auream,deinde haſtam. Adiectio talis eſt,argentum quod elegerit ipſe,vt hæres intelligatur:vel ipſa,vt vxor. Adiectione facta amphibologia,qualis ſit,Nos flentes illos deprehendimus, detractione ſoluetur.Pluribus verbis emendandum,vbi eſt id, quod quò referatur,dubium eſt, & ipſum eſt ambiguum. Hæres meus dare illi damnas eſto omnia ſua.In quod genus incidit Cicero loquens de C. Fannij ſoceri inſtituto , quem quia cooptatus in Augurum collegium non erat, nõ admodum diligebat:præſertim cum ille Q. Scæuolam ſibi minorem natu generum prætuliſſet. Nam id ſibi & ad ſocerum referri, & ad Fannium poteſt. Productio quoque in ſcripto & correptio, in dubio relicta, cauſa eſt ambiguitatis, vt in hoc Cato: aliud enim oſtendit breuis ſecunda ſyllaba caſu nominatiuo , aliud eadem ſyllaba producta caſu datiuo aut ablatiuo . Plurimæ præterea ſunt aliæ ſpecies,quas perſequi nihil neceſſe eſt. Nec refert quo modo facta ſit amphibologia , aut quo reſoluatur. Duas enim res ſignificari manifeſtum eſt,& quod ad ſcriptum vocémve pertinet,in vtrãque par eſt partem.Ideóque fruſtra præcipitur , vt in hoc ſtatu vocem ipſam ad noſtram partem conemur vertere.Nam ſi id fieri poteſt,amphibologia nõ eſt. Amphibologiæ autẽ omnis in his erit quæſtio,aliquando vter ſit ſecũdum naturam magis ſermo, ſemper vtrum ſit æquius, vtrum is qui ſic ſcripſit ac ſic dixit, ſic voluerit. Quarum in

Damnas pro dãnatus, vetuſta loquendi forma.

vtranque partem ſatis ex his,quæ de cõiectura & qualitate diximus,præceptum eſt.

¶ Quæ ſit inter ſtatus cognatio,& quæ diuerſitas. Cap. XI.

EST autẽ quædam inter hos ſtatus cognatio. Nam & in finitione,quæ ſit voluntas nominis quæritur:& in ſyllogiſmo,qui ſecũdus à finitione ſtatus eſt,ſpectatur,quid voluerit ſcriptor:& ex cõtrarijs legibus duos eſſe ſcripti & volũtatis ſtatus apparet.Rurſus finitio quodãmodo eſt amphibologia,cum in duas partes diducatur intellectus nominis.Scriptum & voluntas habet in verbis vocis quæſtionẽ,quod idem in Antinomia petitur.Ideóque omnia hæc quidam ſcriptum & voluntatem eſſe dixerũt,alij in ſcripto & voluntate amphibologiam eſſe,quæ facit quæſtionem.Sed diſtincta ſunt.Aliud eſt enim obſcurum ius,aliud ambiguum. Igitur finitio in natura ipſa nominis quæſtionem habet generalem,& quæ eſſe etiam citra complexum cauſæ poſſit. Scriptum & voluntas de eo diſputat verbo quod eſt in lege: Syllogiſmus de eo, quod non eſt:Amphibologiæ lis in diuerſum trahit:Legum contrariarũ ex diuerſo pugna eſt. Neque immerito recepta eſt à doctiſſimis hæc differentia,& apud plurimos, ac prudentiſſimos durat.¶ Et de hoc quidem genere diſceptationis,etiam ſi non omnia tradi,tamen aliqua potuerunt. Sunt alia, quæ niſi propoſita de qua dicendum eſt,materia, viam docendi non præbeant . Non enim cauſa vniuerſa in quæſtiones ac locos diducenda eſt.Sed ipſæ hæ partes habent rurſus ordinẽ ſuum.Nam & in proœmio primum eſt aliquid,& ſecundũ,ac deinceps. Et quæſtio omnis ac locus habet ſuam diſpoſitionem,vt theſes etiam ſimplices.An ſic forte ſatis erit diuidẽdi peritus,qui controuerſiam in hæc diduxerit? An omne præmiũ viro forti dandum ſit,an ex priuato,an nuptiæ,an ea quæ nupta ſit,an hæc? deinde cum fuerit de prima quæſtione dicendum, paſſim & vt quicque in mentem veniet,miſcuerit? non primum in ea ſcierit eſſe tractandum,verbis legis ſtandum ſit, an voluntate,huius ipſius particulæ aliquod initium fecerit? Deinde proxima ſubnectens ſtruxerit orationẽ,vt pars hominis eſt manus,eius digiti,illorum quoq; articuli? Eſt & hoc,quod ſcriptor demonſtrare non poſſit,niſi certa definitáq; materia.Sed quid vna faciat aut altera? quinimò centũ ac mille in re infinita, atq; materia? Præceptoris eſt,in alio atq; alio genere quotidie oſtẽdere quis ordo ſit rerum, & quæ copulatio, vt paulatim fiat vſus &

Nõ omnia arte tradi poſſe ſed naturam quoq; & ſtudium eſſe neceſſarium.

ad ſimilia trāſitus. Tradi enim omnia quæ ars efficit, non poſ ſunt. Nam quis pictor omnia, quæ in rerū natura ſunt, adumbrare didicit? Sed percepta ſemel imitandi ratione aſſimilabit quicquid acceperit. Quis enim non faber vaſculum aliquod, quale nūquam viderat, facit? Quædam verò non docentiū ſunt ſed diſcentiū. Nam medicus quid in quoque valetudinis genere faciendū ſit, quid quibuſque ſignis prouidendum, docebit. Vim ſentiēdi, pulſus venarum, caloris motus, ſpiritus meatum, coloris diſtantiam, quæ ſua cuiuſque ſunt, ingenium dabit. Quare plurima petamus à nobis, & cum cauſis deliberemus, cogitemūſque homines antè inueniſſe artē quàm docuiſſe. Illa enim potentiſſima eſt, quæque verè dicitur œconomica totius cauſæ diſpoſitio, quæ conſtitui niſi velut in re præſenti non poteſt. Vbi aſſumendum procœmium, vbi omittendum, vbi vtendū expoſitione cōtinua, vbi partita, vbi ab initijs incipiendum, vbi more Homerico à medijs vel vltimis, vbi omnino non exponendum, quando à noſtris, quando ab aduerſariorū propoſitionibus incipiamus, quādo à firmiſſimis probationibus, quando à leuioribus, qua in cauſa præponēdæ procœmijs quæſtiones, qua præparatione præmuniendæ, quid iudicis animus accipere poſſit ſtatim dictum, quò paulatim deducendus. Singulis an vniuerſis opponenda refutatio. Reſeruandi perorationi, an per totam orationem diffundendi affectus. De iure prius an de æquitate dicēdum. An anteacta crimina, an de quibus iudicium eſt, prius obijcere, vel diluere cōueniat. Si multiplices cauſæ erūt, quis ordo faciendus, quę teſtimonia, tabulæve cuiuſque generis in actione recitandæ, quæ reſeruandæ. Hæc eſt velut imperatoria virtus copias ſuas partientis ad caſus præliorū, retinentis partes propter caſtella tuenda cuſtodiendáſve vrbes, petendos commeatus, obſidenda itinera, mari denique ac terra diuidentis. Sed hæc in oratione præſtat omnia cui affuerint natura, doctrina, ſtudiū. Quare nemo expectet, vt alieno tantum labore ſit diſertus. Vigilandum ducat, iterum enitendum, pallendum eſt, facienda ſua cuique vis, ſua ratio, non reſpiciendū ad hæc, ſed in prōptu habēda: nec tanquam tradita, ſed tanquā innata. Nam viam demōſtrare velociter ars poteſt, ſi qua eſt. Verum ars ſatis præſtat, ſi copias eloquentiæ ponit in medio. Noſtrū eſt vti eis ſcire. Reliqua partiū eſt demū diſpoſitio. Et in his ipſis primus aliquis ſenſus, & ſecūdus & tertius: qui non modo vt ſint ordine collocati, elabo-

randum eſt,ſed vt inter ſe iuncti,atque ita cohærẽtes,ne commiſſura perluceat,corpus ſit non membra. Quod ita cõtingit, ſi & quid quaque conueniat viderimus, & vt verba verbis applicemus,non pugnantia,ſed quæ inuicem complectantur:Ita res non diuerſæ diſtãtibus ex locis,quaſi inuicem ignotæ colli dentur,ſed aliqua ſocietate ſe cum prioribus ac ſequẽtibus,copuláque tenebunt: ac videbitur non ſolum compoſita oratio, ſed etiam continua. Verùm longius fortaſſe progredior fallente trãſitu,& à diſpoſitione ad elocutionis præcepta labor,quod proximus liber inchoabit.

M. FABII QVINTILIANI INſtitutionum oratoriarum, Liber VIII.

PROOEMIVM.

HIs ferè,quæ in proximos quinque libros collata ſunt, ratio inueniendi, atque inuenta diſponẽdi continetur: quam vt per omnes numeros penitus cognoſcere,ad ſummam ſcientiæ neceſſarium eſt, ita incipientibus breuius ac ſimplicius tradi magis conuenit. Aut enim difficultate inſtitutionis tam numeroſæ,atque perplexæ deterreri ſolent, aut eo tempore quo præcipuè alenda ingenia,atque indulgentia quadam enutrienda ſunt,aſperiorum tractatu rerum atteruntur. Aut ſi hęc ſola didicerint,ſatis ſe ad eloquentiam inſtructos arbitrantur, aut quaſi ad certas quaſdam dicendi leges alligati, conatum omnem reformidant. Vnde exiſtimãt accidiſſe,vt qui diligentiſſimi artiũ ſcriptores extiterunt,ab eloquentia longiſſime fuerint. Via tamẽ opus eſt incipientibus,ſed ea plana,& cum ad ingrediendum,tum ad demonſtrandum expedita. Eligat itaq; peritus ille præceptor ex omnibus optima,& tradat ea demum in præſentia,quæ placent,remota refutandi cætera mora. Sequuntur enim diſcipuli quo duxeris. Mox cum robore diſcendi creſcet etiam eruditio. Iidem primo ſolum iter credant eſſe, in quod inducentur, mox illud cognituri etiam optimum. Sunt autem neque obſcura,neque ad percipiendum difficilia, quæ ſcriptores diuerſis opinionibus pertinaciter tuẽdis inuol-

uerũt. Itaq; in toto artis huiuſce tractatu difficilius eſt iudicare quid doceas, quàm cum iudicaris, docere: præcipuéque in duabus his partibus perquã ſunt pauca: circa quæ ſi is, qui inſtituitur, non repugnauerit: pronũ ad cætera habiturus eſt curſum. [Nempe enim plurimum in hoc laboris exhauſimus, vt oſtenderemus, rhetoricen bene dicendi ſcientiam, & vtilẽ, & artem & virtutẽ eſſe: Materiam eius, **res omnes**, de quibus dicendum eſſet. Tum & eas in tribus ferè generibus: demõſtratiuo, deliberatiuo, iudicialíque reperiri. Orationem porrò omnem cõſtare rebus, & verbis. In rebus intuendam inuentionem, in verbis elocutionem, in vtriſque collocationem: quæ memoria complecteretur, actio commendaret. Oratoris officium docendi, mouendi, delectandi partibus contineri. Ex quibus ad docendum, expoſitio & argumentatio: ad mouendum affectus pertinerent, quos per omnẽ quidem cauſam, ſed maximè tamen in ingreſſu ac fine dominari. Nam delectationem, quãuis in vtroq; ſit eorum, magis tamen proprias in elocutione partes habere. Quæſtiones alias infinitas, alias finitas, quæ perſonis, locis, temporibus continerẽtur. In omni porrò materia tria eſſe quærẽda: an ſit, quid ſit, quale ſit. His adijciebamus, demonſtratiuam laude ac vituperatione cõſtare. In ea, quæ ab ipſo de quo diceremus, quæ poſt eum acta eſſent intuendum. Hoc opus tractatu honeſtorum, vtiliúmque conſtare. Sua ſorijs accedere tertiam partem ex coniectura, poſſet ne fieri, & an eſſet futurum, de quo deliberaretur. Hic præcipuè diximus ſpectãdum, quis, apud quem, quid diceret. Iudicialium cauſarum, alias in ſingulis, alias in pluribus controuerſijs conſiſtere: & in quibuſdam ſufficere modò intentionẽ, modò depulſionem: porrò depulſionem omnem inficiatione duplici, factúmne, & an hoc factum eſſet: præterea defenſione ac trãſlatione conſtare. Quæſtionem aut ex facto, aut ex ſcripto eſſe. Ex facto, de rerum fide, proprietate, qualitate. Ex ſcripto, de verborum vi, aut voluntate: in quibus vis, tum cauſarum, tum actionum inſpici ſoleat: quæque aut ſcripti & volũtatis, aut ratiocinatiuæ, aut ambiguitatis, aut legum contrariarum ſpecie continetur. In omni porrò cauſa iudiciali quinque eſſe partes: quarum exordio conciliari audientem, narratione cauſam proponi, confirmatione roborari, refutatione diſſolui, peroratione aut memoriam iudicis refici, aut animos moueri. His argumentandi & afficiẽdi locos, & quibus generibus con-

Epilogus omnium quæ ſuprà dicta ſũt

citari, placarij, resolui iudices oporteat, adiecimus. Accessit ratio diuisionis. Credere modo, qui discet, velit, certam quandam viam esse, in qua multa etiam sine doctrina præstare debeat per seipsa natura, vt hæc de quibus dixi, non tam inuenta à præceptoribus, quàm cum fierent obseruata esse videantur. ¶ Plus exigunt laboris & curæ quæ sequuntur. Hinc enim iam elocutionis rationem tractabimus, partem operis, vt inter omnes oratores conuenit, difficillimam. Nam & M. Antonius, cuius suprà habuimus mentionem, cum ait à se disertos visos esse multos, eloquentem autem neminem: disertis satis putat dicere quæ oporteat: ornatè autem dicere proprium esse eloquentissimi. Quæ virtus si vsque ad eum in nullo reperta est, ac ne in ipso quidem, aut L. Crasso, certum est & in his, & in prioribus eam desideratam, quia difficillima fuit. Et M. Tullius inuentionem quidem, ac dispositionem prudentis hominis putat, eloquentiã oratoris. Ideóque præcipuè circa præcepta partis huius elaborauit. Quod eum meritò fecisse, etiã ipso rei de qua loquimur, nomine, palàm declaratur. Eloqui enim hoc est, omnia quæ mente conceperis, promere, atque ad audiẽtes perferre, sine quo superuacua sunt priora, & similia gladio condito, atque intra vaginam suam hærenti. Hoc itaq; maxime docetur, hoc nullus nisi arte assequi potest, huic studium adhibendum, hoc exercitatio petit, hoc imitatio, hic omnis ætas consumitur, hoc maxime orator oratore præstantior, hoc genera ipsa dicendi alia alijs potiora. Neque enim Asiani, aut quocunq; alio genere corrupti, res non viderunt, aut eas non collocauerunt, neque quos aridos vocamus, stulti, aut in causis cæci fuerunt: sed his iudicium in eloquendo ac modus, illis vires defuerunt, vt appareat in hoc & vitium & virtutem esse dicendi. [Non ideo tamen sola est agenda cura verborũ. Occurram enim necesse est, & velut in vestibulo protinus apprehensuris hanc confessionem meam resistam ijs, qui omissa rerum (qui nerui sunt in causis) diligentia, quodam inani circa voces studio senescunt: ídque faciunt gratia decoris: quod est in dicendo (mea quidem opinione) pulcherrimum, sed cum sequitur, non cum affectatur. Corpora sana, & integri sanguinis, & exercitatione firmata, ex ijsdem his speciem accipiũt, ex quibus vires: namque & colorata, & astricta, & lacertis expressa sunt: sed eadẽ, si quis vulsa atq; fucata muliebriter comat, fœdissima sunt ipso formæ labore. Et cultus cõcessus atq; magni-

Elocutio difficillima.

Cura verborum cũ rebus coniungenda.

ficus addit hominibus, vt Græco verſu teſtatũ eſt,authoritatẽ. At muliebris & luxurioſus, non corpus exornat, ſed detegit mentem.Similiter illa trãſlucida & verſicolor quorũdam elocutio res ipſas effœminat, quæ illo verborũ habitu veſtiuntur. Curam ergo verborum,rerũ volo eſſe ſolicitudinem. Nam plerunq; optima rebus cohærent,& cernuntur ſuo lumine.At nos quærimus illa tanquam lateant ſemper, ſéque ſubducant. Ita nunquam putamus circa id eſſe, de quo dicendum eſt, ſed ex alijs locis petimus,& inuẽtis vim afferimus.Maiore animo aggredienda eloquentia eſt,quæ ſi toto corpore valet,vngues polire,& capillum reponere non exiſtimat ad curam ſuam pertinere. [Sed euenit plerũque,vt hac diligentia deterior etiam fiat oratio. Primũ,quia ſunt optima minimè accerſita,& ſimplicibus,atque ab ipſa veritate profectis ſimilia.Nam illa quæ curam fatentur,& ficta atq; cõpoſita videri etiam volunt,nec gratiã conſequuntur, & fidem amittunt propter id quòd ſenſus obumbrant,& velut læto gramine ſata ſtrãgulant.Nam & quod recte dici poteſt,circumimus amore verborũ:&quod ſatis dictum eſt, repetimus:& quod vno verbo patet,pluribus oneramus : & pleraq; ſignificare melius putamus quàm dicere. Quid?quòd nihil iam proprium placet,dum parum creditur diſertum,quod & alius dixiſſet. A corruptiſſimo quoque poetarum figuras ſeu tranſlationes mutuamur,tum demum ingenioſi ſcilicet,ſi ad intelligendos nos opus ſit ingenio.Atqui ſatis aperte Cicero præceperat in dicẽdo vitium vel maximum eſſe,à vulgari genere orationis,.atque à conſuetudine cõmuni abhorrere.Sed ille & durus & ineruditus,nos melius quib⁹ ſordent omnia quæ natura dictauit , qui non ornamenta quærimus,ſed lenocinia.Quaſi verò ſit vlla verborum,niſi rei cohęrentium,virtus,quæ vt propria ſint & dilucida & ornata, & apte collocentur,ſi tota vita laborandum eſt,omnis ſtudiorum fructus amiſſus eſt . Atque pleroſque videas hærentes circa ſingula,& dum inueniunt,& dum inuenta põderant,ac dimetiuntur. Quod etiam ſi idcirco fieret, vt ſemper optimis vterentur,abominanda tamẽ hæc infelicitas erat, quæ & curſum dicẽdi refrenat,& calorem cogitationis extinguit mora & diffidentia . Miſer enim, &(vt ſic dicam)pauper Orator eſt, qui nullum verbũ æquo animo perdere poteſt. Sed ne perdet quidem, qui rationẽ loquendi primum cognouerit, tum lectione multa & idonea copioſam ſibi verborum ſupellectilem com-

Corrũpit orationem nimia diligentia.

De Orat.1.

pararit,& huic adhibuerit artem collocandi, deinde hæc omnia exercitatione plurima roborarit, vt ſemper in promptu ſint,& ante oculos. Namque & hoc qui fecerit,ei res cumnominibus ſuis occurrent. Sed opus eſt ſtudio præcedente,&acquiſita facultate, & quaſi repoſita. Namque iſta quærendi,iudicandi, comparandi anxietas dum diſcimus,adhibenda eſt, non cum dicimus. Alioqui, ſicut qui patrimonium non pararunt, ſub diem quærunt: ita in oratione qui non ſatis laborarunt, ſi præparata vis dicendi non fuerit, erunt inofficioſi, nõ vt ad requiſita reſpõdere,ſed vt ſemper ſenſibus inhærere videantur. At vt vmbra corpus ſequitur,tamen in hac ipſa cura eſt aliquid ſatis. Nam cum latina,ſignificantia,ornata,apte ſint collocata, quid amplius laboremus? [Quibuſdam tamen nullus finis calumniandi eſt,& cum ſingulis penè ſyllabis commorandi,qui etiam cum optima ſint reperta,quærunt aliquid quod ſit magis antiquum,remotũ,inopinatum: nec intelligũt iacere ſenſus in oratione, in qua verba laudantur. Sit igitur cura elocutionis quammaxima,dum ſciamus tamen nihil verborum cauſa eſſe faciẽdum, cum verba ipſa rerum gratia ſint reperta,quorum ea ſunt maxime probabilia,quæ ſenſum animi noſtri optimè promũt,atque in animis iudicum, quod nos volumus,efficiunt. Ea debent præſtare ſine dubio,& admirabilem & iucũdam orationem. Verùm admirabilem,non ſic quo modo prodigia miramur,& iucundam orationem non deformi voluptate, ſed cum laude ad dignitatem coniuncta.

Quæ in elocutione ſpectanda. Cap. I.

Elocutionis diuiſio.

IGitur quã Græci φράσιν vocant,latinè dicimus elocutionem. ¶Eam ſpectamus verbis,aut ſingulis, aut coniunctis. [In ſingulis intuendum eſt, vt ſint latina,perſpicua, ornata,& ad id quod efficere volumus,accõmodata. [In coniunctis,vt emendata,vt collocata,vt figurata. ¶Sed ea quæ de ratione latinè atq; emendatè loquendi fuerunt dicenda, in libro primo,cum de grãmatice loqueremur,executi ſumus. Verùm illic tantum ne vitioſa eſſent, præcepimus: hic alienum non eſt admonere,vt ſint quamminime peregrina,& externa. Multos enim quibus loquendi ratio non deſit, inuenias, quos curioſè potius loqui dixeris, quàm latinè: quo modo & illa Attica anus Theophraſtum hominem alioqui diſertiſſimum, annotata vnius affectatione verbi, hoſpitem dixit: nec alio

se id deprehendisse interrogata respõdit,quàm quòd nimium Atticè loqueretur.Et in Tito Liuio miræ facundiæ viro putat inesse Pollio Asinius quandam Patauinitatem. Quare si fieri potest, & verba omnia, & vox huius alumnũ vrbis oleant: vt oratio Romana planè videatur,non ciuitate donata.

¶ De perspicuitate. Cap. II.

PERSPICUITAS proprijs verbis constat,quæ sunt varia.

PErspicuitas in verbis præcipuam habet proprietatem, sed proprietas ipsa non simpliciter accipitur.[Primum enim intellectus est sua cuiusq; rei appellatio, qua non semper vtimur.Nam & obscœna vitabimus,& sordida,& humilia. Sunt autem humilia infra dignitatem rerum, aut ordinis.In quo vitio cauendo non mediocriter quidam errare solent,qui omnia,quæ sunt in vsu, etiam si causæ necessitas postulet,reformidant:vt ille,qui in actione Ibericas herbas se solo nequicquam intelligente dicebat, nisi irridens hanc vanitatem Cassius Seuerus, spartum eum dicere velle indicasset. Nec video quare clarus orator duratos muria pisces, nitidius esse crediderit,quàm ipsum id quod vitabat.In hac autẽ proprietatis specie,quæ nominibus ipsis cuiusque rei vtitur,nulla virtus est:atque ei contrarium est vitium,id apud nos improprium,ἄκυρον apud Græcos vocatur:quale est,Tantum sperare dolorem. Aut quod in oratione Dolabellæ emẽdatum à Cicerone annotaui,Mortem ferre:aut qualia nũc laudantur à quibusdam,quorũ est,De cruce verba ceciderũt. Non tamẽ quicquid non erit propriũ, protinus & improprij vitio laborabit. Quia primum omnium multa sunt,& græcè,& latinè,nõ denominata.Nam & qui iaculum emittit,iaculari dicitur:qui pilam aut sudem, appellatione priuatim sibi assignata caret. Et vt lapidare quid sit manifestum est,ita glebarum testarúmque iactus non habet nomen. Vnde abusio,quæ καταχρησις dicitur, necessaria. Translatio quoque in qua vel maximus est orationis ornatus, verba non suis rebus accommodat. Quare proprietas non ad nomen,sed ad vim significãdi refertur:nec auditu, sed intellectu perpendenda est. [Secundo modo dicitur proprium inter plura quæ sunt eiusdem nominis, id vnde cætera ducta sunt:vt vortex est cõtorta in se aqua, vel quicquid aliud similiter vertitur. Inde propter flexum capillorum pars est summa capitis, & ex hoc quod est in montibus eminentissimum.Rectè inquam dixeris hæc omnia vertices,propriè tamen,vnde initiũ est.Sic soleæ,& turdi pisces,& cætera. [Ter-

ἄκυρον,vitiosum.

Abusio in multis necessaria

3 tius est huic diuersus modus, cum res communis pluribus in vno aliquo habet nomen eximium: vt carmē funebre proprie
4 nænia: & tabernaculum ducis, Augustale. [Item quod commune est & alijs nomen, intellectu alicui rei peculiariter tribuitur: vt, Vrbem, Romam accipimus: & venales, nouitios: & Corinthia, æra: cum sint vrbes aliæ quoq;, & venalia multa: & tam aurum & argentū, quàm æs Corinthium. Sed ne in his quidem
5 virtus oratoris inspicitur. [At illud iam non mediocriter probandum, quod hoc etiam laudari modo solet vt propriè dictum, id est, quo nihil inueniri possit significantius: vt Cato dixit, Caium Cæsarem ad euertendam rempub. sobrium accessisse: vt Virgilius Deductum carmē, & Horatius Acrem tibiam,
6 Annibalémque dirum. [In quo modo illud quoq; est à quibus-
1 dam traditum proprij genus ex appositis, quæ epitheta dicuntur. vt dulce mustum, & cum dētibus albis: de quo genere alio loco dicendum est. [Etiam quæ benè translata sunt, propria
7 dici solent. [Interim autem quæ sunt in quoque pręcipua, pro-
8 prij locum accipiunt, vt Fabius inter plures imperatorias virtutes, cunctator est appellatus. [Possunt videri verba, quæ plus

Emphasis ad ornatum refe renda est.

significant quàm eloquuntur, in parte ponenda perspicuitatis, intellectum enim adiuuant. Ego autem libētius emphasim retulerim ad ornatum orationis, qui nō vt intelligatur, efficiat, sed vt plus intelligatur. ¶ At obscuritas fit etiā verbis ab vsu remotis, vt si commentarios quis pontificum, & vetustissima fœdera, & exoletos scrutatus authores, idipsum petat ex eis, vt quæ inde contraxerit, non intelligantur. Hinc enim aliqui famam eruditionis affectant, vt quædam soli scire videantur. [Fallunt etiam verba, vel regionibus quibusdam magis familiaria, vel artium propria, vt Atabulus ventus, & nauis saccaria, & in malaco sanum, quæ vel vitanda apud iudicem ignarum significationum earum, vel interpretanda sunt. [Sicut in his quæ homonyma dicuntur, vt Taurus animal sit, an mons, an signum in cælo, an nomen hominis, an radix arboris, nisi distinctum, non intelligitur. [Plus tamen est obscuritatis in contextu & continuatione sermonis, & plures modi. Quare nec sit tam longus, vt eum prosequi non possit intentio: nec traiectione tam tardus, vt in hyperbaton finis eius deferatur. [Quibus adhuc peior est mixtura verborum, qualis in illo versu, Saxa vocāt Itali, medijs quæ in fluctibus, aras. [Etiam interiectione, qua & oratores, & historici frequenter vtuntur,

OBSCVritas, cuius plures sunt modi.

vt medio ſermone aliquem inſerant ſenſum, impediri ſolent intellectus,niſi quod interponitur breue eſt.Nam Virgilius illo loco,quo pullum equinum deſcribit,cum dixiſſet: Nec vanos horret ſtrepitus,cõpluribus inſertis:alia figura,quinto demum verſu redit:Tum ſiqua ſonum procul arma dedere, Stare loco neſcit.[Vitãda in primis ambiguitas,non hæc ſolum, de cuius genere ſuprà dictum eſt, quæ incertũ intellectum facit,vt Chremetem audiui percuſſiſſe Demeam:ſed illa quoq;, quæ etiam ſi turbare non poteſt ſenſum, in idem tamen verborum vitium incidit:vt ſi quis dicat,viſum eſſe hominem librum ſcribentem. Nam etiam ſi librum ab homine ſcribi pateat,malè tamen compoſuerat,fecerátque ambiguũ,quantum in ipſo,fuit.[Eſt etiam in quibuſdam turba inanium verborũ, qui dum communem loquendi morẽ reformidant,ducti ſpecie nitoris circumeunt omnia copioſa loquacitate,quæ dicere volunt: ipſam deinde illam ſeriem cum alia ſimili iungentes, miſcentéſque, vltra quàm vllus ſpiritus durare poſſit, extendunt. In hoc malum etiam à quibuſdam laboratur:neq; id nouum vitium eſt,cum iam apud Titum Liuium inueniam fuiſſe præceptorẽ aliquem,qui diſcipulos obſcurare quę dicerent, iuberet, Græco verbo vtens σκότῳ. Vnde illa ſcilicet egregia laudatio,tanto melior,ne ego quidem intellexi.[Alij breuitatis æmuli,neceſſaria quoque orationi ſubtrahunt verba,& velut ſatis ſit ſcire ipſos quæ dicere velint,quãtum ad alios pertineat,nihil putant. At ego ocioſum ſermonẽ dixerim,quem auditor ſuo ingenio non intelligit.[Quidam emutatis in peruerſum dictis de figuris,idem vitiũ conſequũtur.[Peſſima verò ſunt ἀδιανόητα,hoc eſt,quæ verbis aperta,occultos ſenſus habent,vt conductus eſt cæcus ſecus viam ſtare: & qui ſuos artus morſu laceraſſet,fingitur in ſcholis ſupra ſe cubaſſe.Ingenioſa hæc & fortia, vt ex ancipiti diſerta credantur, perficiunt. At peruaſit quidem iam multos iſta perſuaſio, vt id iam demum eleganter atque exquiſitè dictũ putent,quod interpretandum ſit. Sed auditoribus etiam nonnullis grata ſunt hæc,quæ cum intellexerint, acumine ſuo delectantur & gaudent, non quaſi audiuerint,ſed quaſi inuenerint. ¶Nobis ſit prima virtus perſpicuitatis propria verba,rectus ordo,non in longũ dilata concluſio,nihil neq; deſit,neq; ſuperfluat.Ita ſermo & doctis probabilis,& planus imperitis erit.Hæc eſt eloquendi obſeruatio. Nam rerũ perſpicuitas quo modo pertractanda ſit,diximus in

Georgic. 1.

Summa perceptio perſpicuitatis.

præceptis narrationis. Similis autẽ ratio eſt in omnibus. Nam ſi neque pauciora quàm oportet, neque plura, neque inordinata, aut indiſtincta dixerimus, erunt dilucida, & negligenter quoque audientibus aperta: quia idipſum in conſilio eſt habendum, non ſemper tam eſſe acrem iudicis intentionem, vt obſcuritatem apud ſeipſe diſcutiat, & tenebris orationis inferat quoddam intelligẽtiæ ſuæ lumen: ſed multis eum frequenter cogitationibus auocari, niſi tam clara fuerint quæ dicemus vt in animum eius oratio vt ſol in oculos, etiamſi in eam non intendatur, incurrat. Quare non vt intelligere poſſit, ſed ne omnino poſſit non intelligere, curãdum. Propter quod etiam repetimus ſæpe, quæ non ſatis percepiſſe eos qui cognoſcunt, putamus. Quæ cauſa vtique noſtra culpa dicta obſcurius eſt, *qua cauſa ad planiora, & communia magis verba deſcendimus, cum id ipſum optime fiat, quod nos aliquando non optimè feciſſe ſimulamus.

¶ De ornatu. Cap. III.

ORNATus dicendi proprius oratoris, & in eodem magna virtus.

VEnio nunc ad ornatum, in quo ſine dubio plus quàm in cæteris dicendi ſibi partibus indulget orator. Nam emendatè quidem ac dilucidè dicentium, tenue præmium eſt: magíſque vitijs carere, quàm vt aliquam magnam virtutem adeptus eſſe videaris. Inuentio cum imperitis ſæpè communis, diſpoſitio modicæ doctrinæ credi poteſt, & quæ ſunt artes altiores, plerumque occultantur, vt artes ſint. Denique omnia hæc ad vtilitatem cauſarum ſolam referenda ſunt. Cultu verò atque ornatu ſe quoque commendat ipſe qui dicit: & in cæteris iudicium doctorũ, in hoc verò etiam popularem laudem petit. Nec fortibus modo, ſed etiam fulgentibus armis, præliatus eſt Cicero in cauſa Cornelij, qui non aſſecutus eſt docendo iudicem tantum, ſed vtiliter demum, ac latinè, perſpicuéque dicẽdo, vt populus Romanus admirationem ſuam non acclamatione tantum, ſed etiam plauſu confiteretur. Sublimitas profecto, & magnificentia, & nitor, & authoritas expreſſit illum fragorem. Nec tam inſolita laus eſſet proſecuta dicentem, ſi vſitata, & cæteris ſimilis fuiſſet oratio. Atque ego illos credo, qui aderant, nec ſenſiſſe quid facerent, nec ſponte iudicióque plauſiſſe, ſed velut mente captos, & quo eſſent in loco ignaros erupiſſe in hunc voluntatis affectũ. [Sed ne cauſæ quidẽ parum confert idem hic orationis ornatus. Nã qui libenter audiunt, & magis attendunt, & facilius cre

dunt,plerũque ipſa delectatione capiuntur,nonnunquam admiratione auferuntur. Nã & ferrum affert oculis terroris aliquid,& fulmina ipſa non tam nos confunderent,ſi vis eorum tantum non etiam ipſe fulgor timeretur.Rectéque Cicero his ipſis ad Brutum verbis quadam in epiſtola ſcribit, Nam eloquentiam quæ admirationem non habet,nullam iudico. Ariſtoteles quoq; eandem petendam maximè putat. [Sed hic ornatus (repetam enim)virilis,fortis,& ſanctus ſit:nec effœminatam leuitatem,nec fuco eminentem colorem amet,ſanguine & viribus niteat. Hoc autẽ adeo verum eſt, vt cum in hac maximè parte ſint vicina virtutibus vitia,etiã qui vitijs vtuntur,virtutis tamẽ his nomen imponãt.Quare nemo ex corruptis dicat,me inimicum eſſe cultè dicentibus.Non nego hanc eſſe virtutem, ſed illis eam non tribuo . An ego fundum cultiorem putem, in quo mihi quis oſtenderit lilia, & violas, & amœnos fontes ſurgentes, q̃ vbi plena meſſis, aut graues fructu vites erunt?Sterilem platanũ,tonſáſq; myrtos, quàm maritam vlmũ,& vberes oleas præoptauerim?Habeant illa diuites licet,quid eſſent,ſi aliud nihil haberẽt?Nullus ne ergo etiã fructiferis adhibendus eſt decor? quis negat? Nã & in ordinẽ certáq; interualla redigam eas arbores. Quid enim illo quincunce ſpecioſius? quid in quãcunque partem ſpectaueris, rectius eſt?Sed protinus in id quoque prodeſt, vt terræ ſuccum æqualiter trahant . Surgentia in altum cacumina oleæ ferro coercebo: in orbem ſe formoſius fundet, & protinus fructum ramis pluribus feret. Decentior equus cuius aſtricta ſunt ilia, ſed idem velocior. Pulcher aſpectu ſit athleta, cuius lacertos exercitatio expreſſit, idem certamini paratior. Nunquã vera ſpecies ab vtilitate diuiditur . Sed hoc quidẽ diſcernere modici iudicij eſt.Illud obſeruatione dignius,quòd ipſe honeſtus ornatus pro materiæ genere debet eſſe variatus. Atq; vt à prima diuiſione ordiar, non idem demonſtratiuis, & deliberatiuis,& iudicialibus cauſis conueniet. Nãque illud genus oſtentationi cõpoſitum,ſolam petit audientium voluptatẽ : ideóq; omnes dicendi artes aperit, ornatúmq; orationis exponit: vt qui non inſidietur,nec ad victoriam,ſed ad ſolum finẽ laudis & gloriæ tendat.Quare quicquid erit ſententijs populare,verbis nitidum,figuris iucundum,trãſlationibus magnificum,cõpoſitione elaboratũ,velut inſtitor quidam eloquentiæ intuendum,& penè pertractandũ dabit.Nam euentus ad ipſum non

Ornatus qualis eſſe debeat.

ad causã refertur. At vbi res agitur, & vera dimicatio est, vltimus fit famæ locus. Præterea, non debet quisquã, vbi maxima rerum momenta versantur, de verbis esse solicitus. Neq; hoc eò pertinet, vt in his nullus sit ornatus, sed vti pressior & seuerior, eò minus cõfessus, præcipuè ad materiam accõmodatus. Nam & suadendo sublimius aliquid Senatus, concitatius populus, & in iudicijs publicæ, capitalésque causæ poscunt accuratius dicendi genus. At priuatũ consilium, causásq; paucorũ (vt frequenter accidit) calculorum, purus sermo, & dissimilis curæ magis decuerit. An non pudeat certam creditã pecuniã periodis postulare, aut circa stillicidia affici, aut in mancipij redhibitione sudare? Sed ad propositum. ¶ Et quoniam orationis tam ornatus quàm perspicuitas, aut in singulis verbis est aut in pluribus positus: quid separata, quid cõiuncta exigant, consideremus. Quanquã rectissimè traditum est, perspicuitatem proprijs, ornatum translatis verbis magis egere. Sciamus inornatum esse quod sit improprium. [Sed cum idem frequẽtissimè plura significent, quod συνωνυμία vocatur, iam sunt alijs alia honestiora, sublimiora, nitidiora, iucundiora, vocaliora. Nam vt syllabæ è literis melius sonantibus clariores sunt ita verba è syllabis magis vocalia: & quo plus quæque spiritus habet, auditu pulchrior. Et quod facit syllabarũ, idem verborum quoque inter se copulatio, vt aliud alij iunctũ melius sonet. [Diuersus est tamen vsus. Nam rebus atrocibus verba etiam ipso auditu aspera magis conuenient. In vniuersum quidem optima simpliciũ creduntur, quæ aut maximè exclamant, aut sono sunt iucundissima. Et honesta quidem turpibus potiora semper, nec sordidis vnquam in oratione erudita locus. Clara illa, atque sublimia plerumque materiæ modo cernenda sunt. Quod enim alibi magnificum, tumidum alibi. Et quæ humilia circa res magnas, apta circa minores videntur. Et sicut in oratione nitida notabile est humilius verbũ & velut macula, ita à sermone tenui sublime, nitidúmq; discordat: fitque corruptum, quia in plano tumet. Quædã nõ tam ratione q̃ sensu iudicantur: vt illud, Cæsa iungebãt fœdera porca: fecit elegans, fictio nominis: quod si fuisset porco, vile erat. In quibusdã ratio manifesta est. Risimus & merito nuper poëtam, qui dixerat, Prætextam in cista mures rosère Camilli. At Vergilij miramur illud, Sæpè exiguus mus. Nam epithetõ exiguus aptum propriũ effecit, ne plus expectaremus, & casus singularis ma-

ORNAtus in singulis verbis.

Verborũ idẽ significantiũ varietas, & quomodo adhibenda.

Georgi. 4.

gis decuit: & clauſula ipſa vnius ſyllabæ non vſitata addidit gratiam. Imitatus eſt itaque vtrũque Horatius, Naſcetur ridiculus mus. [Nec augenda ſemper oratio, ſed ſubmittenda nõ nunquam eſt. Vim rebus aliquando ipſa verborum humilitas affert. An cum dicit in Piſonẽ Cicero, Cum tibi tota cognatio in ſerraco aduehatur, incidiſſe videtur in ſordidũ nomen? non eo contemptũ hominis, quem deſtructum volebat, auxiſſe? & alibi, Caput opponis culeo conificans. Vnde interim grati idiotis ioci: qualis eſt ille apud M. Tullium, Puſio qui cũ maiore ſorore cubitabat. &, Flauius qui cornicum oculos cõfixit. & pro Milone, Heus vbi Ruſcio? & Erutius Antoniaſter? Id tamen in declamationibus eſt notabilius. Laudaríq; me puero ſolebat, Da patri panem. & in eodẽ, Etiam canem paſcis. Res quidem præcipuè in ſcholis anceps, ſed frequẽter cauſa riſus: nunc vtique, cum hæc exercitatio procul à veritate ſeiuncta laboret incredibili verborũ faſtidio, ac ſibi magnã partẽ ſermonis abſciderit. ¶Cũ ſint autem verba propria, ficta, trãſlata, proprijs dignitatem dat antiquitas. Nãque & ſanctiorem, & magis admirabilem faciũt orationem, quibus nõ quilibet fuerat vſurus, eóq; ornamento acerrimi iudicij P. Vergilius vnice eſt vſus. Olli enim, & quianã, & mis, & ponè, pellucẽt, & aſpergunt illam, quæ etiam in picturis eſt gratiſſima, vetuſtatis inimitabilem arti authoritatem. Sed vtendũ modo, nec ex vltimis tenebris repetenda. Satis eſt vetus, Quęſo quid neceſſe eſt dicere, oppidò, quo ſunt vſi paululũ tempore noſtro ſuperiores, vereor vt iam nõ ferat quiſquã. Certè antigerio, cuius eadẽ ſignificatio eſt, nemo niſi ambitioſus vtetur. Aerumnas quid opus eſt? tanquã parum ſit ſi dicatur, quod horridũ reor, tolerabile autumo. Tragicum, prolem ducendam vniuerſam eius proſapiam, inſulſum. Quid multa? totus propè mutatus eſt ſermo. Quædam tamen adhuc vetera vetuſtate ipſa gratius nitent, quędam etiam neceſſario interim ſumũtur. Enuncupare, & fari, & multa alia etiã audientibus grata inſeri poſſunt: ſed ita demum, ſi non appareat affectatio. In qua mirificè Vergilius, & Hormethiorum amator iſte verborum:

Iſte iſte rhetor, namque quatinus totus.
Thucides tyrannus, Atticæ febres.
Taugallicum minæ & ſpinæ: male illi ſit.

Ita omnia iſta verba miſcuit fratri. Cimber hic fuit, à quo frattem necatum hoc Ciceronis dicto notatum eſt, Germanũ

Propria ornata ſunt, ſi antiqua.

Cimber occidit. Nec minꝰ noto Salluſt. epigrãmate inceſſitur: Et verba antiqui multum furate Catonis

Criſpe Iugurthinæ conditor hiſtoriæ. Odioſa cura. Nam eſt cuilibet facilis, & hoc peſſima, cꝝ rei ſtudioſus nõ verba rebus aptauit, ſed res extrinſecus arceſſit, quibus hæc verba cõueniãt. [Fingere, vt primo libro dixi, Græcis magis cõceſſum eſt, qui ſonis etiam quibuſdã & affectibus nõ dubitauerũt nomina aptare, non alia libertate, q̃ qua illi primi homines rebus appellationes dederũt. Noſtri autẽ in iungendo aut in deriuando paulum aliquid auſi vix in hoc ſatis recipiũtur. Nam memini iuuenis admodũ inter Pomponiũ & Senecam etiam præfationibus eſſe tractatũ, an gradus eliminat, apud Accium in Tragœdia dici oportuiſſet. At veteres ne expectorat quidẽ timuerunt. Et ſanè eiuſdẽ notæ eſt exanimat. At in tractu & declinatione talia ſunt qualia apud Ciceronẽ beatitas & beatitudo: quæ dura quidẽ ſentit eſſe, verũtamen vſu putat poſſe molliri. Nec à verbis modò, ſed à nominibus quoq; deriuata ſunt quędam, vt à Cicerone ſubuculatũ, & ab Aſinio fimbriatum, & fibulatum. Multa ex Græco formata noua, ac plurima à Sergio* Flauióque, quorũ dura quædam admodum videntur, vt ens & eſſentia: quæ cur tantopere aſpernemur nihil video, niſi quòd iniqui iudices aduerſus nos ſumus, ideóque paupertate ſermonis laboramus. Quædam tamen perdurant. Nã & quæ vetera nunc ſunt, fuerunt olim noua. Et quædam in vſu perquã recentia, vt Meſſala primus reatum, munerarium Auguſtus primus dixerunt. Reatum nemo ante Meſſalam, munerarium nemo ante Auguſtũ dixerat. Piraticam quoq; vt muſicam, & fabricam dici adhuc dubitabãt mei præceptores. Fauorem & vrbanum Cicero noua credit. Nam & in epiſtola ad Brutum, Eum, inquit, amorem, & eum (vt hoc verbo vtar fauorem in conſilium aduocabo. Et ad Appium Pulchrum, Te hominem non ſolum ſapientem, verũ etiam (vt nunc loquuntur) vrbanum. Idem putat à Terentio primum dictum eſſe obſequium. Cęcilius ad Ciſennã, Albenti cælo. Ceruicem videtur Hortenſius primus dixiſſe. Nam veteres pluraliter appellabãt. Audendum itaque. Neque enim accedo Celſo, qui ab oratore verba fingi vetat. Nam cum ſint eorum alia (vt dicit Cicero) natiua, id eſt quæ ſignificata ſunt primo ſenſu: alia reperta, quæ ex his facta ſunt, vt iam nobis ponere aliqua quæ illi rudes homines primíq; fecerunt, fas nõ ſit: at deriuare, flectere,

Ficta ſiue nouata verba.

Plautóque.

Epiſt. lib. 1.

De orat. iij. & in parti.

coniungere,quod natis postea concessum est,quando desijt licere? Et si quid periculosius finxisse videbimur, quibusdã remedijs præmuniendũ est: Vt ita dicam, Si licet dicere, Quodammodo, Permittite mihi sic. Quod idem etiam in ijs quæ licentius translata erunt,proderit, quæ non tutò dici possunt. In quo non falli iudicium nostrum, solicitudine ipsa manifestum erit. Qua de re Græcum erit illud elegantissimum, quo præcipitur ita, προεπιπλήσσειν τῇ ὑπερβολῇ. [Translata probari nisi in contextu sermonis non possunt. Itaque de singulis verbis satis dictum,quæ vt alio loco ostendi,per se nullam virtutem habent.Sed ne inornata sunt quidem,nisi cum sunt infra rei, de qua loquendum est, dignitatem, excepto si obscœna nudis nominibus enuncientur. Quod viderint,qui nõ putant esse vitãda,quia nec sit vox vlla natura turpis: & siqua est rei deformitas, alia quoq; appellatione quacũque ad intellectum eundẽ nihilominus perueniat. Ego Romani pudoris more cõtentus vt iam respondi talibus,verecundiam silentio vindicabo. ¶Iam hinc igitur ad coniuncti sermonis rationẽ transeamus. Cuius ornatus in hæc duo prima diuiditur, quam concipiamus elocutionem,quomodo efferamus. Nam primũ est vt liqueat,augere quid velimus an minuere, concitatè dicere an moderatè,lætè an seuerè, abundanter an pressè, asperè an leniter, magnificè an subtiliter, grauiter an vrbanè.Tum quo translationis genere, quibus figuris, qualibus sententijs, quo modo,qua postremò collocatione id quod intẽdimus,efficere possimus. [Cæterum dicturus quibus ornetur oratio, prius ea quę sunt huic cõtraria laudi,attingã.Nam prima virtus est vitio carere. Igitur ante omnia,ne speremus ornatam orationẽ fore,quæ probabilis non erit. [Probabile autem Cicero id genus dicit,quod non plus minúsve est q̃ decet. Non quia comi expoliríq; non debeat (nam & hæc ornatus pars est) sed quia vitium est vbique quod nimium est. Itaque vult esse authoritatem in verbis, sententias vel graues, vel aptas opinionibus hominũ ac moribus. His enim saluis,licet assumere ea quibus illustrem fieri orationẽ putat.[Delectant translata,superlata, ad nomen adiuncta, duplicata,& idem significantia, atque ab imitatione rerum nõ abhorrentia.¶Sed quoniam vitia prius demonstrare aggressi sumus,vel hoc vitium sit quod κακόφατον vocatur,siue mala consuetudine in obscœnum intellectũ sermo detortus est,vt ductare exercitus, & patrare bellum apud

Verba translata.

Lib.1.ca.10.

ORNA*tus in verbis coniunctis.*

Probabile.

In partit.

Delectantia.

VITIA *orationis.*

Cacophatõ.

Salluſtiũ. dicta ſanctè & antiquè,ridentur à nobis, ſi dijs placet.quam culpam non ſcribentium quidem iudico,ſed legentium,tamẽ vitandã,quatinus verba honeſta moribus perdidimus,& euincentibus etiam vitijs cedendum eſt.Siue iunctura deformiter ſonat,vt ſi cũ hominibus notis loqui nos dicimus, niſi hoc ipſum hominibus mediũ ſit,in præfata videmur incidere,quia vltima prioris ſyllabę litera,quę exprimi niſi labris coëuntibus nõ poteſt,aut interſiſtere nos indecẽtiſſimè cogit, aut cõtinuata cum inſequente, in naturam eius corrumpitur. Aliæque coniunctiones aliquid ſimile faciunt , quas perſequi longum eſt,in eo vitio quod vitandũ dicimus,commorantes. Sed diuiſio quoque affert eandem iniuriam pudori,vt ſi intercapedinis nominatiuo caſu quis vtatur.Nec ſcripto modò id accidit:ſed etiã ſenſu pleriq; obſcœne intelligere niſi caueris, cupiunt:vt apud Ouidiũ,Quæque latent meliora putat:ac ex verbis quę longiſſimè ab obſcœnitate abſunt,occaſionẽ turpi-

Georg.1. tudinis rapere. Siquidẽ Celſus Cacophaton apud Vergiliũ putat,Incipiunt agitata tumeſcere. quod ſi recipias, nihil loqui

Tapinoſis. tutũ eſt.[Deformitati proximũ eſt humilitatis vitiũ, ταπείνωσιν vocant,qua rei magnitudo vel dignitas minuitur:vt,Saxea eſt verruca in ſummo montis vertice.Cui natura cõtrarium,ſed errore par eſt,paruis dare excedentia modũ nomina,niſi cum ex induſtria riſus inde captatur.Itaque nec parricidam nequã dixeris hominẽ,nec deditum forte meretrici nefariũ:q̃ alterũ parum,alterũ nimiũ eſt.Proinde quædã hebes,ſordida,ieiuna, triſtis,ingrata,vilis oratio eſt.Quæ vitia facillimè fiunt manifeſta,contrarijs virtutibus.Nam primũ acuto,ſecundũ nitido, tertium copioſo,deinceps hilari,iucundo, accurato diuerſum

Mioſis. eſt. [Vitanda & μείωσις,cum ſermoni aliquid deeſt quo minus plenus ſit,quanq̃ id obſcuræ potius q̃ inornatę orationis vitiũ eſt.Sed hoc quoq; cum à prudentibus fit,ſchema dici ſolet,ſi-

Tautologia cut ταυτολογία,id eſt eiuſdẽ verbi aut ſermonis iteratio.[Hæc enim quanquam non magnopere ſummis authoribus vitata, interim vitiũ videri poteſt,in quod ſæpè incidit etiam Cicero

Pro Cluent. ſecurus tam paruæ obſeruationis, ſicut hoc loco, Non ſolum igitur illud iudicium iudicij ſimile Iudices non fuit. Interim

Epanalepſis mutato nomine ἐπαναλῆψις dicitur , atque eſt & ipſum inter ſchemata,quorũ exempla illo loco reddam,quo virtutes erũt.

Homœologia. [Peior hac ὁμοιολογία eſt, quæ nulla varietatis gratia leuat tædium, atq; eſt tota coloris vnius,quæ maximè deprehenditur,

carens arte oratoria. Eáq; & in ſententijs, & figuris, & cõpoſitione longa: non animis ſolũ, ſed etiã auribus eſt ingratiſſima. [Vitanda μακρολογία, id eſt, longior quàm oporteat ſermo, vt apud Liuium, Legati non impetrata pace retro domum, vnde venerant, abierũt. Sed huic vicina periphraſis virtus habetur. [Eſt & πλεονασμὸς vitium, cum ſuperuacuis verbis oneratur oratio, Ego meis oculis vidi. Satis eſt enim, vidi. Emendauit hoc enim vrbanè in Hircium Cicero: Qui cum in Panſam declamans, filium à matre decem menſibus in vtero latum eſſe dixiſſet, Quid? aliæ, inquit, in penula ſolent ferre? Nonnunquam tamen illud genus, cuius exemplum, priore loco poſui, affirmationis gratia adhibetur, vocémq; his auribus hauſi. At vitium erit, quoties otioſum fuerit, & ſupererit, nõ cum adijcietur. [Eſt etiam quę περιεργία vocatur, ſuperuacua (vt ſic dixerim) operoſitas, vt à diligenti curioſus, & à religione ſuperſtitio diſtat. Atque vt ſemel finiam, verbum omne quod neque intellectum adiuuat, neque ornatum, vitioſum dici poteſt. [κακόζηλον, id eſt, mala affectatio, per omne dicendi genus peccat. Nam & tumida, & exilia, & prædulcia, & abundantia, & arceſſita, & exultantia ſub idem nomen cadunt. Denique κακόζηλον vocatur, quicquid eſt vltra virtutem, quoties ingenium iudicio caret, & ſpecie boni fallitur, omnium in elocutione. Nam rerum vitia ſunt ſtultum, commune, contrarium, ſuperuacuum. Corrupta oratio in verbis maximè improprijs, redundantibus, cõprehenſione obſcura, compoſitione fracta, vocum ſimilium, aut ambiguarum puerili captatione conſiſtit. Eſt autem omne κακόξηλον vtique falſum, etiam ſi non omne falſum κακόζηλον. Vt cum dicitur aliter quàm ſe natura habet, & quàm oportet, & quàm ſat eſt. Totidem autem generibus corrumpitur oratio, quot ornatur. Sed de hac parte, & in alio à nobis opere plenius dictum eſt, & in hoc ſæpè tractatur, & adhuc ſpargetur omnibus locis. Loquẽtes enim de ornatu, ſubinde quę ſunt vitanda, ſimilia virtutibus vitia dicemus. [Sunt inornata & hęc, quod male diſpoſitum eſt, id ἀνοικονόμητον: quod male figuratum, id ἀσχήματον: quod male collocatum, id κακοσύνθετον vocant. Sed de diſpoſitione diximus, de figuris & compoſitione dicemus, κοινισμὸς quoque appellatur quædam mixta ex varia ratione linguarũ oratio, vt ſi atticis dorica, ionica, æolica etiã

Pleona mus.

Aeneid. 4.

Periergia.

Cacozelon.

Anœconometon.

Aſchematon.

Cacoſynthetton.

Cœniſmos.

dicta confundas. Cui ſimile vitium eſt apud nos, ſi quis ſublimia humilibus, vetera nouis, poëtica vulgaribus miſceat. Id enim tale eſt monſtrũ, quale Horatius in prima parte de arte Poëtica fingit, Humano capiti ceruicem pictor equinã Iungere ſi velit,& cætera ex diuerſis naturis ſubijciat. ORNATVS. ¶ Ornatũ eſt quod quod perſpicuo ac probabili plus eſt. Eius primi ſunt gradus in eo quod velis, exprimendo concipiendóq;. Tertius qui hæc nitidiora faciat, quod propriè dixeris cultum. [Itaque ὑπάρχαν, cuius in præceptis narrationis feci mentionẽ, (quia plus eſt euidentia, vel vt alij dicunt repręſentatio, quàm perſpicuitas:& illud quidem patet, hoc ſe quodammodo oſtendit) inter ornamenta ponamus. Magna virtus eſt, res de quibus loquimur, clare atque vt cerni videantur, enunciare. Non enim ſatis efficit, neque vt debet plenè dominatur oratio, ſi vſq; ad aures volet, atq; ea ſibi iudex de quibus cognoſcit, narrari credat, non exprimi, & oculis mentis oſtendi. Sed quoniã pluribus modis accipi ſolet, non equidem in omnes eam particulas ſecabo, quarum ambitioſè à quibuſdam numerus augetur, ſed maximè neceſſarias attingam. Expreſſa rei imago. [Eſt igitur vnũ genus quo tota rerum imago quodammodo verbis depingitur. Conſtitit in digitos extemplo arrectus vterque,& cætera quę nobis illã pugilum congredientium aciem ita oſtendunt, vt non clarior futura fuerit ſpectãtibus. Plurimum in hoc genere ſicut in cæteris eminet Cicero. An quiſquam tam procul à concipiendis imaginibus rerum abeſt, vt cum illa in Verrem legit, *Stetit ſoleatus Prætor populi Romani cum pallio purpureo, tunicáq; talari, muliercula nixus in littore:* non ſolum ipſum os intueri videatur,& locum & habitum, ſed quædam etiam ex his quæ dicta non ſunt ſibi ipſe aſtruat? Ego certè mihi cernere videor,& vultum,& oculos, & deformes vtriuſq; blãditias, & eorum qui aderant, tacitam auerſationem, ac timidam verecundiam. [Interim ex pluribus efficitur illa quã conamur exprimere facies, vt eſt apud eundẽ (nãque ad omniũ ornandi virtutum exempla, vel vnus ſufficiat) in deſcriptione conuiuij luxurioſi. Vt clamor, vt conuiciũ mulierũ, vt ſymphoniæ cantus. Videbar mihi videre alios intrantes, alios autẽ exeuntes, partim ex vino vacillãtes, partim heſterna potatione oſcitantes. Verſabatur inter hos Gallius vnguentis oblitus, redimitus coronis, humus erat lutulenta vino, coronis languidulis,& ſpinis cooperta piſcium. Quid plus videret qui intereſſet? Sic

vrbium captarũ creſcit miſeratio. Sine dubio enim qui dicit expugnatam eſſe ciuitatem, complectitur omnia quæcunque talis fortuna recipit:ſed in affectus minus penetrat breuis hic velut nuncius. At ſi aperias hęc quæ verbo vno incluſa erant, apparebũt effuſæ per domos ac templa flãmę,& ruentium tectorum fragor,& ex diuerſis clamoribus vnus quidam ſonus, aliorum fuga incerta,alij in extremo cõplexu ſuorũ cohærentes, & infantium, fœminarúmque ploratus, & male vſque in illum diem ſeruati fato ſenes:tum illa prohanorũ ſacrorúmq; direptio,efferentium prædas repetentiúmq; diſcurſus, & acti ante ſuum quiſque prædonem catenati,& conata retinere infantem ſuum mater,& ſicubi maius lucrũ eſt pugna inter victores.Licet enim hæc omnia(vt dixi)complectatur euerſio, minus eſt tamen totum dicere,quàm omnia.Cõſequemur autem vt manifeſta ſint, ſi fuerint veriſimilia : & licebit etiam falſò effingere quicquid fieri ſolet. [Contingit eadem claritas etiam ex accidẽtibus,Mihi frigidus horror Mẽbra quatit, gelidúſque coit formidine ſanguis,Et trepidæ matres preſſẽre ad pectora natos.Atque huius ſummæ, iudicio quidem meo, virtutis facillima eſt via. Naturã intueamur, hanc ſequamur. Omnis elegantia circa opera vitæ eſt, ad ſe refert quiſq; quæ audit,& id facillimè accipiunt animi,quod cognoſcũt. ¶ Præclarè verò ad inferendam rebus lucem repertæ ſunt ſimilitudines,quarum aliæ ſunt quæ probationis inter argumenta ponuntur, aliæ ad exprimendam rerum imaginem compoſitæ, quod eſt huius loci proprium, Inde lupi ceu Raptores atra in nebula:&,Miſit aui ſimilis, quæ circũ littora,circum Piſcoſos ſcopulos humilis volat ęquora iuxta.Quo in genere id eſt pręcipuè cuſtodiendũ, ne id quod ſimilitudinis gratia aſciuimus, aut obſcurum ſit,aut ignotum. Debet enim quod illuſtrandæ alterius rei gratia aſſumitur,ipſum eſſe clarius eo quod illuminat. Quare ſanè poëtis quidem permittamus huiuſmodi exempla:Qualis vbi hibernã Lyciam Xanthíq; fluenta Deſerit, aut Delon maternam inuiſit Apollo. Non idem decebit oratorem, vt occultis aperta demonſtret. [Sed illud quoque de quo in argumentis diximus, ſimilitudinis genus ornat orationem,facítque ſublimẽ,floridam,iucundam,mirabilem.Nã quo quæque longius petita eſt,hoc plus affert nouitatis, atque inexpectata magis eſt. Illa vulgaria videri poſſunt,& vtilia tamen ad conciliandam fidem,vt terram cultu,ſic animũ diſci-

Similitudo.

plinis meliorẽ vberiorémq; fieri. Et vt medici abalienata morbis membra prȩcidunt, ita turpes ac pernitioſos, etiam ſi nobis ſanguine cohæreant, amputandos. Iã ſublimius illud pro Archia, Saxa atque ſolitudines voci reſpondent: beſtiæ ſæpe immanes cantu flectuntur, atq; conſiſtunt, & cætera. Quod quidẽ genus à quibuſdam declamatoria maximè licentia corruptũ eſt. Nam & falſis vtuntur, nec illa ijs quibus tandem ſimilia videri volunt, applicant: quorum vtrũque in ijs eſt, quæ me iuuene vbique cantari ſolebant. Magnorũ fluminum nauigabiles fontes ſunt, & generoſioris arboris ſtatim planta cũ fructu eſt. [In omni autem parabola aut præcedit ſimilitudo, & res ſequitur: aut præcedit res, & ſimilitudo ſequitur. Sed interim libera & ſeparata eſt, interim (quod longè optimũ eſt) cum re cuius eſt imago, connectitur collatione inuicem reſpondente, quod facit redditio contraria, quæ ἀνταπόδοσις dicitur. Præcedit ſimilitudo illa cuius modo feci mentionem, Inde lupi ceu Raptores atra nebula. Sequitur in primo Georgicon poſt longam de bellis ciuilibus atque externis, conqueſtionem: Vt cum carceribus ſeſe effudêre quadrigæ, Addunt ſe in ſpatia, & fruſtra retinacula tendens Fertur equis auriga, neque audit currus habenas. Sed hæc ſunt ſine Antapodoſi. Redditio autẽ illa rem vtrãque quam cõparat, & velut ſubijcit oculis, & pariter oſtendit. Cuius præclara apud Vergiliũ multa reperio exempla, ſed oratorijs potius vtendum eſt. Dicit Cicero pro Murena, Vt aiunt in Grȩcis artificibus eos aulœdos eſſe, qui citharœdi fieri non potuerunt: ſic nõnullos videmus, qui oratores euadere non potuerũt, eos ad iuris ſtudiũ deuenire. Illud pro eodẽ iam penè poëtico ſpiritu, ſed tamen cum ſua redditione, quod eſt ad ornatum accommodatius. Nam vt tempeſtates ſæpè certo aliquo cæli ſigno cõmouentur, ſæpè ex improuiſo, nulla certa ratione, obſcura aliqua ex cauſa concitantur: ſic in hac comitiorum tempeſtate populari ſæpè intelligas quo ſigno cõmota ſit, ſæpè ita obſcurũ eſt, vt ſine cauſa excitata videatur. Sunt & illæ breues: Vagíq; per ſyluas ritu ferarum. Et illud Ciceronis in Clodium, Quo ex iudicio velut ex incendio nudus effugit. Quibus ſimilia poſſunt cuicunq; etiam ex quotidiano ſermone ſuccurrere. ¶Huic ſubiacet virtus nõ ſolum apertè ponendi rem ante oculos, ſed circumciſè atque velociter. Ac merito laudatur breuitas integra, ſed ea minus præſtat quoties nihil dicit, niſi quod neceſſe eſt, βραχυλογίαν vocãt, quæ reddetur in-

βραχυλογία

ter ſchemata. Eſt verò pulcherrima, cum plura paucis complectimur, quale illud Salluſtij eſt, Mithridates corpore ingenti perinde armatus. Hoc male imitantes ſequitur obſcuritas.

¶ Vicina prædictæ, ſed amplior virtus eſt ἔμφασις, altiorē prægbens intellectū, q̄ quem verba per ſe ipſa declarant. [Eius duæ ſunt ſpecies: altera quæ plus ſignificat q̄ dicit, altera quæ etiam id quod non dicit. Prior eſt & apud Homerum, cū Menelaus Graios in equum aſcendiſſe ait: nā verbo vno magnitudinem eius oſtendit: & apud Vergilium, Demiſſum lapſi per funem. Nam ſic quoque altitudo demonſtrata eſt. Idem Cyclopa cum iacuiſſe dicit per antrum, prodigioſum illud corpus ſpatio loci menſus eſt. [Sequens poſitum eſt in voce, aut omnino ſuppreſſa, aut etiā abſciſſa. Supprimitur vox, vt fecit pro Ligario Cicero, Quòd ſi in tanta fortuna bonitas tanta nō eſſet, quantam tu per te, per te, inquam, obtines. Intelligo quid loquar. Tacuit enim illud, quod nihilominus accipimus, non deeſſe homines qui ad crudelitatem eum impellerent. Abſcinditur per ἀποσιώπησιν, quæ quoniam eſt figura, reddetur ſuo loco. Eſt in vulgaribus quoque verbis emphaſis. Virum eſſe oportet, & homo eſt ille, & viuendum eſt. Adeo ſimilis eſt arti plerūque natura. ¶ Non tamen ſatis eloquentiæ eſt, ea de quibus dicat, clarè atque euidenter oſtendere, ſed ſunt multi ac varij excolendę orationis modi. Nā ipſa illa ἀφέλεια ſimplex & inaffectata habet quendam purum, qualis etiam in fœminis amatur, ortum. Et ſunt quędam velut è tenui diligentia circa proprietatem ſignificationémque munditiæ. Alia copia locuples, alia floribus læta, virium non vnum genus. Nam quicquid in ſuo genere ſatis effectum eſt, valet. Præcipua tamen eius opera δείνωσις in exaggerāda indignitate, & in cæteris altitudo quædam, φαντασία in concipiendis viſionibus, ἐξεργασία in effi-ciendo velut opere propoſito, cui adijcitur ἐπεξεργασία repetitio probationis eiuſdem, & cumulus ex abundanti. ἐνέργεια confinis ijs eſt ab agendo ducta, & cuius propria ſit virtus nō eſſe quæ dicuntur otioſa. Eſt & amarum quiddam, quod ferè in contumelia poſitum eſt: quale Caſſij, Quid facies cum in bona tua inuaſero? hoc eſt cum te docuero neſcire maledicere? Et acre, vt illud Craſſi, Ego te conſulem putem, cum tu me non putes eſſe Senatorem? [Sed vis oratoris omnis in augendo minuendóq; conſiſtit. Vtrique parti totidem modi, ex quibus præcipuos attingemus, reliqui ſimiles erunt. Sunt autem

Emphaſis.

ἀφέλεια.

δείνωσις.

φαντασία.

ἐξεργασία.

ἐπεξεργασία

ἐνέργεια.

positi in rebus & verbis. Sed quæ sit rerum inuẽtio ac ratio tractauimus, nunc quid elocutio attollat aut deprimat dicendũ.

¶ De amplificatione. Cap. IIII.

Amplificatio in nomine.

PRima est igitur amplificandi vel minuendi species in ipso rei nomine, vt cum eum qui sit cæsus, occisum: eũ qui sit improbus, latronem: contráq; eum, qui pulsauit, attigisse: qui vulnerauit, læsisse dicimus. Vtriusque pariter exemplum est pro M. Cælio, Si vidua liberè, ptoterua petulanter, diues effusè, libidinosa meretricio more viueret, adulterũ ego putarem, si quis hanc paulo liberius salutasset? Nam & impudicam meretricẽ vocauit, & eum cui longior cum illa fuerat vsus, liberius salutasse. [Hoc genus increscit, ac fit manifestius, si ampliora verba cum ipsis nominibus, pro quibus ea posituri sumus, cõferãtur: vt Cicero in Verrem, Nõ enim furem, sed ereptorem: non adulterum, sed expugnatorem pudicitiæ: non sacrilegum, sed hostem sacrorum, religionũque: non sicarium, sed crudelissimum carnificem ciuium sociorúmque in vestrum iudicium adduximus. Illo enim modo vt sit multum, hoc etiam plus vt sit efficitur. ¶ Quatuor tamen maximè generibus video constare amplificationẽ: incremento, comparatione, ratiocinatione, cõgerie. [Incrementũ est potentissimũ, cum magna videntur etiã quæ inferiora sunt. [Id aut gradu vno fit, aut pluribus: per id venitur nõ modò ad summum, sed interim quodãmodo supra summũ. Omnibus his sufficit vel vnũ Ciceronis exemplũ, Facinus est vincire ciuẽ Romanũ, sceIus verberare, propè parricidiũ necare: quid dicã in crucẽ tollere? Nam & si tantũ vrberatus esset, vno gradu increuerat ponẽdo etiam id esse facinus, quod erat inferius. Et si tantũ occisus esset, per plures gradus ascenderat. Cum verò dixerit propè parricidium necare, supra quod nihil est, adiecit, quid dicã in crucẽ tollere? Ita cum id quod maximũ est occupasset, necesse erat in eo quod vltra est, verba deficere. [Fit & aliter supra summum adiectio: vt apud Vergilium de Lauso, Quo pulchrior alter Non fuit, excepto Laurentis corpore Turni. Summum est enim, pulchrior alter non fuit. Huic deinde aliquid suprapositum est. [Tertius quoque est modus, ad quem non per gradus itur, & quod non est plus quàm maximũ, sed quo nihil maius est. Matrẽ tuam occidisti, quid dicam amplius? matrem tuam occidisti. Nam & hoc augendi genus est, tantũ aliquid efficere, vt nõ possit augeri. [Crescit oratio minus apertè,

Ex verborum collatione.

PER INCREMENTUM.

1

Act. 7.

2

Eneid.

3

4

ſed neſcio an hoc ipſo efficacius, cum citra diſtinctionem in contextu & curſu ſemper aliquid priore maius inſequitur, vt de vomitu in Antonium Cicero, In cœtu vero po. Ro. negotiũ publicũ gerens, magiſter equitũ. Singula incrementũ habent. Per ſe deforme, vel nõ in cœtu vomere: in cœtu, etiã nõ populi: populi, etiã non Romani: vel ſi nullũ negotiũ ageret, vel ſi non publicũ, vel ſi non magiſter equitum. Sed alius diuideret hæc, & circa ſingulos gradus moraretur: hic in ſublime etiam currit, & ad ſummum peruenit non nixu, ſed impetu. ¶ Verũ vt hęc amplificatio in ſuperiora tendit, ita quę fit per comparationem, incrementum ex minoribus petit. Augendo enim quod eſt infrà, neceſſe eſt extollat id quod ſuprà poſitum eſt: vt idem, atque in eodẽ loco, Si hoc tibi inter cœnam & in illis immanibus poculis tuis accidiſſet, quis non turpe duceret? In cœtu verò po. Ro. &c. Sed & in Catilinam, Serui mehercle mei, ſi me iſto pacto metuerent, vt te metuũt omnes ciues tui, domum meam relinquendam putarem. [Interim propoſito velut ſimili exemplo efficiendũ eſt, vt ſit maius id quod à nobis exaggerandum eſt: vt idem pro Cluentio, cum expoſuiſſet Mileſiam quandam à ſecundis hæredibus pro abortu pecuniã accepiſſe, Quanto eſt, inquit, Oppianicus in eadẽ iniuria maiore ſupplicio dignus? Siquidem illa cum ſuo corpori vim attuliſſet, ſe ipſa cruciauit: hic autẽ idem illud effecit per alieni corporis mortem atque cruciatum. [Nec putet quiſquam hoc, quanquam eſt ſimile, illi ex argumentis loco quo maiora ex minoribus colliguntur, idem eſſe. Illic enim probatio petitur, hic amplificatio. Sicut in Oppianico, non id agitur in illa cõparatione, vt ille male fecerit, ſed vt peius. Eſt tamen quanquam diuerſarum rerum quędam vicinia. Repetam itaque hic quoque idem, quo ſum illic vſus, exemplum, ſed non in eundem vſum. Nam hoc mihi oſtendendum eſt, augendi gratia non tota modò totis, ſed etiam partes partibus comparari: ſicut hoc loco, An verò vir ampliſſimus P. Scipio Pont. Max. Tib. Gracchum mediocriter labefactantem ſtatum reipublicæ priuatus interfecit, Catilinam orbem terræ cæde atque incendio vaſtare cupientem nos COSS. perferemus? Hic & Catilina Graccho, & ſtatus reipub. orbi terrarum, & mediocris labefactatio cędi & incendijs & vaſtationi, & priuatus Cõſulibus comparatur. quæ ſi quis dilatare velit, plenos per ſingula locos habeat. ¶ Quas dixi per ratiocinationem fieri amplifica-

Philip. 2.

PER Comparationem.

1

2

3

4

PER RATIOCINATIONẽ.

tiones,videamus, an ſatis proprio verbo ſignificauerim. Nec ſum in hoc ſolicitus,dum res ipſa volētibus diſcere appareat. Hoc ſum tamen ſecutus, & hæc amplificatio alibi poſita eſt, alibi valet, vt aliud creſcat, aliud augeatur: inde ad id quod extolli volumus,ratio deducitur. Philip.2. Obiecturus Antonio Cicero merum & vomitū, Tu,inquit,iſtis faucibus iſtis lateribus,iſta gladiatoria totius corporis firmitate. Quid fauces & latera ad ebrietatem? Minimè ſunt otioſa. Nam reſpicientes ad hæc poſſumus æſtimare quantum ille vini in Hippiæ nuptijs exhauſerit, quod ferre & coquere non poſſet illa gladiatoria corporis firmitate. Ergo ſi ex alio colligitur aliud,nec improprium,nec inuſitatum nomen eſt ratiocinationis,vt quod ex eadem cauſa inter ſtatus quoque habeamus. [Sic ex inſequentibus amplificatio ducitur. Siquidem tanta vis fuit vini erumpentis,vt non caſum afferret aut voluntatem,ſed neceſſitatem,vbi minimè deceret,vomendi: & cibus non recens,vt accidere interim ſolet,redderetur,ſed qui vſque in poſterum diem redundaret. [Idem hoc præſtant quę anteceſſerunt. Nā cum Aeolus à Iunone rogatus, Cauum conuerſa cuſpide montem Impulit in latus,ac venti velut agmine facto, Qua data porta ruūt, Æneid.1. apparet quanta ſit futura tempeſtas. [Quid? cum res atrociſſimas,quáſque in ſummā ipſi extulimus inuidiam, eleuamus conſulto, quo grauiora videantur quæ ſecutura ſunt? vt à Cicerone factum eſt,cum illa diceret,Leuia ſunt hæc in hoc reo Act.7. crimina, metum virgarum Nauarchus nobiliſſimæ ciuitatis pretio redemit, humanum eſt. Alius ne ſecuri feriretur,pecuniam dedit, vſitatum eſt. Nónne vſus eſt ratiocinatione, qua colligerent audientes, quantum illud eſſet quod inferebatur, cui comparata hæc humana viderentur atque vſitata? [Sic quoque ſolet ex alio aliud augeri, vt cum Annibalis bellicis laudibus ampliatur virtus Scipionis. Et fortitudinem Gallorū Germanorúmque miramur, quo ſit maior C. Cæſaris gloria. [Illud quoque eſt ex relatione ad aliquid, quod non eius rei gratia dictum videtur amplificationis genus. Non putant in- Iliad.3. dignum Troiani principes Graios Troianóſque propter Helenæ ſpeciem tot mala, tantóque temporis ſpatio ſuſtinere. quænam igitur illa forma credenda eſt? Non enim hoc dicit Paris qui eam rapuit:non aliquis iuuenis,aut vnus è vulgo,ſed ſenes, & prudentiſſimi, & Priamo aſſidentes. Verùm & ipſe rex decenni bello exhauſtus, amiſſis tot liberis, imminente

ſummo diſcrimine, cui faciem illam ex qua tot lachrymarũ origo fluxiſſet, inuiſam atque abominandam eſſe oportebat: & audit hæc,& eam filiam appellans iuxta ſe locat,& excuſat etiam, atque ſibi eſſe malorum cauſam negat. Nec mihi videtur in Sympoſio Plato,cum Alcibiadem confitentem de ſe quid à Socrate pati voluerit narrat,vt illum culparet hæc tradidiſſe: ſed vt Socratis inuictam continentiam oſtenderet, quæ corrumpi ſpecioſiſſimi hominis tam obuia voluptate nõ poſſet. [Quin ex inſtrumento quoque heroum illorum magnitudo æſtimãda nobis datur. Ad hoc pertinet clypeus Aiacis, & haſta Pelias Achillis. Qua virtute egregiè eſt vſus in Cyclope Vergilius.Nam quod illud corpus mente concipiam, cuius Trunca manum pinus regit. Quid? cum vix loricam duo Multiplicem connixi humeris ferrent. Quantus Demoleos, qui indutus eam Curſu palantes Troas agebat? Quid M. Tullius de M.Antonij luxuria tantum ſaltem fingere potuiſſet, quantum oſtendit dicendo? Conchyliatis Cn. Pompeij periſtromatis ſeruorum in cellis ſtratos lectos videres. Conchyliata periſtromata, & Cn. Pompeij,& in cellis ſeruorum,nihil poteſt dici vltra, & neceſſe eſt tamen vltra infinito plus in domino cogitare.Et hoc ſimile eſt illi quod ἔμφασις,dicitur:ſed illa ex verbo,hæc ex re coniecturam facit:tantóque plus valet quanto res ipſa verbis eſt firmior.¶Poteſt adſcribi amplificationi cõgeries quoq; verborũ ac ſententiarũ idem ſignificantium.Nam etiam ſi nõ per gradus aſcendant,tamen velut aceruo quodã alleuantur. Quid enim tuus ille Tubero diſtrictus in acie Pharſalica gladius agebat?cuius latus ille mucro petebat?qui ſenſus erat armorũ tuorũ? quæ tua mens?oculi?manus?ardor animi?quid cupiebas?quid optabas?Simile eſt hoc figuræ,quã ἀθροισμὸν vocãt:ſed illic plurium rerũ eſt cõgeries,hic vnius multiplicatio. [Hæc etiam creſcere ſolet verbis omnibus altius atque altius inſurgentibus. Aderat ianitor carceris,carnifex Prætoris,mors terrórque ſociorũ & ciuium Romanorum,lictor Sextius.¶Eadem ferè eſt ratio minuendi: Nam totidem ſunt aſcendentibus,quot deſcendentibus,gradus.Ideóque vno ero exemplo contentus eius loci,quo Cicero in oratione Rulli hoc dicit,Pauci tamẽ qui proximi aſtiterãt, neſcio quid illum de lege agraria voluiſſe dicere ſuſpicabantur.Quod ſi ad intellectum referas,minutio eſt:ſi ad obſcuritatem,incrementum.¶Scio poſſe videri quibuſdam ſpeciem

Æneid.iiij.
Æneid.5.
Philip.2.
PER *Congeriem.*
Pro Liga.
Act.7.
Minuendi ratio contraria amplificationi.

amplificationis Hyperbolē quoq;,nam & hæc in vtrāque partem valet:ſed quia excedit hoc nomen,in tropos differēda eſt. Quos cōtinuo ſubiungerem,niſi eſſet à cæteris ſeparata ratio dicendi,quę cōſtat nō proprijs, ſed trāſlatis.Demus ergo breuiter hoc deſiderio iā penè publico,nec omittamus eū quē plerique præcipuum ac penè ſolum putant,orationis ornatum.

¶De generibus ſententiarum. Cap.V.

Sentētia quid ſignificet.

SEntentiam veteres quod animo ſenſiſſent vocauerunt. Id cum eſt apud oratores frequentiſſimum, tum etiā in vſu quotidiano quaſdam reliquias habet. Nam & iuraturi, ex animi noſtri ſententia, & gratulantes,ex ſententia dicimus.Nō raro tamen & ſic locuti ſunt,vt ſenſa ſua dicerent, nam ſenſus corporis videbantur. Sed conſuetudo iam tenuit, vt mente concepta ſenſus vocaremus: lumina autem præcipuéque in clauſulis poſita, ſententias:quæ minus crebra apud antiquos, noſtris temporibus modo carent. Ideóque mihi de generibus earum,& de vſu arbitror pauca dicenda.[Antiquiſſimæ ſunt,quæ propriè(quāuis omnibus idem ſit nomen)ſententiæ vocantur,quas Græci γνώμας appellant. Vtrūque tamen nomen ex eo acceperunt,quòd ſimiles ſunt conſilijs aut decretis. Eſt autem hæc vox vniuerſalis, quæ etiam citra complexum cauſæ poſſit eſſe laudabilis. [Interim ad rem tantum relata:vt,Nihil eſt tam populare quàm bonitas.[Interim autem ad perſonam, quale eſt Afri Domitij, Princeps qui vult omnia ſcire, neceſſe habet multa ignoſcere.[Hanc,quidam partem enthymematis, quidam initium aut clauſulam epicherematis eſſe dixerunt:& eſt aliquando,nō tamen ſemper.[Illud verius,eſſe eam aliquando ſimplicem, vt ea quam ſuprà dixi, aliquando ratione ſubiecta. Nam in omni certamine qui opulentior eſt, etiam ſi accipit iniuriam, tamen quia plus poteſt, facere videtur.Nonnunquam duplicem,Obſequium amicos, veritas odium parit. [Sunt & qui decem genera fecerunt,ſed eo modo quo fieri vel plura poſſunt: per interrogationem,cōparationem,inficiationem,ſimilitudinem, admirationem, & cætera huiuſmodi. per omnes enim figuras tractari poteſt. [Illud notabile ex diuerſis,Mors miſera nō eſt:aditus ad mortem miſer eſt. [Ac recte quidem ſunt tales, Tam deeſt auaro quod habet,quàm quod non habet. [Sed maiorem vim accipiunt ex mutatione figuræ:vt, Vſqueadeo ne mori miſerū eſt? Acrius enim hoc,quàm per ſe,Mors miſera nō eſt.[Et tranſla-

Sentētię proprie dictæ.

Pro Liga.

Micipſa apud Salluſtiū.

tione à communi ad proprium. Nam cum sit rectum, Nocere facilè est, prodesse difficile: vehementius apud Ouidiũ Medea dicit, Seruare potui, perdere an possim rogas? Vertit ad persónam Cicero, Nihil habet Cęsar nec fortuna tua maius quàm vt possis: nec natura melius, quàm vt velis seruare quampluri mos. Ita quæ erant rerum propria, fecit hominis. In hoc genere custodiẽdum est, & id quidem vbique, ne crebræ sint, ne pa làm falsæ, quales frequenter ab his dicuntur qui hæc catholica vocant, & quicquid pro causa videtur, quasi indubitatum pronuntiant: & ne passim, & à quocunque dicantur. Magis enim decet eos, in quibus est authoritas, vt rei pondus etiam persona confirmet. Quis enim ferat puerum, aut adulescentulũ, aut etiam ignobilem, si iudicet in dicendo, & quodammodo præcipiat? [Enthymema quoque est omne quod mente concipimus, propriè tamen dicitur quæ est sententia ex contrarijs, propterea quòd eminere videtur inter cæteras, vt Homerus poeta, vrbs Roma. De hoc in argumẽtis satis dictum est. Non semper autem ad probationem adhibetur, sed aliquãdo ad ornatum, Quorum igitur impunitas Cæsar tuæ clementiæ laus est, eorum te ipsorum ad crudelitatem acuet oratio? Non quia sit ratio dissimilis, sed quia iam per alia, vt id iniustum appareret, effectum erat. Et addita in clausula est epiphonematis modo non tam probatio, quàm extrema quasi insultatio. Est enim epiphonema rei narratæ vel approbatæ summa acclamatio. Tantæ molis erat Romanam condere gentem. Facere enim probus adolescens periculosè, quàm perpeti turpiter maluit. [Est & quod appellatur à nouis νόημα, qua voce omnis intellectus accipi potest. Sed hoc nomine donarunt ea quæ non dicunt, verũm intelligi volũt. vt in eum quem sæpius à ludo redemerat soror, agentem cum ea talionis, quòd ei pollicem dormienti recidisset, Eras dignus vt haberes integrã manum. Sic enim auditur, vt depugnares. [Vocatur aliquid & clausula, quę si est quod conclusionem dicimus, & rectè, & quibusdã in partibus necessaria est. Quare prius de facto vestro fateamini necesse est, quàm Ligarij culpam vllam reprehendatis. Sed nunc illud volunt, vt omnis locus, omnis sensus in fine sermonis feriat aurem. Turpe autem & propè nefas ducunt respirare vllo loco, qui acclamationem non petierit. Inde minuti corruptíq; sensiculi, & extra rem petiti. Neq; enim possunt tam multæ bonæ sententiæ esse, quàm necesse est, vt multæ sint clausulæ.

Pro Ligario.

Enthymema.

Pro Ligario.

Epiphonema

Noema.

Clausula.

Pro Ligario.

[Iam hæc magis noua ſententiarum genera ex inopinato, vt dixit Vibius Criſpus in eum,qui cum loricatus in foro ambularet,prætendebat ſe id metu facere, Quis tibi ſic timere permiſit?Et inſigniter Aphricanus apud Neronem de morte matris,Rogant te Cæſar Galliæ tuæ,vt felicitatem tuam fortiter feras.[Sunt & aliò relata,vt Afer Domitius cum Cloantillam defenderet,cui obiectũ crimen,quòd virum qui inter rebellantes fuerat,ſepeliſſet,remiſerat Claudius, in epilogo filios eius alloquens:Matrem tamen,inquit,pueri ſepelitote.[Et aliunde petita,id eſt,in alium locum ex alio tranſlata: vt pro Spathale Criſpus,quam qui hæredem amator inſtituerat, deceſſit,cum haberet annos duodeuiginti, O hominem diuinum, qui ſibi indulſit.[Facit quaſdam ſententias ſola geminatio: qualis eſt Senecæ in eo ſcripto quod Nero ad Senatum miſit occiſa matre, cum ſe periclitatum videri vellet, Saluum me eſſe adhuc nec credo nec gaudeo. Melior, cum ex contrarijs valet, Habeo quem fugiam,quem ſequar non habeo.Quid?quòd miſer cum loqui non poſſet,tacere non poterat?Ea verò fit pulcher-
Cic. ad Attic. rima, cum aliqua comparatione clareſcit. Trachallus contra Spathalem,Placet hoc ergo?& leges diligentiſſimæ pudoris cuſtodes decimas vxoribus dari , quartas meretricibus iubent?

Sententiæ vitioſæ. [Sed horum quidem generum & bonæ dici poſſunt, & malæ. Illæ ſemper vitioſæ,vti à verbo,patres conſcripti,ſic enim incipiẽdum eſt mihi,vt memineritis patrum. [Peius adhuc quo magis falſum eſt & longius petitum. Cõtra eandem ſororem gladiatoris cuius modo feci mentionẽ,A digito pugnaui.[Eſt etiam generis eiuſdem,neſcio an vitioſiſſimũ, quoties verborum ambiguitas cum rerum falſa quadam ſimilitudine iungitur.Clarum authorem iuuenis audiui,cum lecta in capite cuiuſdam oſſa ſententiæ gratia tenenda matri dediſſet,Infeliciſſima fœmina nõdum extuliſti filium,& iam oſſa legiſti.[Ad hoc plerique minimis etiam inuentiunculis gaudent, quæ excuſſæ riſum habent,inuentæ facie ingenij blandiuntur.De eo qui naufragus,& antè agrorũ ſterilitate vexatus in ſcholis fingitur ſe ſuſpendiſſe, Quem nec terra recipit, nec mare, pendeat.Huic ſimile in illo de quo ſuprà dixi,cui mater ſua membra laceranti venenũ dedit, Qui hæc edit, debet hoc bibere. Et in luxurioſum,qui ἀποκαρτέρησιν ſimulaſſe dicitur,Necte laqueum,habes quod faucibus tuis iraſcaris.ſume venenum,decet luxurioſos bibendo mori.[Alia vana, vt ſuadentis purpu-

ratis,vt Alexandrũ Babylonis incendio ſepeliant, Alexandrũ ſepelio,hoc quiſquam ſpectabit è tecto? quaſi verò id ſit in re tota indigniſſimum. [Alia nimia, vt de Germanis dicentem quendam audiui, Caput neſcio vbi impoſitũ. Et de viro forti, Bella vmbone propellit. Sed finis non erit, ſi ſingulas corruptorum perſequar formas. ¶Illud potius quod eſt magis neceſſarium. Duæ ſunt diuerſæ opiniones, aliorum ſententias ſolas penè ſpectantium: aliorum omnino damnantium, quorum mihi neutrum admodum placet. Denſitas earum obſtat inuicem vt in ſatis omnibus fructibúſque aruorũ, quorum nihil ad iuſtam magnitudinẽ adoleſcere poteſt, quod loco in quẽ creſcat caret. Nec pictura in qua nihil circumlitũ eſt, eminet. Ideóque artifices etiam cum plura in vnam tabulam opera contulerũt, ſpatijs diſtingunt, ne vmbræ in corpora cadant. Facit res eadẽ conciſam quoque orationem. Subſiſtit enim omnis ſentẽtia. Ideóque poſt eam vtique aliud eſt initium. Vnde ſoluta ferè oratio, & è ſingulis non mẽbris, ſed fruſtis collata, ſtructura caret, cum illa rotunda & vndique circumciſa inſiſtere inuicem nequeant. Præter hoc etiam color ipſe dicendi quamlibet clarus, multis tamen ac varijs velut maculis conſpergitur. Porrò vt affert lumẽ clauus purpurę loco inſertus, ita certe neminem deceat intertexta pluribus notis veſtis. Quare licet hæc enitere, & aliquatenus extare videantur, tamen & lumina illa non flammæ, ſed ſcintillis inter fumum emicantibus ſimilia dixeris: quæ ne appareãt quidem, vbi tota lucet oratio, vt in ſole ſidera ipſa deſinunt cerni: & quæ crebris paruíſque conatibus ſe attollunt, inæqualia tantũ & velut confragoſa, nec admirationem conſequuntur eminentium, & planorum gratiã perdunt. Hoc quoque accidit, qꝑ ſolas captandi ſententias, multas neceſſe eſt dicere leues, frigidas, ineptas. Non enim poteſt eſſe delectus, vbi numero laboratur. Itaque videas & diuiſionẽ pro ſententia poni, & argumentum, ſi tantum in clauſulæ calce pronuntietur. Occidiſti vxorem ipſe adulter, non ferrem te etiam ſi repudiaſſes: diuiſio eſt. Vis ſcire venenum eſſe amatorium? viueret homo, niſi illud bibiſſet: argumentum eſt. Nec multas plerique ſententias dicunt, ſed omnia tanquam ſententias. [Huic quibuſdam contrarium ſtudium, qui fugiunt ac reformidant omnem hanc in dicendo voluptatẽ, nihil probantes niſi planum, & ſine conatu. Ita dum timent ne aliquando cadãt, ſemper iacent. Quod enim tantũ in ſententia bona cri-

Sentẽtiæ qua tenus adhibẽdæ in dicẽdo.

men est? non causæ prodest? non iudicem mouet? non dicentem commendat? At est quoddam genus quo veteres non vtebantur. Ecquam vos vocatis vetustatem? Nam si illam extremam, multa Demosthenes quæ ante eum nemo. Quo modo potest probare Ciceronẽ qui nihil putat ex Catone Gracchísque immutãdum? Sed ante hos simplicior adhuc ratio loquendi fuit. Ego verò hæc lumina orationis, velut oculos quosdam esse eloquentiæ credo. Sed neque oculos esse toto corpore velim, ne cætera membra suum officium perdãt. Et si necesse sit, veterem illum horrorem dicendi malim, quàm istam nouam licentiam. Sed patet media quædam via, sicut in cultu victúq; accessit aliquis citra reprehensionem nitor, quem sicut possumus adijciamus virtutibus. Prius tamen sit vitijs carere, ne, dum volumus esse meliores veteribus, simus tãtùm dissimiles.

Trãsit ad ornatũ in transl atis.

¶ Reddam nunc, quam proximam esse dixeram partẽ de Tropis, quos motus clarissimi nostrorum authores vocant. Horum tradere prçcepta & grammatici solent. Sed à me, cum de illorum officio loquerer, dilata pars hæc est, quia de ornatu orationis grauior videbatur locus, & maiori operi seruandus.

¶ De tropis. Cap. VI.

TRopus est verbi vel sermonis à propria significatione in aliam cum virtute mutatio. Circa quem inexplicabilis & grammaticis inter ipsos, & philosophis pugna est, quæ sint genera, quæ species, qui numerus, quis cuique subijciatur. [Nos omissis quæ nihil ad instituendum oratorẽ pertinent, cauillationibus, necessarios maxime atque in vsum receptos exequemur: hoc modo in his annotasse contenti, quosdam gratia significationis, quosdã decoris assumi: & esse alios in verbis proprijs, alios in translatis: vertíque formas non verborum modo, sed etiam sensuum & compositionis. Quare mihi videntur errasse, qui non alios crediderunt tropos, quàm in quibus verbũ pro verbo poneretur. Neque illud ignoro, in ijsdem ferè qui significandi gratia adhibentur, esse & ornatum, sed non idem accidet contrà: erúntq; quidam tantum ad speciem accõmodati. ¶ Incipiamus igitur ab eo, qui cum frequẽtissimus est, tum longè pulcherrimus, translationem dico, quæ Metaphora græcè vocatur. Quæ quidẽ cum ita est ab ipsa nobis concessa natura, vt indocti quoque ac non sentientes ea frequenter vtantur: tum ita iucunda atque nitida, vt in oratione quamlibet clara, proprio tamẽ lumine eluceat. Neque enim

Troporum diuisio.

METAphora.

vulgaris esse,nec humilis, nec insuauis, rectè modò ascita sit, potest. Copiam quoque sermonis auget permutando aut mutuando quæ non habet, quódque difficillimum est,præstat,ne vlli rei nomen deesse videatur. [Transfertur ergo nomen aut verbum ex eo loco in quo propriũ est, in eum in quo aut proprium deest,aut translatum proprio melius est.Id facimus,aut quia necesse est,aut quia significãtius,aut(vt dixi)quia decentius. Vbi nihil horum præstabit,quod trãsferetur,improprium erit.Necessitate rustici dicunt gemmam in vitibus:quid enim dicerent aliud?& sitire segetes,& fructus laborare. Necessitate nos durum hominem aut asperum: non enim proprium erat,quod daremus his affectibus nomen.Iam incensum ira,& inflammatũ cupiditate, & lapsum errore, significandi gratia: nihil enim horum suis verbis, quàm his accersitis magis proprium erat. Illa ad ornatum,Lumen orationis:& generis claritatem,& concionum procellas,& eloquentię flumina:vt Cicero pro Milone,Clodium fontem gloriæ eius vocat,& alio loco segetem ac materiam.Quædam etiam parum speciosa dictu per hanc explicantur, *Species metaphoræ.*

Hoc faciunt,nimio ne luxu obtusior vsus
Sit genitali aruo,& sulcos oblimet inertes. ¶In totum autem metaphora breuior est quàm similitudo:eóque distat,quòd illa comparatur rei quam volumus exprimere,hæc pro ipsa re dicitur.Comparatio est enim,cum dico feciſſe quid hominem vt leonem. Trãslatio est,cum dico de homine,leo est.[Huius vis omnis maxime quadruplex videtur: cum in rebus animalibus aliud pro alio ponitur, vt de agitatore, Gubernator magna contorsit equum vi.Et vt Liuius Scipionem à Catone adlatrari solitum refert . Inanima pro alijs generis eiusdem sumuntur:vt,Classíque immittit habenas.Aut pro rebus animalibus inanima,Ferro an fato virtus Argiuûm occidit:aut contrà, Sedet insçius alto,
Accipiens sonitum saxi de vertice pastor.Præcipuéque ex his oritur mira sublimitas,quæ audaciæ proxima periculo translationis attollitur,cum rebus sensu carentibus actum quendam & animos damus:qualis est,Pontem indignatus Araxes. Et illa Ciceronis , Quid enim tuus ille Tubero districtus in acie Pharsálica gladius agebat?Cuius latus ille mucro petebat? qui sensus erat armorum tuorum? Duplicatur interim hæc virtus apud Virgilium,Ferrúmque armare veneno. Nam & veneno

armare,& ferrũ armare tranſlatio eſt.Secantur hæc in plures: vt à rationali ad rationale,& idem de irrationalib⁹:& hæc inuicem,quibus ſimilis ratio eſt & à toto & à partibus.Sed iam non pueris præcipimus, vt accepto genere ſpecies intelligere non poſſint.[Vt modicus autẽ atq; opportunus eius vſus illuſtrat orationẽ,ita frequens & obſcurat,& tædio complet:continuus verò in allegoriã & ænigmata exit.[Sũt etiam quædam & humiles trãſlationes,vt id de quo modo dixi:Saxea eſt verruca:& ſordidę.Non enim ſi Cicero rectè ſentinam reipub.dixit,fœditatem hominũ ſignificans,idcirco probem illud quoque veteris oratoris: Perſecuiſti reipub. vomicas. Optimẽque Cicero demonſtrat cauendum,ne ſit deformis trãſlatio,qualis eſt(nam ipſis eius vtar exemplis)Caſtratam morte Aphricani rempublicam,& ſtercus curiæ Glauciam.Ne nimio maior,aut quod ſæpius accidit, minor. Nec diſſimilis,quorum exempla nimium frequenter deprehẽdet,qui ſcierit hæc vitia eſſe.Sed & copia quoque modum egreſſa vitioſa eſt,præcipuè in eadem ſpecie. Sunt & duræ,id eſt à longinqua ſimilitudine ductæ,vt capitis niues:&,Iupiter hybernas cana niue conſpuit alpes.In illo verò plurimum erroris,quòd ea quæ poetis(qui & omnia ad voluptatem referunt, & plurima vertere etiam ipſa metri neceſſitate coguntur)permiſſa ſunt, conuenire quidem etiam proſæ putant. At ego in agendo nec paſtorem populi,authore Homero dixerim, nec volucres pennis remigare: licet Virgilius in apibus ac Dædalo ſpecioſiſſimè ſit vſus . Metaphora enim aut vacantem occupare locum debet , aut ſi in alienum venit, plus valere eo quem expellit. ¶Quod aliquanto penè iam magis de Synecdoche dicam.Nam tranſlatio permouendis animis plerumque & ſignandis rebus, ac ſub oculos ſubijciendis reperta eſt. Hæc variare ſermonem poteſt, vt ex vno plures intelligamus,parte totum, ſpecie genus,præcedentibus ſequentia, vel contrà , omnia liberiora poetis quàm oratoribus.Nam proſa vt mucronem pro gladio,& tectum pro domo recipiet : ita non puppim pro naui, nec abietem pro tabellis. Et rurſus vt pro gladio ferrum,ita nõ pro equo quadrupedem. Maximè autem in orando valebit numerorum illa libertas. Nam & Liuius ſæpè ſic dixit,Romanus prælio victor,cum Romanos viciſſe ſignificat.Et contrà Cicero ad Brutum,Populo, inquit,impoſuimus,& oratores viſi ſumus: cum de ſe tantum loqueretur.Quod genus non orationes modo ornat,ſed etiam

Humiſis. *Sordida.*

Maior. *Minor.* *Diſſimiſis.* *Redundans.* *Dura.*

Synecdoche.

quotidiani ſermonis vſus recipit. Quidã Synecdochen vocãt cum & id in contextu ſermonis quod tacetur accipimus. Verbum enim ex verbo intelligitur, quod inter vitia ἔκλειψις vocatur, Arcades ad portas ruere. Mihi hanc figuram eſſe magis placet, illic ergo reddetur. Aliud etiam intelligitur ex alio, Aſpice, aratra iugo referunt ſuſpenſa iuuenci.

Vnde apparet noctẽ appropinquare. Id neſcio an oratori conueniat, niſi in argumentando, cum rei ſignum eſt. Sed hoc ab elocutionis ratione diſtat. ¶ Nec procul ab hoc genere diſcedit Metonymia, quę eſt nominis pro nomine poſitio, cuius vis eſt, pro eo quod dicitur, cauſam propter quam dicitur, ponere. Sed, vt ait Cicero, Hypallagen Rhetores dicunt. [Hæc inuenta ab inuentore, & ſubiecta ab obtinentibus ſignificat. vt, Cererem corruptam vndis: &, receptus Terra Neptunus claſſes aquilonibus arcet. Quod fit retro durius. Refert autem in quãtum dictus tropus oratorem ſequatur. Nam vt Vulcanum pro igne vulgo audiuimus, & vario Marte pugnatum, eruditus eſt ſermo, & Venerem quàm coitum dixiſſe magis decet: ita Liberum & Cererem pro vino & planè licentius, quàm vt fori ſeueritas ferat. [Sicut ex eo quod continet id quod continetur, vſus recipit: vt bene moratas vrbes, & poculum epotum, & ſeculum felix. At id quod contra eſt, raro audeat quis niſi poeta. Iam proximus ardet Vcalegon. [Niſi forte hoc potius eſt à poſſeſſore quod poſſidetur: vt hominem deuorari, cuius patrimonium conſumitur, quomodo fiunt innumerabiles ſpecies. Huius enim ſunt generis, cum ab Annibale cæſa apud Cannas ſexaginta millia dicimus, & apud Tragicos ab Egilao, & carmina Virgilij veniſſe, & venire commeatus qui afferantur, & ſacrilegium deprehenſum non ſacrilegũ, armorum ſcientiam habere non artis. [Illud quoq; & poetis & oratoribus frequẽs, quo eum qui efficit, ex eo quod efficitur, oſtendimus. Nã & carminum authores, Pallida mors æquo pulſat pede pauperum tabernas Regúmq; turres. Et, Pallentéſq; habitant morbi, triſtíſque ſenectus. Et orator præcipitẽ iram, hilarem adoleſcẽtiam, ſegne otium dicet. [Eſt etiã huic tropo quædam cum Synecdoche vicinia. Nam dico vultus hominis pro vultu. Dico pluraliter quod ſingulare eſt, quod ſingulare eſt pluraliter. Sed non id ago, vt vnum ex multis intelligatur (Nam id eſt manifeſtũ) ſed nomẽ immuto, vt cum aurata tecta, aurea, puſillum à vero diſcedo, quia nõ eſt niſi pars aurata. Quę ſingula pſequi minu-

METOnymia ſiue Hypallage.

Eneid. 3.

Hora. de art.

Eneid. 2.

Hora. car. 2.

Eneid. 6.

ANTO-nomaſia. tioris eſt curæ, etiam non oratorem inſtruentibus. ¶Antonomaſia,quæ aliquid pro nomine ponit, poëtis quoque modo frequentiſſima:& per epitheton,quia detracto eo cui apponitur, valet pro nomine. Tytides, Pelides, & ex his quæ in quoque ſunt præcipua. Diuûm pater atque hominum rex.Et ex factis quibus perſona ſignatur, Thalamo quæ fixa reliquit impius. Oratoribus etiamſi rarus, eius rei nonnullus tamen vſus eſt. Nam vt Tytidem & Pelidem non dixerint, ita dixerunt impium pro parricida, euerſorem quoq; Carthaginis & Numantiæ pro Scipione, & Romanæ eloquentiæ principem pro Cicerone poſuiſſe non dubitēt.Cicero ipſe certe vſus eſt hac libertate, Non multa peccas,inquit ille fortiſſimo viro ſenior magiſter:& ſi peccas te regere poſſum.Neutrum enim nomen poſitum eſt,& vtrumque intelligitur. ¶Onomatopœia quidem, id eſt fictio nominis, Græcis inter maximas habita virtutes, nobis vix permittitur.Et ſunt plurima ita poſita ab ijs qui ſermonem primi fecerunt aptantes affectibus vocem. Nam mugitus,& ſibilus,& murmur inde venerunt. Deinde tanquã conſummata ſint omnia,nihil generare audemus ipſi, cum multa quotidie ab antiquis ficta moriantur.Vix illa quę προσῳδίμενα vocant,quæ ex vocibus in vſum receptis quocũque modo declinãtur,nobis permittimus:qualia ſunt ſullaturit, & proſcripturit,atque laureati poſtes,pro illo,lauro coronati, ex eadem fictione ſunt.Sed hoc feliciter eualuit:at contrà,vio pro eo infelicius.In Græcis obeliſco,coludumo,&c.dure etiam iungere vetamur,qui toleranter videre ſeptem triones videmur. ¶Eo magis neceſſaria καταχρήσις,quam rectè dicimus abuſionẽ:quæ non habentibus nomẽ ſuum,accommodat, quod in proximo eſt:ſic,Equum diuina Palladis arte Aedificant. Et apud Tragicos,Et iam leo pariet,at pater eſt.Mille ſunt hæc,& acetabula quicquid habet,& pyxides cuiuſcũque materiæ ſunt,& parricida matris quoque aut fratris interfector.Diſcernendúmq; eſt hoc totum à tranſlatione genus,quòd abuſio eſt vbi nomen defuit, tranſlatio vbi aliud fuit. Nam poëtæ ſolent abuſiuè etiam in his rebus, quibus nomina ſua ſunt, vicinis potius vti, quod rarum in proſa eſt.Illa quoque quidam καταχρήσεις eſſe volunt,cum pro temeritate virtus, aut pro luxuria libertas dicitur.A quibus hæc quidem diſſonãtia ſunt,quòd in his non verbum pro verbo ponitur,ſed pro re.Neq; enim putat quiſquam & luxuriam & liberalitatem idem ſignificare, verùm id quod

ONOMA topœia.

ABVSIO.

fit, alius luxuriam esse dicit, alius liberalitatem: quamuis neutri dubium sit, hæc esse diuersa. [Supereſt ex his quæ aliter significāt, μετάληψις id est trāssumptio, quæ ex alio in aliud velut viā præstat, tropus & rarissimus & maximè improprius: Græcis tamen frequentior, qui Cētaurum Chirona, & νήσους θοὰς ὀξείας dicunt. Nos quis ferat, si Verrem suem, aut Lælium doctum nominemus? Est enim hæc in metalepsi natura, vt inter id quod transfertur, sit medius quidam gradus, nihil ipse significās, sed præbens transitum, quem tropum magis affectamus vt habere videamur, quàm vt vllo in loco desideremus. Nam eius frequentissimum exemplum est: Cano, canto, dico: ita cano, dico. Item est medium illud cano, nec diutius in eo morandum, nihil enim vsus admodum video, nisi vt dixi, in medijs. METALEPSIS.

¶ Cætera iam non significandi gratia, sed ad ornandam modò non augendam orationem assumuntur. Ornat enim epithetū, quod rectè dicimus appositum, à nonnullis sequens dicitur. [Eo poetæ & frequentius & liberius vtuntur. Námque illis satis est conuenire verbo cui opponitur, & ita dentes albi, & humida vina in his non reprehenduntur. Apud oratorem, nisi aliquid efficitur, redundat. Tum autem efficitur, si sine illo quod dicitur minus est: qualia sunt, O scelus abominandum, O deformem libidinem. [Exornatur autem res tota maxime transiationibus, cupiditas effrenata, & insanæ substructiones. Et solet fieri alijs adiūctis epitheton tropis. Vt apud Virgiliū, Turpis egestas, & tristis senectus. Verūtamen talis est ratio huiusce virtutis, vt sine appositis nuda sit, & velut incompta oratio. [Neoneretur tamē multis. Nam fit longa & impedita, vt in quæstionibus eam iudices similem agmini totidem lixas habenti, quot milites quoque. In quo & numerus est duplex, nec duplum virium, quanquam non singula modo, sed etiam plura verba apponi solent: vt, Cōiugio Anchisa Veneris dignate superbo. Sed hoc quoque modo duo verba vni appositā, ne versum quidem docuerint. [Sunt autem quibus non videatur hic omnino tropus, quia nihil vertat. Necesse est enim semper vt id quod est appositū, si à proprio diuiseris, per se significet, & faciat antonomasiā. Nā si dicas, Ille qui Carthaginē & Numantiā euertit, antonomasia est: si adieceris Scipio, appositū. Nō potest ergo non esse iūctū. EPITHETON.

¶ At ἀλληγορία quā inuersionē interpretamur, aliud ALLEGORIA.

verbis, aliud ſenſu oſtẽdit, ac etiã interim cõtrariũ. Prius, vt, O nauis referẽt in mare te noui Fluctus, ò, quid agis? fortiter occupa Portũ. Totúſq; ille Horatij locus, quo nauim pro repub. fluctuũ tẽpeſtates pro bellis ciuilibus, portũ pro pace atq; cõcordia dicit. Tale Lucretius, Inuia Pieridũ peragro loca. & Virgilius, Sed nos immẽſum ſpatijs cõfecimus æquor. Et iã tẽpus equũm ſpumantia ſoluere colla. [Sine tranſlatione verò in Bucolicis,

Certe equidem audieram, quà ſe ſubducere colles
Incipiunt, mollíque iugum demittere cliuo,
Vſque ad aquam, & veteris iam fracta cacumina fagi,
Omnia carminibus veſtrum ſeruaſſe Menalcam.

Hoc enim loco præter nomen cætera proprijs deciſa ſunt verbis. Verùm non paſtor Menalcas, ſed Virgilius eſt intelligẽdus. [Habet vſũ talis allegorię frequẽter oratio, ſed raro totius, plerũq; apertis permixta eſt. Tota apud Ciceronẽ talis, Hoc miror enim querorq;, quemquã hominẽ ita peſſundare alterũ verbis velle, vt etiã nauẽ perforet, in qua ipſe nauiget. [Illud cõmixtũ frequẽtiſſimũ: Equidẽ cæteras tẽpeſtates & procellas, in illis dũtaxat fluctibus cõcionũ ſemper Miloni putaui eſſe ſubeundas. Niſi adieciſſet dũtaxat fluctibus cõcionũ, eſſet allegoria: nunc eã miſcuit. Quo in genere & ſpecies ex arceſſitis verbis venit, & intellectus ex proprijs. Illud vero lõge ſpecioſiſſimũ genus orationis, in quo triũ permixta eſt gratia, ſimilitudinis, allegoriæ, & trãſlationis. Quod fretũ, quẽ Euripũ, tot motus, tãtas, tã varias habere creditis agitationes, cõmutationes, fluctus, quantas perturbationes, & quãtos æſtus habet ratio comitiorũ? Dies intermiſſus vnus, aut nox interpoſita ſæpe & perturbat omnia, & totã opinionẽ parua nõnũquã cõmutat aura rumoris. [Nã id quoq; in primis eſt cuſtodiẽdũ, vt quo ex genere cœperis trãſlationis, hoc deſinas. Multi autẽ cũ initiũ à tẽpeſtate ſumpſerũt, incẽdio aut ruina finiũt, quæ eſt incõſequẽtia rerũ fœdiſſima. [Cæterũ allegoria paruis quoq; ingenijs & quotidiano ſermoni frequẽtiſſime ſeruit: nã illa in agẽdis cauſis iã detrita pedẽ conferre, & iugulũ petere, & ſanguinẽ mittere, inde ſunt: ita offendunt tamẽ. Eſt enim grata in eloquendo nouitas & cõmutatio, & magis inopinata delectant. Ideóq; iam in his amiſimus modũ, & gratiã rei nimia captatione cõſumpſimus. [Eſt in exẽplis allegoria, ſi nõ prædicta ratione ponantur. Nã vt Dionyſiũ Co-

Pro Murena.

rinthi esse,quo Græci omnes utuntur,ita plura similia dici possunt.[Hæc allegoria quæ est obscurior,ænigma dicitur,vitium quidem meo iudicio,si quidem dicere dilucide, virtus: quo tamen & poetæ vtuntur,

Dic quibus in terris,& eris mihi magnus Apollo,
Treis pateat cæli spatium non amplius vlnas?

Et oratores nõnũquã:vt Cęcilius, Quadrãtariã Clytẽnestram, & in triclinio Choã,& in cubiculo Nolã.Nãq; & nũc quędã soluuntur,& tũ erãt notiora cũ dicerẽtur,& ænigmata sũt tamẽ: nec ea nisi quis interptetur,intelligas.[In eo verò genere quo cõtraria ostẽdũtur,Ironia est,illusionẽ vocãt,quę aut pronũcia tione intelligitur,aut persona,aut rei natura:nã si qua earũ verbis dissentit,apparet diuersã esse orationi voluntatẽ:quãquã in plurimis id tropis accidit,vt interfit quid de quo dicatur : quia quod dicitur alibi verũ est:aut laudi simulatione detrahere,aut vituperatiõi laude cõcessũ est.Quale est ꝙ C.Verres prætor vrbanus,homo sanctus & diligẽs,subsortionem eius eo die nõ haberet.Et cõtra,Oratores visi sumus,& populo imposuimus.Aliquãdo cũ risu quodam cõtraria dicuntur ijs quæ intelligi volũt:quẽadmodũ in Clodiũ,Integritas tua te purgauit, mihi crede,pudor eripuit,vita anteacta seruauit.Præter hæc vsus est allegoriæ,vt tristia dicamus melioribus verbis, aut bonæ rei gratia quędã cõtrarijs significem9*aliud textu,quę & enumeraui mus. Hæc si qs ꝑfecto ignorat ꝗbus Græci nominib9, appellẽt σαρκασμὸν, χλεισμόν, ἀντίφρασιν, παροιμίαν dici sciat.Sunt etiã ꝗ hęc nõ species allegoriæ,sed ipsa tropos dicũt,acri quidẽ ratione,ꝙ illa obscurior sit,& in his omnib9 aperte appareat quodvelim9. Cui accedit hoc quoq;,ꝙ genus cum diuiditur in species, nihil habet proprium, vt arboris species sunt,pinus,& olea,& cupressus,& ipsius per se nulla proprietas. Allegoria verò habeat aliquid propriũ:quod quo modo fieri potest , nisi ipsa species est? Sed ad vtẽdũ nihil refert.[Adijcitur his μυκτηρισμὸς simulatus quidẽ,sed nõ latẽs derisus.¶Pluribus autẽ verbis cum id quod vno aut pauciorib9 certe dici potest explicatur,periphrasim vocant,circuitum loquendi,qui nonnunquam necessitatẽ habet quoties dictu deformia operit,vt Sallustius, Ad requisita natu rę.Interĩ ornatũ petit solũ,ꝗ est apud poetas frequẽtissim9: vt,

Tempus erat quo prima quies mortalibus ægris

Ironia.

Periphrasis.

Incipit,& dono diuûm gratiſſima ſerpit.

¶Et apud oratores nõ rarus,ſemp tamẽ adſtrictior. Quicquid enim ſignificari breuius poteſt,& cũ ornatu latius oſtẽditur, περίφρασις eſt:cui nomẽ latine datũ eſt,nõ ſanè orationis aptũ virtuti,circũlocutio. Verùm hęc vt cũ decorẽ habet, periphraſis: ita cũ in vitiũ incidit, περισσολογία dicitur. Obſtat enim quicqd nõ adiuuat. ¶Hyperbaton quoq;.i.verbi trãſgreſſionẽ,quã frequẽter ratio cõparatiõis & decor poſcit,nõ immerito inter virtutes habem⁹. Fit enĩ frequẽtiſſime aſpera,& dura,& diſſoluta, & hiãs oratio,ſi ad neceſſitatẽ ordinis ſui verba redigãtur, & vt quodq; oritur,ita ꝓximis etiãſi vinciri nõ poteſt,alligetur. Diferenda igitur quædã & pręſumẽda,atq; vt in ſtructuris lapidũ impolitiorũ,loco quo cõuenit quicq; ponẽdũ . Nõ enĩ recidere ea,nec polire poſſum⁹,quo coagmẽtata ſe magis iũgãt, ſed vtẽ dũ ijs qualia ſũt,eligẽdęq; ſedes. Nec aliud poteſt ſermonẽ facere numeroſũ,q̃ opportuna ordinis mutatio . Neq; alio, κατέβην χθὲς εἰς πειραιᾶ, Platonis inuenta ſunt quatuor illa verba,quibus in illo pulcherrimo operũ in Piræũ deſcẽdiſſe ſignificat, plurimis modis ſcripta,ꝙ eũ quoq; maximi facere experiretur.]Verũ id cũ duobus verbis fit, ἀναστροφὴ dicitur,reuerſio quędã:qualia ſunt vulgo,mecũ,ſecũ: apud oratores & hiſtoricos,quib⁹ de reb⁹.[At cũ decoris gratia cõtrahitur lõgi⁹ verbũ,proprie hypbati tenet nomẽ, Animaduerti Iudices omnẽ accuſatoris orationẽ in duas diuiſã eſſe partes. Nã in duas partes diuiſã eſſe,rectũ erat,ſed durũ & incõptũ.[Poetę quidẽ etiã verborũ diuiſionẽ faciũt,& trãſgreſſionẽ,Hypboreo ſeptẽ ſubiecta trioni, qd⁹ oratio nequaquã recipiet. At id quod eſt,& propter quod cũ dicitur,tropus fit,quia cõponẽdus eſt è duobus intellect⁹. Alioqui vbi nihil ex ſignificatiõe mutatũ eſt, & ſtructura ſola variatur, figura potius verborum dici poteſt, ſicut multi narrationem longis mutant hyperbatis. Ex confuſis quæ vitia accidant, ſuo loco diximus . ¶Hyperbolen audacioris ornatus ſummo loco poſui. Eſt hęc demẽtiens ſuperiectio. Virtus eius ex diuerſo par agẽdi atque minuendi.[Fit pluribus modis . Aut enim plus facto dicimus,ſicut, Vomens fruſtis eſculentis gremium ſuum & totum tribunal impleuit. Geminíque minantur, In cælum ſcopuli.[Aut res per ſimilitudinẽ attollimus. Credas innare reuulſas Cycladas.[Aut ꝓ cõparationẽ, vt, Fulminis ocyor alis.

Periſſologia.

Hyperbaton.

De rep.1.

Anaſtrophe.

Pro Cluentio.

Hyperbole.

[Aut ſignis quaſi quibuſdã, Illa vel intacta ſegetis per ſumma volaret Gramina, nec teneras curſu læſiſſet ariſtas. [Vel tranſlatione, vt ipſũ illud volaret. [Creſcit interim Hyperbole alia inſuper addita: vt Cicero in Antoniũ dicit, Quæ Charybdis tã vorax? Charybdim dico, quę ſi fuit, fuit animal vnũ. Oceanꝰ mediuſ fidius vix videtur tot res tã diſſipatas, tã diſtantibus in locis poſitas tã cito abſorbere potuiſſe. [Exquiſitã verò figuram huius rei deprehẽdiſſe apud principem Lyricorũ Pindarum videor in libro, quem inſcripſit ὕμνους. His nãq; Herculis impetũ aduerſus Meropas, qui in inſula Co dicũtur habitaſſe, nõ igni, nec ventis, nec mari, ſed fulmini dicit ſimilẽ fuiſſe: vt illa minora, hoc par eſſet. Quod imitatus Cicero, illa cõpoſuit in Verrẽ, Verſabatur in Sicilia lõgo interuallo nõ Dionyſius ille, nec Phalaris (tulit enim illa quõdã inſula multos & crudeles tyrannos) ſed nouũ quoddã mõſtrũ ex vetere illa immanitate, quæ in ijſdem verſata locis dicitur. Nõ enim Charybdim tam infeſtam, neq; Scyllã nauibus, q̃ iſtũ in eodem freto fuiſſe arbitror. Actu. 7.

[Nec pauciora ſunt genera minuendi, Vix oſſibus hærent. Et quod Cicero in quodam ioculari libello, Hyperboſe minuens.

Fundum Varro vocat, quem poſſim mittere, funda:
Ni tamen exciderit, quà caua funda patet.

¶[Sed huius quoque rei ſeruetur menſura quædam, quamuis eſt enim omnis hyperbole vltra fidem, non tamẽ eſſe debet vltra modũ, nec alia magis via in κακοζηλίαμ itur. Piget referre plurima hinc orta vitia, cũ præſertim minime ſint ignota & obſcura. Monere ſatis eſt, mentiri hyperbolen, nec ita vt mendacio fallere velit. Quo magis intuẽdũ eſt quouſq; deceat extollere, quod nobis nõ creditur. Peruenit hæc ſpecies frequentiſſimè ad riſum: qui ſi aptus eſt, vrbanitatis: ſin aliter, ſtultitiæ nomẽ aſſequitur. Eſt autẽ in vſu vulgo quoq;, & inter ineruditos, & apud ruſticos, videlicet quòd natura eſt omnibus augẽdi res vel minuendi cupiditas inſita, nec quiſquam vero contentus eſt. Sed ignoſcitur, quia non affirmamus. Tum eſt hyperbole virtus, cum reſipſa, de qua loquendum eſt, naturalem modum exceſſit. Conceditur enim amplius dicere, quia dici quantum eſt non poteſt: meliúſque vltrà quàm citrà ſtat oratio. Sed de his ſatis, quia eundem locum plenius in eo libro, quo cauſas corruptæ eloquentiæ reddebamus, tractauimus.

M. FABII QVINTILIANI DE institutione oratoria, Liber IX.

¶ Quo differant figuræ à tropis. Cap. I.

Tropi & figuræ quid cõueniant aut quid distent.

CVm sit proximo libro de tropis dictum, sequitur pertinens ad figuras, quæ schemata Græcè vocãtur, locus ipsa rei natura coniũctus superiori. Nam pleriq; has, tropos esse existimauerunt, quia siue ex hoc duxerint nomen, quòd sint formati quodam modo: siue ex eo quòd vertant orationem, vnde & motus dicuntur: fatendum erit esse vtrumque eorum etiam in figuris. Vsus quoque est idem. Nam & vim rebus adijciunt, & gratiam præstant. Nec desunt qui tropis figuræ nomen imponant, quorum est Caius Actorius Proculus. Quin adeo similitudo manifesta est, vt eam discernere non sit in prõptu. Nam quo modo quædam in ijs speciebus planè distant, manente tamen generali illa societate, quòd vtraque res de recta & simplici ratione cũ aliqua dicẽdi virtute deflectitur: ita quędam perquam tenui limite diuiduntur, vt cum ironia tam inter figuras sentẽtiæ, q̃ inter tropos reperiatur: περίφρασιν autem, & ὑπέρβατον, & ὀνοματοποιΐαν, & ἐπίθετον, clari quoque authores figuras verborum potius q̃ tropos dixerunt. Quo magis signanda est vtriusque rei differentia. [Est igitur tropus sermo à natu

Tropus.

rali & principali significatione tranasitus ad aliam, ornandæ orationis gratia: vel (vt plerique grammatici finiunt) dictio ab eo loco in quo propria est, translata in eum in quo propria non est. Figura est (sicut nomine ipso patet) conformatio quædam orationis remota à communi & primum se offerente ratione. Quare in tropis ponuntur verba alia pro alijs, vt in μεταφορᾷ, μετωνυμίᾳ, ἀντονομασίᾳ, μεταλήψει, συνεκδοχῇ, καταχρήσει, ἀλληγορίᾳ, ὑπερβολῇ plerumque. ἀλληγορία namque & rebus fit & verbis: ὀνοματοποιΐα fictio est nominis. Ergo hoc quoque pro alijs ponitur, quibus vsuri fuimus si illud non fingeremus. περίφρασις, etiam si frequenter & id ipsum in cuius locum assumitur, nomen complecti solet, vtitur tamen pluribus pro vno. Ἐπίθετον quoniam plerumque Antonomasiæ pars est, cõiunctione eius

Figura.

fit tropus. In hyperbato commutatio est ordinis. Ideo multi tropis hoc genus eximunt. Transfert tamen verbum aut partem eius à suo loco in alienum. Horum nihil in figuras cadit. Nam & proprijs verbis, & ordine collocatis fieri figura potest. Quomodo autem ironia alia sit tropi, alia schematis, suo loco reddam. Nomine enim fateor esse communia hæc, & scio quàm multiplicem habeant, quámque scrupulosam disputationem: sed ea non pertinẽt ad præsens meum propositum. Nihil enim refert quo modo appelletur vtrumlibet eorum, si quid orationi prosit, appareat. Nec mutatur vocabulis vis rerũ. Et sicut homines etsi aliud acceperunt quàm quod habuerant nomen, ijdem sunt tamen: ita hæc de quibus loquimur, siue tropi siue figuræ dicantur, idem efficient. Non enim nominibus prosunt, sed effectibus: vt statum coniecturalem, an infinitialem, an facti, an substantiæ, an de substantia nominemus, nihil interest, dum idem quæri sciamus. Optimũ ergo in his sequi maxime recepta, & rem ipsam quocũque appellabitur modo intelligi. [Illud tamen notandum, coire frequẽter in easdẽ sententias, & tropũ, & figuram. Tam enim translatis verbis, q̃ proprijs figuratur oratio. Est autem non mediocris inter authores dissensio, & quæ vis nominis eius, & quot genera, & q̃ multæ sint species. ¶ Quare primum intuendum est quid accipere debeamus figuram. Nam duobus modis dicitur: Vno qualiscũque forma sentẽtiæ, sicut in corporibus, in quibus quoquo modo sunt composita, vtique habitus est aliquis: Altero, quod prie schema dicitur, in sensu vel sermone aliqua à vulgari & simplici specie cum ratione mutatio: sicut, nos sedemus, incũbimus, respicimus. Itaque cum in eosdem casus, aut tempora, aut numeros, aut etiam pedes, continuo quis aut certe nimiũ frequenter incurrit, præcipere solemus, variandas figuras esse vitandæ similitudinis gratia. In quo ita loquimur, tanquã omnis sermo habeat figuram. Itémque eadẽ figura dicimus cursitare, qua lectitare, id est eadẽ ratione declinari. Quare illo intellectu priore & cõmuni nihil non figuratũ est. Quo si cõtenti sumus, non immerito Apollodorus (si tradenti Cælio credimus) incõprehẽsibilia partis huius præcepta existimault. Sed si habitus quidã, & quasi gestus sic appellãdi sunt, id demũ hoc loco schema dici oportebit, quod sit à simplici ac in promptu posito

Figura quid.

dicẽdi modo poeticè vel oratoriè mutatũ. Sic enim verũ erit aliam esse orationẽ ἀσχηματίσον, id est carentẽ figuris, quod vitiũ nõ inter minima est, aliã ἐσχηματισμένην, id est figuratã. Verùm id ipsum angustè tamẽ & Cælius terminauit, qui id solum puta uerit schema, quo aliud simulatur dici quàm dicitur, quod sanè vulgo quoq; sic accipi scio. Vnde & figuratę cõtrouersię quędã de quibus paulopòst dicã vocãtur. Ergo figura fit arte aliqua nouata forma dicẽdi. ¶ Gen⁹ eius vnũ quidã putauerũt, in hoc ipso diuersas opiniones secuti. Nam hi quia verborũ mutatiõe sensus quoq; verterẽt, omnes figuras in verbis esse dixerũt: Illi quia verba reb⁹ accõmodarent, omnes in sensibus. Quorũ vtra q; manifesta cauillatio est. Nam vt eadem dici solent aliter atque aliter, manétq; sensus elocutione mutata, ita & figura sententiæ plures habere verborũ figuras potest. Illa est enim posita in cõcipienda cogitatione, hæc in enũciãda: sed frequentissimè coeunt. vt in hoc, Nemo iamiã Dolabella neque tui, neq; tuorũ liberûm, quos tu miseros in egestate atque solitudine reliquisti misereri potest. Nã oratio à iudice auersa, in sententia: iamiam, liberûm, in verbis sunt schemata. [Inter plurimos enim quod sciam consensum est duas esse partes διανοίας. i. mentis, vel sensus vel sententiarum, nam ijs omnibus modis dictũ est: & λέξεως. i. verborũ, vel dictiõis, vel elocutiõis, vel sermonis, vel orationis. Nam & variatur, & nihil refert. Cornelius tamen Celsus adijcit verbis & sententijs figuras colorum, nimia profecto nouitatis cupiditate ductus. Nam quis ignorasse eruditum alioqui virum credat colores & sententias sensuum esse? Quare sicut omnem orationem, ita figuras quoque versari necesse est in sensu & in verbis. ¶ Vt verò natura prius est cõcipere animo res quàm enunciare, ita de ijs figuris antè loquendum est, quæ ad mentem pertinent: quarũ quidẽ vtilitas tũ magna, tum multiplex, in nullo non orationis opere vel clarissimè elucet. Nã etsi minime videtur pertinere ad probationẽ qua figura quicque dicatur, facit tamen credibilia quæ dicimus, & in animos iudicum qua non obseruatur irrepit. Namque vt in armorum certamine, & aduersos ictus, & rectas ac simplices manus tum videre, tum etiam cauere ac propulsare facilè est: auersæ tectæque minus sunt obseruabiles, & aliud ostendisse q̃ petas artis est: sic oratio quę astu caret, põdere modo & impulsu

Genus figurę nõ vnum sed duplex, Sentẽtiarum & verborum.

Laus figurarũ διανοίας

præliatur. Simulãti variantíque conatus in latera, atq; in terga incurrere datur, & arma aduocare, & velut nutu fallere. Iam verò affectus nihil magis ducit. Nam si frons, oculi, manꝰ, multũ ad motum animorum valent, quanto plus orationis ipsius vultus ad id quod intendimus efficere compositus? Plurimum tamen ad commendationem facit, siue in conciliandis agentis moribus, siue ad promerendum actioni fauorem, siue ad leuandum varietate fastidium, siue ad quædam vel decentius indicanda vel tutius. ¶ Sed antequam quæ cuique rei figura conueniat ostendo, dicendum est nequaquam eas esse tam multas, q̃ sint à quibusdam constitutæ. Neq; enim me mouent nomina illa, quę fingere vtique Græcis promptissimũ est. Ante omnia igitur illi qui totidem figuras putant quot affectus, repudiãdi: non quia affectus non sit qualitas quædam mentis, sed quia figura, quam non communiter, sed propriè nominamus, non sit simplex rei cuiuscunque enũciatio. Quapropter in dicendo irasci, dolere, misereri, timere, confidere, contemnere, non sunt figuræ, nõ magis quàm suadere, minari, rogare, excusare. Sed fallit parum diligenter intuentes, quòd inueniunt in omnibus his locis figuras, & earum exẽpla ex orationibꝰ excerpũt. Neque enim pars vlla dicendi est, quæ non recipere eas possit. Sed aliud est admittere figuram, aliud figuram esse. Neq; enim verebor explicandæ rei gratia frequentiorem eiusdem nominis repetitionem. Quare dabunt mihi aliquem in irascẽte, deprecante, miserante, figuram, scio: sed non ideo irasci, misereri, deprecari, figura erit. Cicero quidem omnia orationis lumina in hunc locum congerit, mediam quandam (vt arbitror) secutus viam, vt nec omnis sermo schema iudicaretur, nec ea sola quæ haberent aliquam remotam ab vsu communi fictionẽ, sed quæ essent clarissima, & ad mouendum auditorem valerẽt plurimum, quem duobus ab eo libris tractatum locum ad literam subieci, ne fraudarẽ legẽtes iudicio maximi authoris. [In tertio de Oratore ita scriptum est, In perpetua autem oratiõe, cum & coniunctionis lenitatem, & numerorum quam dixi rationem tenuerimus, tum est quasi luminibus distinguenda & frequentãda omnis oratio sententiarum atque verborum. Nã & commoratio vna in re permultum mouet, & illustris explanatio, rerúmq; quasi gerãtur sub aspectum penè subiectio,

Figuras non esse plurimas.

Locus Ciceronis de figuris elocutionis.

quæ & in exponenda re plurimum valet,& ad illuſtrandum id quod exponitur,& ad amplificādū,vt ijs qui audiēt illud quod augebimus,quantum efficere oratio poterit,tantum eſſe videa tur. Et huic contraria ſæpe præciſio eſt, & ad plus intelligendū quàm dixeris,ſignificatio:& diſtinctè conciſa breuitas, & exte nuatio:& huic adiuncta illuſio,à præceptis Cæſaris non abhor rens,& ab re non longa digreſſio,in qua cum fuerit delectatio, tum reditus ad rem aptus , & concinnus eſſe debebit: propoſi tióque quid ſis dicturus , & ab eo quod eſt dictum ſeiunctio,& reditus ad propoſitum,& iteratio, & rationis apta concluſio,tū augendi minuēdíve cauſa veritatis ſuperlatio, atque traiectio & rogatio,atque huic finitima quaſi percontatio, expoſitióque, ſentētiæ ſuæ:tum illa quæ maxime quaſi irrepit in hominum mentes, alia dicentis ac ſignificantis diſſimulatio, quæ eſt per iucunda cum in oratione non cōtentione,ſed ſermone tracta tur.Deinde dubitatio,tum diſtributio,tum correctio,vel ante vel poſtquam dixeris,vel cum aliquid à teipſo reijcias. Præmu nitio eſt etiam ad id quod aggrediare,& reiectio in alium:com municatio quæ eſt quaſi cum his ipſis apud quos dicas, delibe ratio,morum ac vitæ imitatio,vel in perſonis vel ſine illis ma gnum quoddam ornamentum orationis, & aptum ad animos conciliandos vel maxime, ſæpe autem etiam ad cōmouendos. Perſonarum ficta inductio , vel grauiſſimum lumen augendi, deſcriptio,erroris inductio,ad hilaritatem impulſio,ante occu patio, tum duo illa quæ maximè mouent ſimilitudo & exem plum,digeſtio,interpellatio,contentio,reticentia,commenda tio,vox quædam libera,atque etiam effrenatio augendi cauſa, iracūdia,obiurgatio,promiſſio,deprecatio,obſecratio,declina tio breuis à propoſito,nō vt ſuperior illa digreſſio,purgatio,cō ciliatio,lęſio,optatio,atq; execratio.His ferè luminib⁹ illuſtrāt orationem ſententiæ.[Orationis autem ipſius tanquā armo rum,eſt vel ad vſum cōminatio & quaſi petitio , vel ad venu ſtatem ipſa tractatio. Nam & geminatio verborum habet in terdum vim,lepōrem aliàs,& paululum immutatū verbū atq; deflexum,& eiuſdē verbi crebra tū à primo repetitio, tū in ex tremum conuerſio,& in eadem verba impetus & concurſio,& adiunctio,& progreſſio,& eiuſdem verbi crebrius poſiti quædā diſtinctio,& reuocatio verbi,& illa quæ ſimiliter deſinunt,aut

quæ cadunt ſimiliter, aut quæ paribus paria referũtur, aut quæ ſunt inter ſe ſimilia. Eſt etiam gradatio quædã, & conuerſio, & verborũ concinna tranſgreſſio, & contrariũ, & diſſolutũ, & declinatio, & reprehẽſio, & exclamatio, & imminutio, & quod in multis caſibus ponitur, & quod de ſingulis rebus propoſitis ductum refertur ad ſingula: & ad propoſitũ ſubiecta ratio, & item in diſtributis ſuppoſita ratio, & permiſſio, & rurſus alia dubitatio, & improuiſum quiddam, & dinumeratio, & alia correctio, & diſputatio, & quod cõtinuatũ, & interruptũ, & imago, & ſibi ipſi reſponſio, & immutatio, & diſiunctio, & ordo, & relatio, & digreſſio, & circumſcriptio. Hęc enim ſunt ferè, atq; horum ſimilia, vel plura etiam eſſe poſſunt, quæ ſententijs orationẽ, verborúmq; cõformationibus illuminent. [Eadẽ ſunt in Perfecto oratore plurima, non omnia tamen, & paulo magis diſtincta, quia poſt orationis & ſententiarũ figuras, tertiũ quendam locũ ſubiecit ad alias (vt ipſe ait) quaſi virtutes dicendi pertinentem. [Et reliqua quæ ex collatione verborum ſumuntur quaſi lumina magnũ afferunt ornatũ orationi. Sunt enim ſimilia illis quæ in amplo ornatu ſcenæ aut fori appellantur inſignia, nõ q; ſola ornent, ſed quòd excellant. Eadẽ ratio eſt horũ quę ſunt orationis lumina, & quodammodo inſignia, cũ aut duplicãtur iterantúrq; verba, aut breuiter cõmutata ponũtur, aut ab eodẽ verbo ducitur ſæpius oratio, aut in idẽ cõijcitur, aut in vtrũq;, aut adiungitur idẽ iteratũ, aut idẽ ad extremũ refertur, aut cõtinenter vnũ verbũ nõ in eadẽ ſententia ponitur, aut cũ ſimiliter vel cadũt verba vel deſinũt, aut cũ multis modis cõtrarijs relata cõtraria: aut cũ gradatim ſurſũ verſ⁹ reditur, aut cũ dẽptis cõiũctionib⁹ diſſolutè plura dicũtur, aut cũ aliquid præter-euntes cur id faciam⁹, oſtẽdim⁹: aut cũ corrigim⁹ noſmetipſos quaſi reprehẽdẽtes, aut ſi eſt aliqua exclamatio vel admiratiõis vel cõqueſtionis: aut cũ eiuſdẽ noĩs caſus ſæpius cõmutãtur. Sẽ tẽtiarũ ornamẽta maiora ſũt: quib⁹ quia frequẽtiſſimè Demoſthenes vtitur, ſunt qui putẽt idcirco eius eloquentiã maximè eſſe laudabilẽ. Enimuero nullus ferè ab eo locus ſine quadã conformatione ſentẽtiæ edicitur: nec aliud quicquã eſt dicere, niſi omnes aut certe pleraſque aliqua ſpecie illuminare ſententias. Quas cũ tu optime Brute teneas, quid attinet noĩbus vti, aut exẽplis? tantũmodo notetur loc⁹. Sic igitur dicet ille quẽ expe-

Verba Ciceronis in Bruto.

timus, vt verſet ſæpe multis modis eadem, & in vna re hæreat, in eadémq; commoretur ſentẽtia. Sæpe etiam vt extenuet aliquid, ſæpe vt irrideat, vt declinet à propoſito deflectátque ſententiam, vt proponat quid dicturus ſit, vt cum tranſegerit iam aliquid definiat, vt ſe ipſe reuocet, vt quod dixit iteret, vt argumentum ratione concludat, vt interrogando vrgeat, vt rurſus quaſi ad interrogata ſibi ipſe reſpõdeat, vt cõtra ac dicat, accipi ac ſentiri velit, vt addubitet quid potiꝰ, aut quo modo dicat, vt diuidat in partes, vt aliquid relinquat ac negligat, vt antè præmuniat, vt in eo ipſo in quo reprehẽdatur, culpã in aduerſariũ conferat, vt ſæpe cum ijs qui audiũt, nonnunquam etiam cum aduerſario quaſi deliberet, vt hominum mores ſermonéſq; deſcribat, vt muta quædã loquentia îducat, vt ab eo quod agitur auertat animos, vt ſępe in hilaritatẽ riſúm ve cõuertat, vt ante occupet qđ putat opponi, vt comparet ſimilitudines, vt vtatur exemplis, vt aliud alij tribuens diſpertiat, vt interpellatorẽ coerceat, vt aliquid reticere ſe dicat, vt denunciet quid caueat, vt liberius quid audeat, vt iraſcatur etiam, vt obiurget aliquãdo, vt deprecetur, vt ſupplicet, vt medeatur, vt à propoſito declinet aliquãtulum, vt optet, vt execretur, vt fiat is apud quos dicet familiaris, atq; alias etiam dicendi quaſi virtutes ſequatur, breuitatem, ſi res petet. Sæpè etiam rem dicendo ſubijciet oculis, ſæpè ſuprà feret rem quàm ferri poſſit: ſignificatio ſæpè erit maior quàm oratio, ſæpè hilaritas, ſæpè vitæ naturarúmq; imitatio. Hoc in genere (nam quaſi ſyluam vides) omnis eluceat oportet eloquentiæ magnitudo.

¶ De Figuris ſententiarum. Cap. II.

ERgo cui latius complecti conformationes verborum ac ſententiarum placuerit, habet quod ſequatur, nec affirmare auſim quicquam eſſe melius, ſed hæc ad propoſiti mei rationem legat. Nam mihi de his ſententiarum figuris dicere in animo eſt, quæ ab illo ſimplici modo dicendi recedunt: quod idẽ multis doctiſſimis viris video placuiſſe. Omnia tamẽ illa etiã quæ ſunt alterius modi lumina, adeo ſunt virtutes orationis, vt ſine ijs nulla intelligi vere poſſit oratio. Nam quomodo iudex doceri poteſt, ſi deſit illuſtris explanatio, ꝓpoſitio, promiſſio, finitio, ſeiunctio, expoſitio, ſententiæ ſiue rationis apta concluſio, præmunitio, ſimilitudo, exemplum, digeſtio, diſtri-

butio, interpellatio, interpellantis coerctio, contentio, purgatio, læsio? Quid verò agit omnino eloquẽtia detractis amplificandi minuendíve rationib⁹? Quarum prior desiderat illam plus quàm dixeris significationem, id est ἔμφασιν, & superlationem veritatis, & traiectionem. Hæc altera extenuationem deprecationémque. Qui affectus erant vel concitati, detracta voce libera, effrenatiore iracũdia, obiurgatione, optatione, execratione: vel illi mitiores, nisi adiuuantur, commendatione, conciliatione, ad hilaritatem impulsiõe? Quę delectatio, aut quod mediocriter saltem docti hominis iudiciũ, nisi alia repetitiõe, alia commoratione infigere, digredi à re, & redire ad propositum suum scierit: remouere à se, in alium traijcere, quæ relinquenda, quæ contemnenda sunt iudicare? Motus est in his orationis atque actus, quibus detractis iacet, & velut agitante corpus spiritu caret. Quæ cum adesse debent, tum disponenda atque varianda sunt, vt auditorem, quod in fidibus fieri videmus, omni sono permulceant. Verùm ea plerumq; recta sunt, nec se fingunt, sed confitentur. ¶ Admittunt autem (vt dixi) figuras, quod vel ex proximo doceri potest. Quid enim tam cõmune quàm interrogare, vel percõtari? Nam vtroque vtimur indifferenter, cum alterum noscendi, alterum arguendi gratia videatur adhiberi. At ea res vtrocunque modo dicatur, etiam multiplex habet schema. Incipiamus enim ab ijs quibus acrior & vehementior sit probatio, quod primo loco posuimus. [Simplex est sic rogare,

INTERrogatio.

Sed vos qui tandem, quibus aut venistis ab oris?

[Figuratum autem, quoties non sciscitandi gratia assumitur, sed instãdi. Quid enim tuus ille Tubero districtus in acie Pharsalica gladius agebat? &, Quousq; tandem abutere Catalina patientia nostra? & Patêre tua consilia non sentis? & totus deniq; hic locus. Quanto enim magis ardet quàm si diceretur: Diu abuteris patientia nostra: & patent tua consilia. [Interrogam⁹ etiam quod negari non possit. Dixítne tandem causam C. Fidiculanius Falcula? Aut vbi respondẽdi difficilis est ratio, vt vulgo vti solemus, Quo modo? qui fieri potest? Aut inuidię gratia, vt Medea apud Senecam, Quas peti terras iubes? Aut miserationis, vt Sinon apud Virgilium,

Heu quę me tellus, inquit, quę me æquora possunt Accipere?

Aut inſtandi & auferendæ diſſimulationis, vt Aſinius, Audis ne? furioſum inquam non inofficioſum teſtamentum reprehẽdimus. Totum hoc plenum eſt varietatis. Nam & indignationi conuenit, Et quiſquam numen Iunonis adoret? Et admirationi, Quid non mortalia pectora cogis Auri ſacra fames? Eſt interim acrius imperandi genus,

Non arma expedient, totáq; ex vrbe ſequentur?

Et ipſi noſmetipſos rogamus: quale eſt illud Terentianũ, Quid igitur faciam? ¶ Eſt aliqua etiam in reſpõdendo figura, cũ aliud interroganti, ad aliud (quia vtilius ſit) occurritur: tum augendi criminis gratia, vt teſtis in reũ rogatus, an ab eo fuſtibus vapulaſſet, Et innocens, inquit. Tum declinandi, quod eſt frequentiſſimum, Quęro an occideris hominem, reſpõdetur, latronẽ. An fundum occupaueris, reſpondetur, meum: vt confeſſionẽ præcedat defenſio, vt apud Virgilium in Bucolicis dicenti,

Reſponſio.

Non ego te vidi Damonis peſſime caprum
Excipere inſidijs? occurritur:
An mihi cantando victus non redderet ille?

Cui eſt confinis diſſimulatio, nõ alibi quàm in riſu poſita, ideóque tractata ſuo loco. Nam ſerio ſi fiat, pro confeſſione eſt.

Interrogandi & reſpõdendi viciſſitudo.

¶ Cæterum etiam interrogandi ſeipſum, & reſpondendi ſibi, ſolent eſſe non ingratæ vices: vt Cicero pro Ligario, Apud quẽ igitur hæc dico? nempe apud eum, qui cum hoc ſciret, tamen me antequam vidit, reipub. reddidit. Aliter pro Cælio ficta interrogatione: Dicet aliquis, Hæc igitur eſt tua diſciplina? ſic tu inſtituis adoleſcentes? & totus loc⁹. Deinde, Ego ſi quis Iudices hoc robore animi, atque hac indole virtutis ac cõtinentiæ fuit, &c. Cui aduerſum eſt, cum alium rogaueris, non expectare reſponſum, & ſtatim ſubijcere, Domus tibi deerat? at habebas: pecunia ſuperabat? At egebas: quod ſchema quidam per ſubiectionem vocant. Fit & comparatione, Vter igitur facilius ſuæ ſententiæ rationem redderet? & alijs modis tum breuius, tum latius, tum de vna re, tum de pluribus. ¶ Mirè vero in cauſis valet præſumptio, quæ προλῆψις dicitur, cum id quod obijci poteſt occupamus. Id neque in alijs partibus rarum eſt, & præcipuè proœmio conuenit. Sed quanquam generis vnius, diuerſas tamen ſpecies habet. [Eſt enim quædam præmunitio, qualis Ciceronis contra Q. Cæcilium, quòd ad accuſandum de-

Præſumptio.

ſcendat qui ſemper defenderat.[Quædam cõfeſſio, vt pro Rabirio Poſthumo quem ſua quoque ſententia reprehendendũ fatetur, quòd pecuniam Regi crediderit.[Quædã prædictio: vt, Dicam enim nõ augendi criminis gratia.[Quędam emendatio: vt, rogo ignoſcatis mihi. ſi longius ſum euectus.[Frequẽtiſſima præparatio, cum pluribus verbis, vel quare facturi quid ſimus, vel quare fecerimus dici ſolet.[Verborum quoque vis ac proprietas confirmatur vel præſumptione, Quanquam illa non pœna, ſed prohibitio ſceleris fuit. Aut reprehenſione, Ciues, inquam, ſi hoc eos appellari nomine fas eſt. *Pro Cluẽtio.*

¶ Affert aliquam fidem varietatis & dubitatio, cum ſimulamus quærere nos vnde incipiendum, vbi deſinendum, quid potiſſimum dicendum, an omnino dicendum ſit, cuiuſmodi exemplis plena ſunt omnia: ſed vnum interim ſufficit. Equidem quod ad me attinet, quo me vertam neſcio. Negem fuiſſe infamiam iudicij corrupti? &c. Hoc etiam in præteritum valet. nã & dubitaſſe nos fingimus. ¶ A quo ſchemate non procul abeſt illa quæ dicitur communicatio: cum aut ipſos aduerſarios conſulimus, vt Domitius Afer pro Cloantilla, At illa neſcit trepida, quid liceat fœminæ, quid coniugem deceat, forte vos in illa ſolitudine obuios caſu miſeræ mulieri obtulit: tu frater, vos paterni amici, quod conſilium datis? [Aut cum iudicibus quaſi deliberamus, quod eſt frequentiſſimum. Quid ſuadetis? &, vos interrogo, quid tandem fieri oportuit? vt Cato, Cædo ſi vos in eo loco eſſetis, quid aliud feciſſetis? & alibi, Communẽ rem agi putatote, ac vos huic rei prępoſitos eſſe.[Sed nonnunquam communicantes aliquid inexpectatum ſubiungimus, quod & per ſe ſchema eſt: vt in Verrem Cicero, Quid deinde? quid cenſetis? furtum fortaſſe? aut prædam aliquam? Deinde cum diu ſuſpendiſſet iudicum animos, ſubiecit quod multo eſſet improbius. Hoc Celſus ſuſtentationem vocat. eſt autem duplex: nam contrà frequenter cum expectationem grauiſſimorum fecimus, ad aliquid quod ſit leue, aut nullo modo criminoſũ, deſcendimus: Sed quia non tantũ per cõmunicationẽ fieri ſolet, παραδοξον alij nominauerũt, id eſt ĩopinatũ. Illis nõ accedo, qui ſchema eſſe exiſtimant, etiã ſi quid nobiſipſis dicamus ĩexpectatũ accidiſſe: vt Pollio, Nunq̃ fore credidi Iudices, *Dubitatio.* *Cõmunicatio* *Acti. 7.* *Suſtentatio.*

PERMISSIO. vt reo Scauro, ne quid in eius iudicio gratia valeret, precarer. ¶Est penè idem fons illius quam permissionem vocant, qui cõmunicationis, cum aliqua ipsis iudicibus relinquimus æstimãda, aliqua nonnunquam aduersarijs quoque: vt Caluus Vatinio, Perfrica frontem, & dic te digniorem qui Prætor fieres, quàm Catonem. ¶Quæ vero sunt augendis affectibus accommodatæ figuræ, constant maximè simulatione. Namque & irasci nos, & gaudere, & timere, & admirari, & dolere, & indignari, & optare, quæque sunt similia his fingimus. Inde sunt illa, Liberatus sum, respiraui, &, bene habet, &, quæ amentia est hæc? Et, O tempora, ò mores, ò miserum me: consumptis enim lachrymis infixus tamen pectori hæret dolor: &, Magnæ nunc hiscite terræ. Quod exclamationem quidam vocant, ponúntque inter figuras orationis. Hæc quoties vera sunt, non sunt in ea forma, de qua nunc loquimur, sed assimulata & arte cõposita procul dubio schemata sunt existimanda. ¶Quod idem dictum sit de oratione libera, quam Cornificius licentiam vocat, Græci παῤῥησίαν. Quid enim min⁹ figuratum, quàm vera libertas? Sed frequenter sub hac facie latet adulatio. Nam Cicero cum dicit pro Ligario, Suscepto bello, Cæsar, gesto etiã ex parte magna, nulla vi coactus, consilio ac voluntate mea, ad arma profectus sum, quæ erant contra te sumpta: Non solum ad vtilitatẽ Ligarij respicit: sed magis laudare victoris clementiam non potest. In illa verò sententia, Quid autem aliud egimus Tubero, nisi vt quod hic potest, nos possemus? admirabiliter vtriusque partis facit bonamcausam: sed hoc eum demeretur, cuius mala fuerat. ¶Illa adhuc audaciora, & maiorum (vt Cicero existimat) laterum, fictiones personarum, quæ προσωποποιίαι dicuntur. Mirè namque tum variãt orationem, tum excitant. [His etiam aduersariorum cogitationes, velut secum loquentium, protrahimus: quæ tamen ita demum à fide non abhorrent, si ea locutos finxerimus, quæ cogitasse eos non sit absurdum. Et nostros cum alijs sermones, & aliorũ inter se credibiliter introducimus: & suadendo, obiurgando, querendo, laudando, miserando, personas idoneas damus. [Quin deducere deos in hoc genere dicendi, & inferos excitare concessum est. [Vrbes etiam populíque voces accipiunt. Ac sunt quidam qui has demum προσωποποιίας dicant, in quibus &

SIMVLATIO.

Pro Misone. Exclamatio.

LICENTIA.

PROSOPOPŒIA.

Sermocinatio

corpora & verba fingimus.[Sermones hominum assimulatos dicere διαλόγους malunt, quod Latinorum quidã dixerunt sermocinationem.Ego iam recepto more vtrumque eodem modo appellaui.Nam certe sermo fingi nõ potest, vt non personæ sermo fingatur.[Sed in his quæ natura non permittit,hæc modo mollior fit figura,Etenim si mecũ patria,quę mihi vita mea multo est charior, si cuncta Italia, si omnis respubl. sic loquatur,M. Tulli quid agis?[Illud audacius genus,Quæ tecum Catilina sic agit,&quodammodo tacita loquitur,Nullum iam aliquot annis facinus extitit nisi per te.[Commode etiam aut nobis aliquas ante oculos esse rerum personarúmve imagines fingimus,aut eadem aduersarijs aut iudicibus non accidere miramur:qualia sunt,Videtur mihi,&,nõne videtur tibi?Sed magna quædã vis eloquentiæ desideratur.Falsa enim & incredibilia natura necesse est aut magis moueant,quia supra vera sunt: aut pro vanis accipiantur,quia vera non sunt.[Vt dicta autem quędam,ita scripta quoque fingi solent,quod facit Asinius pro Liburnia,Mater mea,quę mihi tum charissima, tũ dulcissima fuit,quæq; mihi vixit,bisq; eadẽ die vitam dedit,& reliqua : & deinde,exhæres esto.[Hæc tum per se figura est, tum duplicatur,quoties sicut in hac causa ad imitationem alterius scripturæ componitur.Nam contrà recitabatur testamentum,P. Nouanius Gallio,cui ego omnia meritissimo volo,& debeo pro eiꝰ animi in me summa voluntate: & adiectis deinde alijs, hæres esto.[Incipit esse quodammodo παρῳδία, quod nomen ductũ à canticis ad aliorum similitudinem modulatis,abusiue etiam in versificationis ac sermonum imitatione seruatur.[Sed formas quoq; fingimus sæpè,vt famam Virgilius: vt voluptatem ac virtutem,quemadmodũ à Xenophonte traditur Prodicus: vt mortem ac vitam,quas cõtendentes in satyra tradit Enniꝰ. [Est & incertæ personę ficta oratio.Hic aliquis:&,dicat aliquis. [Est & iactus sine persona sermo,Hic Dolopum manus,hic sęuus tendebat Achilles.Quod fit mixtura figurarum,cum προσωποποιία accedit illa quæ est orationis per detractionẽ:detractum est enim,quis diceret.[προσωποποιία vertitur interim in speciem narrandi. Vnde apud historicos reperiuntur obliquæ allocutiones,vt in T. Liuij libro primo statim, Vrbes quoq; vt cætera ex infimo nasci,deinde quas sua virtus ac dij iuuẽt, ma-

Ficta imaginatio.

Parode.

Formæ fictio.

Obliqua oratio.

gnas opes sibi, magnũ nomen facere. ¶ Auersus quoque à iu-
Apostrophe. dice sermo qui dicitur ἀποστροφή, mirè mouet, siue aduersarios
inuasimus, Quid enim tuus ille Tubero in acie Pharsalica gla-
dius agebat? siue ad inuocationem aliquam conuertimur, Vos
enim iam ego Albani tumuli atq; luci: siue ad inuidiosam im-
ploratione, O leges Porcię legésq; Sempronię. [Sed illa quoq;
Auersio. vocatur auersio, quæ à proposita quæstione abducit audiẽtem,

Non ego cum Danais Troianam excindere gentem
Aulide iuraui. Quod fit & multis & varijs figuris, cũ aut aliud
expectasse nos, aut maius aliquid timuisse simulamus: aut plus
videri posse ignorãtibus, quale est procœmiũ pro Cæcilio. ¶ Illa
vero (vt ait Cicero) sub oculos subiectio tũ fieri solet, cũ res nõ
gesta indicatur, sed vt sit gesta ostẽditur: nec vniuersa, sed per
partes: quem locũ proximo libro subiecimus euidentiæ: & Cel-
Hypotyposis. sus hoc nomen isti figuræ dedit, ab alijs ὑποτύπωσις dicitur pro
posita quædã forma rerũ ita expressa verbis, vt cerni potius vi-
deatur q̃ audiri, Ipse inflãmatus scelere ac furore in forũ venit,
ardebant oculi, toto ex ore crudelitas emicabat. [Nec solũ quę
facta sint aut fiant, sed etiã quæ futura sint aut futura fuerint,
In Verrem 7. imaginamur. Mirè tractat hæc Cic. pro Mil. quę facturus fuerit
Clodius si Præturam inuasisset. Sed hæc quidẽ translatio tẽpo-
rum, quæ propriè μετάσασις dicitur, in διατυπώσει verecundior
apud priores fuit. Proponebãt enim talia, Credite vos ĩtueri: vt
Cicero, Hæc quæ nõ vidistis oculis, animis cernere potestis. No
ui vero & pręcipuè declamatores audacius: nec mehercule sine
motu quodã imaginãtur: vt Seneca in cõtrouersia, cuius sum-
ma est, quòd pater filiũ & nouercã, inducẽte altero filio in adul
terio deprehensos occidit: Duc, sequor. Accipe hanc senilẽ ma-
num, & quocunq; vis imprime. & paulopòst, Aspice, inquit, qd
diu non credidisti: Ego verò non video, nox oboritur, & crassa
caligo. Habet hæc figura manifestius aliquid. Non enim narra-
ri res, sed agi videtur. [Locorum quoq; dilucida & significans
Topographia descriptio eidem virtuti assignatur à quibusdã: alij τοπογραφίαν
Ironia. dicunt. ¶ Ἐιρωνείαν inueni qui dissimulationem vocarent, quo
nomine, quia parum totius huius figuræ videntur vires ostẽdi,
nimirum sicut in plerisq;, græca erimus appellatione contenti.
[Igitur εἰρωνεία quæ est schema, ab illa quæ est tropus genere ip-
so nihil admodum distat (in vtroq; enim contrarium ei quod

dicitur intelligendum eſt:) ſpecies verò prudentius intuẽti diuerſas eſſe, facile eſt deprehendere. Primum, q̃ tropus apertior eſt: & quanquã aliud dicit ac ſentit, non tamen aliud ſimulat. Nam & omnia circa ferè recta ſunt: vt illud in Catilinã, A quo repudiatus, ad ſodalem tuum virum optimum M. Marcellum demigraſti. In duobus demum verbis eſt Ironia, ergo etiã breuior eſt tropus. At in figura totius voluntatis fictio eſt apparens magis quàm confeſſa: vt illic verba ſint verbis diuerſa, hic ſenſus ſermoni. Et ioci & tota interim cauſæ conformatio, tũ etiã vita vniuerſa, Ironiam habere videtur, qualis eſt vita Socratis. Nam ideo dictus εἴρων, id eſt agens imperitũ, & admirator aliorum tanquam ſapientium: vt quemadmodum ἀλληγορίαν facit continua μεταφορά, ſic hoc ſchema faciat troporum ille contextus.] Quædam vero genera huius figuræ nullã cum tropis habent ſocietatẽ, vt illa ſtatim prima quæ dicitur à negando, quã nonnulli vocant ἀποφασιν, Non agam tecum iure ſummo, nõ dicam quod forſitã obtinerem: &, Quid ego iſti⁹ decreta? quid rapinas? quid hæreditatum poſſeſſiones datas? quid ereptas proferam? &, Mitto illam primam libidinis iniuriã. Et, Ne illa quidem teſtimonia recito quę dicta ſunt de ſeſtertijs ſeptingentis milibus: &, Poſſum dicere. Quibus generibus per totas interim quæſtiones decurrimus: vt Cicero, Hoc ego ſi ſic agerẽ tanquã mihi crimen eſſet diluendum, hæc pluribus dicerem. [εἰρωνία eſt & cum ſimiles imperantibus vel permittentibus ſumus, I, ſequere Italiam ventis. [Et cum ea quæ nolumus videri in aduerſarijs eſſe, concedimus eis. Id acrius fit cum eadem in nobis ſunt, & in aduerſario nõ ſunt, Méq; timoris Argue tu Drance, quãdo tot cædis aceruos Teucrorum tua dextra dedit. [Quod idem contrà valet, cum aut quæ à nobis abſunt, aut etiam quæ in aduerſarios recidunt, quaſi fatemur,

Apophaſis.

Me duce Dardanius Spartam expugnauit adulter.

[Nec in perſonis tantũ, ſed & in reb⁹ verſatur, hæc cõtraria dicendi, q̃ quæ intelligi velis, ratio: vt totũ pro Q. Ligario procœmiũ, & illæ eleuatiões videlicet, O dij boni. Scilicet is ſuperis labor eſt? Et ille pro Oppio locus, O amorem mirum: O beneuolẽtiam ſingularẽ. [Nõ procul autẽ abſunt ab hac ſimulatiõe tres inter ſe ſimiles: Cõfeſſio nihil nocitura, qualis eſt, Habes igitur,

Confeſſio.

Concessio. Tubero quod est accusatori maximè optandum, confitentem reum: Et cõcessio, cum aliquid etiam iniquum videmur causę fiducia pati, Metum virgarum Nauarchus nobilissimæ ciuitatis precio redemit, humanum est: Et pro Cluentio de inuidia,

Consensio. Dominetur in concionibus, iaceat in iudicijs: Tertia cõsensio, vt pro eodem, Iudiciũ esse corruptum. Hæc euidentior figura est, cum alicui rei assentimur, quæ est futura pro nobis. Verũ id accipere sine aduersarij vitio non potest. [Quædã etiã vel laudamus, vt Cicero in Verrem circa crimen Apollonij Drepanitani, Gaudeo etiã siquid ab eo abstuliſti, & abs te nihil rectius factum esse dico. [Interim augemus crimina quæ ex facili aut diluere possumus aut negare: quod est frequentius, q̃ vt exẽplum desideret. [Interim hoc ipso fidẽ detrahimus illis, q̃ sint tam grauia: vt p̃ Roscio Cicero, cũ immanitatẽ parricidij, quanq̃ p̃ se manifestã, tamen etiã vi orationis exaggerat. ¶ Ἀποσιώπησις, quã idem Cicero reticentiã, Celsus obticentiã, nõnulli interruptionem appellant, & ipsa ostendit aliquid affectus, vel iræ: vt,

Aposiopesis. Quos ego, sed motos præstat componere fluctus:

Vel solicitudinis, & quasi religionis, An hui⁹ ille legis, quã Clodius à se inuẽtã gloriatus mentionẽ facere ausus esset viuo Milone, ne dicã Cõsule? de nostra enim omniũ, nõ audeo totũ dicere. Cui simile est in proœmio p̃ Ctesiphõte Demosthenis, Nõ pari periculo ego & aduersarius ad iudiciũ venimus. [Vel aliò trãseũdi gratia. Cõmunis aũt, Tametsi, igõscite mihi Iudices. [In quo est & illa (si tamẽ inter schemata numerari debet, cũ etiã alijs pars causæ videatur) digressio. Abit enĩ causa ĩ laudes Cn. Põpeij. Idq; fieri etiã sine ἀποσιωπήσει potuit. Nã breuior illa (vt ait Cicero) à re digressio plurimis fit modis. Sed hęc exẽpli gratia sufficient, Tum C. Varenus is qui à familia Ancharia na occisus est, hoc quæso Iudices diligenter attẽdite: & pro Milone, Et aspexit me illis quidem oculis, quibus tum solebat, cũ omnibus omnia minabatur. [Est alia non quidem reticentia, quæ sit imperfecti sermonis, sed tamẽ præcisa velut ante legitimum finem oratio: vt illa, Nimis vrgeo, commoueri videtur adolescens: &, Quid plura? ipsum adolescentẽ dicere audistis. [Imitatio morum alienorum, quæ ἠθοποιία, vel (vt alij malũt) μίμησις dicitur, iam inter leuiores affectus numerari potest. Est enim posita ferè in eludẽdo, sed versatur & in factis & in dictis.

In factis, quod est ὑποτυπώσει vicinũ. In dictis, quale est apud Terentium, At ego nesciebam quorsum tu ires. Paruula hinc est abrepta, eduxit mater pro sua, soror dicta est. Cupio abducere vt reddam suis. Sed nostrorum quoque dictorum factorúmque similis imitatio est per relationem, nisi quòd frequentius asseuerat quàm eludit, Dicebam habere eos actorem Q. Cæcilium. Sunt & illa iucunda, & ad cõmendationem cum varietate, tum etiam ipsa natura plurimũ prosunt, quæ simplicem quandam & non præparatam ostendendo orationẽ minus nos suspectos iudici faciunt. Hinc est quasi pœnitentia dicti, vt pro Cælio, Sed quid ego ita grauem personam introduxi? Et quibus vtimur vulgo, Imprudens incidi. Vel cum quærere nos quid dicamus fingimus. Quid reliquum est? &, Num quid omisi? Et cum ibidem in Verrem ait Cicero, Vnum etiam mihi reliquũ huiusmodi crimen est. &, Aliud ex alio succurrit mihi. Vnde etiã venusti transitus fiunt: non quia transitus ipse sit schema, vt Cicero narrato Pisonis exemplo, qui annulum sibi cudi ab aurifice in tribunali suo iusserat, velut hoc in memoriam adductus, adiecit: Hic modo me cõmonuit Pisonis annul⁹, quod totum effluxerat, quàm multis istũ putatis hominib⁹ honestis de digitis annulos aureos abstulisse? Et cum aliqua velut ignoramus. Sed earum rerum artificem quẽ? quémnam? rectè admones, Polycletum esse dicebant. Quod quidem nõ in hoc tantũ valet. Quibusdam enim dum aliud ãgere videmur, aliud effici mus: sicut hic Cicero cõsequitur, ne cum morbum insignis atque tabulis obijciat Verri, ipse quoque earum rerum studiosus esse credatur. Et Demosthenes iurando per interfectos in Marathone & Salamine, id agit, vt minore inuidia cladis apud Cheroneam acceptæ laboret. Faciunt illa quoq; iucundã orationẽ, aliqua mentione habita differre, & deponere apud memoriam iudicis, & reposcere quæ deposueris, & sæparare quædam schemate aliquo (non enim est ista ipsa per se iteratio schema) & excipere aliqua, & dare actioni varios velut vultus. Gaudent enim res varietate: & sicut oculi diuersarũ aspectu rerum magis detinentur, ita semper animis præstãt, in quod se velut nouum, intendãt. ¶ Est Emphasis etiam inter figuras, cum ex aliquo dicto latens aliquid eruitur, vt apud Virgilium:

Emphasis, & quæ sunt, & figuratę controuersiæ.

Non licuit thalami expertem sine crimine vitam

Degere more feræ? quanquam enim de matrimonio queritur Dido, tamẽ huc erupit eius affectus, vt ſine thalamis vitã hominum non putet, ſed ferarũ. Aliud apud Ouidium gen⁹, apud quem & Myrrha nutrici amorẽ patris ſic confitetur, O (dixit) felicem coniuge matrẽ. [Huic vel confinis, vel eadem eſt, qua nunc vtimur plurimum. Iã enim ad id genus, quod & frequentiſſimum eſt, & expectari maximè credo, veniendũ eſt, in quo per quandam ſuſpicionem, quod non dicimus, accipi volum⁹, non vtiq; contrarium, vt in εἰρωνείᾳ, ſed aliud latens, & auditori quaſi inueniendũ, quod vt ſuprà oſtendi, iam ferè ſolum ſchema à noſtris vocatur, & vnde controuerſiæ figuratæ dicuntur.

De figuratis cõtrouerſijs.

¶ Eius triplex vſus eſt: vnus ſi dicere palàm parũ tutum eſt, alter ſi nõ decet, tertius qui venuſtatis modo gratia adhibetur, & ipſa nouitate ac varietate magis q̃ ſi relatio ſit recta delectat. [Ex his quod eſt primum, frequens in ſcholis eſt. Nam & actiones deponentium imperium tyrannorum, & poſt ciuile bellũ Senatuſconſulta finguntur, & capitale eſt obijcere anteacta, vt quod in foro non expedit, illic nec liceat. Sed ſchematũ conditio non eadem eſt. Quamlibet enim apertũ, quod modò & aliter intelligi poſſit, in illos tyrannos benè dixeris: quia periculũ tantũ, nõ etiam offenſa vitatur. Quod ſi ambiguitate ſentẽtiæ poſſit eludi, nemo nõ illi furto fauet. Vera negocia nunquã adhuc habuerunt hanc ſilentij neceſſitatem, ſed aliã huic ſimilẽ, verum multo ad agendum difficiliorem, cũ perſonæ potentes obſtant, ſine quarũ reprehenſione teneri cauſa nõ poſſit. Ideóque hoc parcius & circũſpectius faciendum: quia nihil intereſt quomodo offendas, & aperta figura perdit hoc ipſum quo figura eſt. Ideóq; à quibuſdam tota res repudiatur, ſiue intelligatur, ſiue non. Sed licet modũ adhibere. In primis ne ſint manifeſtę. Non erũt aũt, ſi ex verbis dubijs, vel quaſi duplicibus petẽtur, qualis eſt in ſuſpecta nuru, Duxi vxorẽ, quæ patri placuit. Aut quod eſt multo ineptius, cõpoſitionibus ambiguis, vt illa cõtroueꝛſia, in qua infamis amore virginis filię pater raptã eã interrogat, à quo vitiata ſit. Quis te, inquit, rapuit? tu pater neſcis? Res ipſę perducãt iudicẽ ad ſuſpicionẽ, & amoliamur cętera, vt hoc ſolũ ſuperſit, in quo multũ etiã affectus iuuant, & interrupta ſilentio dictio, & cũctationes. Sic enim fiet vt iudex quærat illud neſcio quid, quod ipſe fortaſſe nõ crederet ſi audiret, & ei quod

à ſe inuentũ exiſtimat, credat. Sed ne ſi optimæ quidẽ ſint, eſſe debent frequentes. Nã denſitate ipſa figuræ aperiũtur, nec offẽ ſæ minus habent, ſed authoritatis. Nec pudor videtur q̃ nõ palàm obijcias, ſed diffidentia. In ſumma ſic maximè iudex credit figuris, ſi nos putat nolle dicere. Equidẽ quãdoq; & in perſonas incidi tales, & in rẽ quoq; (quod eſt magis rarũ) quæ obtineri niſi hac arte nõ poſſet. Ream tuebar quæ ſubieciſſe dicebatur marito teſtamentũ, & dicebantur chirographũ, marito expirãte, hæredes dediſſe: & verum erat. Nam quia per leges inſtitui vxor non poterat hæres, id fuerat actum, vt ad eã bona per hoc tacitum fidei cõmiſſum peruenirent. Et caput quidẽ quæri facile erat, ſi hoc diceremus palàm, ſed per ſe deperibat hæreditas. Ita ergo fuit nobis agendum, vt iudices illud intelligerẽt factũ, delatores nõ poſſent apprehendere vt dictũ, & cõtigit vrumq;. Quod non inſeruiſſem, veritus opinionem iactantiæ, niſi probare voluiſſem, in foro quoq; eſſe his figuris locum. Quædam etiam quæ probare non poſſis, figura potius ſpargenda ſunt. Hęret enim nõnunquam telum iſtud occultum, & hoc ipſo quòd non apparet, eximi nõ poteſt. At ſi idem dicas palàm, & defenditur, & probandum eſt. ¶ Cum autem obſtat nobis perſonę reuerentia (quod ſecundum poſuimus genus) tanto cautius dicẽdũ eſt, quanto validius bonos inhibet pudor, quàm metus. Hic verò tegere nos iudex quod ſciamus, & verba vi quadam veritatis erumpentia credat coercere. Nam quanto minus, aut ipſi in quos dicimus, aut iudices, aut aſſiſtentes oderint hanc maledicendi laſciuiam, ſi nolle nos credant? Aut quid intereſt quomodo dicatur, cum & res & animus intelligitur? Quid dicendo denique profecimus, niſi vt palàm ſit nos facere, quod ipſi ſciamus non eſſe faciendum? Atqui præcipuè prima, quibus præcipere cœperam, tempora hoc vitio laborarunt. Dicebant enim libenter tales controuerſias, quæ difficultatis gratia placent, cũ ſint multo faciliores. Nam rectum genus approbari niſi maximis viribus non poteſt, hæc diuerticula & anfractus ſuffugia ſunt infirmitatis, vt qui curſu parum valent, flexu eludunt: cũ hæc quæ affectatur ratio ſententiarum non procul à ratione iocãdi abhorreat. Adiuuat etiã q̃ auditor gaudet intelligere, & fauet ingenio ſuo, & alio dicente ſe laudat. Itaque non ſolũ ſi perſona obſtaret rectæ orationi, quo in genere ſæpius modo q̃

Aſterum genus.

figuris opus est, decurrebant ad schemata: sed faciebant illis locum etiam vbi personæ inutiles ac nefariæ essẽt: vt si pater quiinfamẽ in matrem filiũ secreto occidisset, reus malæ tractationis, iacularetur in vxorem obliquis sentẽtijs. Nam quid impurius quàm retinuisse talem? Quid porrò tam contrariũ, quàm eum qui accusatur, quia summum nefas suspicatus de vxore videatur, confirmare id ipsa defensione, quod diluendum est? At si iudicum sumerent animũ, scirent quàm eiusmodi actionem laturi non fuissent, multóque etiam minus, cum in parentes abominanda crimina spargerẽtur. [Et quatinus huc incidimus, paulo plus scholis demus. Nam & in his educatur orator, & in eo quo modo declametur, positum est etiã quo modo agatur. Dicendum ergo de ijs quoque in quibus non asperas figuras, sed palàm contrarias causæ plerique fecerunt: Tyrannidis affectatæ dãnatus torqueatur, vt conscios indicet: Accusator eius optet quod volet. Patrem qui accusauit, optat ne is torquea tur. Pater ei contradicit. Nemo se tenuit agens pro patre, quin figuras in filium faceret, tanquam illum conscium in tormentis esset nominaturus. Quo quid stultius? Nam cum hoc iudices intellexerint, aut nõ torquebitur, cum ideo torqueri velit, aut torto non credetur. At credibile est hoc eum velle fortasse. Dissimulat ergo vt efficiat. Sed nobis (declamatoribus dico) quid proderit hoc intellexisse, nisi dixerimus? Ergo si vere ageretur, similiter consilium illud latens prodidissemus. Quid si neque vtique verum est, & habere alias hic damnatus contradicendi causas potest, vel quòd legem conseruandam putet, vel quòd nolit accusatori debere beneficium, vel (quod ego magis sequerer) vt se innocentem in tormentis esse prætendat? Quare ne illud quidem semper succurret sic dicẽtibus: patrociniũ hoc voluit qui controuersiam finxit. Fortasse enim noluit: sed esto voluerit, continuo ne si ille stultè cogitauit, nobis quoque stulte dicendũ est? At ego in causis agendis frequenter nõ puto intuendum quid litigator velit. Est & ille in hoc genere frequẽs error, vt putent aliud quosdam dicere, aliud velle, præcipuè cũ in themate est aliquẽ vt sibi mori liceat postulare: vt in illa cõtrouersia, Qui aliquãdo fortiter fecerat, & alio bello petierat vt militia vacaret ex lege, quòd quinquagenari⁹ esset, aduersante filio ire in aciem coactus deseruit. Filius qui fortiter eodem

Vicia declamatorũ in figuratis causis.

prælio fecerat, incolumitatem eius optat, contradicit pater. Nō enim inquiūt, mori vult, ſed inuidiam filio facere. Equidem rideo, q̄ illi ſic timent tanquam ipſi morituri, & in conſiliū ſuos metus ferunt, obliti tot exemplorum circa voluntariam mortem, cauſarum quoq; quas habet factus ex viro forti deſertor. Sed de vna controuerſia loqui ſuperuacuum eſt. Ego in vniuerſum nec oratoris puto eſſe vnquam præuaricari: neque litē intelligo, in qua pars vtraque idem velit: nec tam ſtultum quenquam, qui ſi viuere velit, mortem potius malepetat, quàm omnino non petat. Non tamen nego eſſe controuerſias huiuſmodi figuratas: vt eſt illa: Reus parricidij, quòd fratrē occidiſſet, dānatum iri videbatur. Pater pro teſtimonio dixit eum ſe iubente feciſſe. Abſolutum abdicat. Nam neq; in totum filio parcit, nec quod priore iudicio affirmauit, mutare palàm poteſt, & vt non durat vltra pœnam abdicationis ira, abdicat tamē, & obliqua figura in patrem plus facit quàm licet, in filium minus. Vt autem nemo contra id quod vult dicit, ita poteſt aliquid meli⁹ velle quàm dicit. Quomodo ille abdicatus, qui à patre, vt filium expoſitum, & ab eo educatum, ſolutis alimentis recipiat, poſtulat, reuocari fortaſſe mauult, non tamen quod petit non vult. Eſt latens & illa ſignificatio, qua cum ius aſperius petitur à iudice, fit ei tamen ſpes aliqua clementiæ: non palàm, ne paciſcamur, ſed per quandam credibilem ſuſpicionem, vt in multis cōtrouerſijs, ſed in hac quoq;: Raptor niſi intra trigeſimum diem, & raptæ patrem exorauerit, & ſuum, pereat. Qui exorato raptæ patre ſuū non exorat, agit cum eo dementiæ. Nam ſi permittat hic pater, lis tollitur: Si nullā ſpem faciat, vt nō demēs, crudelis certè videatur, & à ſe iudicem auertat. Latro igitur optimè: Occidet ergo, ſi potero: Remiſſius, & pro ſuo ingenio pater Gallio: Dura anime hodie, dura, heri fortior fuiſti. Cō finia ſunt his celebrata apud Græcos ſchemata, per quę res aſperas mollius ſignificāt. Nam Themiſtocles ſuaſiſſe exiſtimatur Athenienſibus, vt vrbem apud deos deponerent, quia durum erat dicere, vt relinquerent: & qui victorias aureas in vſum belli cōflari volebat, ita declinauit, victorijs vtēdū eſſe. Totū autē allegorię ſimile eſt, aliud dicere, aliud intelligi velle. ¶ Quęſitū etiā eſt quo modo contra figuras reſponderi oporteat, & quidē ſemper ex diuerſo aperiēdas eſſe putauerūt, ſicut latentia vitia

Quomodo figuris reſpondendum.

reſcindũtur. Idq; ſanè frequentiſſime faciendũ eſt, aliter enim dilui obiecta non poſſunt, vtiq; cũ quæſtio in eo conſiſtit, quod figuræ petunt. At cum maledicta ſunt tãtum, & non intellige re interim bonæ conſcientiæ eſt: atq; etiam ſi fuerint crebrio res figuræ, quàm vt diſſimulari poſſint, poſtulãdum eſt vt illud neſcio quid, quod aduerſarij obliquis ſententijs ſignificare vo luerint, ſi fiducia ſit obijciant palàm, aut certè non exigant, vt quod ipſi non audent dicere, id iudices non modo intelligant, ſed etiam credant. Vtilis etiam aliquando diſſimulatio eſt, vt in eo (nota enim fabula eſt) qui cum eſſet cõtra eum dictum, iu ra per patroni tui cineres, paratum ſe eſſe reſpondit: & iudex cõ ditione vſus eſt, clamãte multũ aduocato, ſchemata de rerũ na tura tolli, vt protinus etiã præceptũ ſit eiuſmodi figuris vten dum temerè non eſſe. Tertium eſt genus, in quo ſola melius di cẽdi petitur occaſio. Ideóque id Cicero non putat eſſe poſitum in contentione. Tale eſt illud, quo idem vtitur in Clodiũ, Qui bus iſte qui omnia ſacrificia noſſet, & facile ab ſe deos placari poſſe arbitrabatur. Ironia quoque in hoc genere materiæ fre quentiſſima eſt. Sed eruditiſſimum longè, ſi per aliam rem alia indicatur, vt cũ aduerſus tyrannum, qui ſub pacto abolitionis dominationem depoſuerat, agit cõpetitor: mihi in te dicere nõ licet, tu in me dic, & potes. Nuper te volui occidere. Frequens il lud eſt, nec magnopere captandum, quod petitur iure iurando, vt eſt pro exhæredato: Ita mihi contingat hærede filio mori. Nã & in totum iurare niſi vbi neceſſe eſt, graui viro parum con uenit. Et eſt à Seneca dictum eleganter, non patronorum hoc eſſe, ſed teſtium. Nec meretur fidem, qui ſententiolæ gratia iurat, niſi ſi poteſt tam bene quàm Demoſthenes, vt ſuprà di xi. Leuiſſimum autem longè genus ex verbo, etiã ſi eſt apud Ci ceronem in Clodiam, Præſertim quã omnes amicam omnium potius, quàm cuiuſquam inimicam putauerunt. ¶ Compara tionem equidem video figuram non eſſe, cum ſit interim pro bationis, interim etiam cauſę genus: & ſit talis eius forma, qua lis eſt pro Murena, Vigilas tu de nocte, vt tuis conſultoribus re ſpõdeas: ille, vt quo cõtendit maturè cum exercitu perueniat. Te gallorũ, illum buccinarum cantus exuſcitat, & cætera. Ne ſcio an orationis potius quàm ſententiæ ſit. Id enim ſolum mu tatur, quòd non vniuerſa vniuerſis, ſed ſingula ſingulis oppo-

Pro Cæſio. Comparatio inter figuras non eſt.

nuntur, Et Celsus tamen, & non negligens author Visellius, in hac eam parte posuerũt. Rutilius quidem Lupus in vtroque genere, idque ἀντίθετον vocat. ¶ Præter illa vero quæ Cicero inter lumina posuit sententiarum multa alia, & idem Rutilius Gorgiam secutus, non illum Leontinum sed alium sui temporis, cuius quatuor libros in vnum suum transtulit, & Celsus videlicet Rutilio accedens, posuerunt inter schemata. Cõsummationem, quam Græcus διαλλαγὴν vocat, cum plura argumenta ad vnum effectum deducuntur. Consequens, ille ἐπακολούθησιν, de quo nos in argumentis diximus Collectionem, qui apud illum est συλλογισμὸς. Minas, id est, κατάπληξιν. Exhortationem, παραινετικὸν. Quorum nihil non rectum est, nisi cum aliquam ex his de quibus locuti sumus, figuram accipit. Præter hæc Celsus excludere, asseuerare, detractare, excitare iudicẽ, prouerbijs vti, & versibus, & ioco, & inuidia, & inuocatione intendere crimẽ, quod est δείνωσις, adulari, ignoscere, fastidire, admonere, satisfacere, precari, corripere, figuras putat. Partitionem quoq;, & ꝓpositionẽ, & diuisionem, & rerum duarum cognationẽ, quod est vt idem valeant, quæ videntur esse diuersa, vt non is demũ sit veneficus, qui vitam abstulit data potione, sed etiam qui mẽtem. Quod est in parte finitionis Rutilius siue Gorgias, ἀναγκαῖον, ἀνάμνησιν, ἀνθυποφορὰν, ἀντίῤῥησιν, παράυξησιν, προέκθεσιν, quod est dicere quid fieri oportuerit, deinde quid factum sit, ἐναντιότητα, vnde sit enthymema, κατ' αἰτίασιν, μετάληψιν, κατ' αἰτίαν etiã, quo statu Hermagoras vtitur. Visellius quanq̃ paucissimas faciat figuras, facit, ἐνθύμημα tamen, quod commentum vocat, & rationem appellans ἀδιχείρημα inter eas habet, quod quidẽ recipit quodã modo & Celsus: nam cõsequẽs an epicherema sit dubitat. Visellius adijcit & sentẽtiã. Inuenio qui aggregẽt his διασκευὰς, ἀπαγορεύσεις, παραδιηγήσεις. Sed vt hęc nõ sũt schemata, sic alia vel sunt forsitã, ac nos fugerũt: vel etiã noua fieri adhuc possunt, eiusdẽ tamẽ naturæ, cuius sunt ea de quibus dictũ est.

Variæ figuræ ab alijs positæ.

¶ De figuris verborum. Cap. III.

VErborũ verò figuræ, & mutatæ sunt semper, & vtcũq; valuit consuetudo, mutantur. Itaque si antiquum sermonẽ nostro comparemus, penè iã quicquid loquimur figura est, vt huic rei inuidere, nõ vt omnes veteres, & Cicero præcipuè hanc rẽ, & incũbere illi non in illum, & plenum

Schemata λέξεως.

vino nõ vini,& huic non hunc adulari,iam dicitur, & mille alia,vtinámq; nõ peiora vincãt. ¶ Verùm ſchemata λέξεως duorum ſunt generum:alterum loquendi rationem vocant,alterũ quod collocatione maximè exquiſitum eſt. Quorum tametſi vtrumq; conuenit orationi,tamen poſſis illud grãmaticũ, hoc magis rhetoricum dicere.Prius fit ijſdem generibus quibus vitia.Eſſet enim omne ſchema vitium,ſi non peteretur,ſed accideret.Verum authoritate,vetuſtate, conſuetudine plerumq; defenditur,ſæpè etiam ratione quadam.Ideóq; cũ ſit à ſimplici rectóq; loquendi genere deflexa, virtus eſt ſi habet probabile aliquid quod ſequatur. Vna tamen in re maximè vtilis, vt quotidiani & ſemper eodẽ modo formati ſermonis faſtidiũ leuet. & nos à vulgari dicendi genere defendat. Qua ſiquis parcè, & cum reſpoſcet,vtetur, velut aſperſo quodam condimẽto iucundior erit: at qui nimium affectauerit,ipſam illam gratiam varietatis amittet. Quanquam ſunt quædam figuræ ita receptæ,vt penè iam hoc ipſum nomen effugerint: quæ etiam ſi fuerint crebriores,aures conſuetas minus ferient. Nam & ſecretæ & extra vulgarem vſum poſitæ,ideóq; magis nobiles, vt nouitate aurem excitant, ita copia ſatiant: nec ſe obuias fuiſſe dicenti,ſed conquiſitas & ex omnibus latebris extractas congeſtáſq; declarant. [Fiunt ergo & circa genus figuræ in nominib⁹. Nam & oculis capti talpæ,& timidi damæ dicuntur à Virgilio: ſed ſubeſt ratio,quia ſexus vterq; altero ſignificatur. Tã enim mares eſſe talpas damáſq;,q̃ fœminas certum eſt. Et in verbis, vt fabricatus eſt gladium,& inimicos punitus eſt. Quod minus mirum eſt,q̃ in natura verborum eſt,& quæ facimus patiendi modo ſæpè dicere,vt arbitror,ſuſpicor: & contrà faciendi quæ patimur,vt vapaulo:ideóq; frequens permutatio eſt,& pleraq; vtroq; modo efferuntur, luxuriatur luxu riat, fluctuatur fluctuat, aſſentior aſſentio, reuertor reuerto. [Eſt figura & in numero,vel cum ſingulari pluralis ſubiungitur,Gladio pugnaciſſima gẽs Romani(genis enim ex multis.) Vel è diuerſo,Cui nõ riſêre parentes.Nec deus,hũc menſa,dea nec dignata cubili eſt. Ex illis enim qui non riſêre, hunc non dignatus deus,nec dea dignata. [Et mutatione partium, vt in Satyra, Et noſtrũ iſtud viuere triſte Aſpexi:cum infinito verbo ſit vſus pro appellatione. Noſtram enim vitã vult intelligi. Vtimur & verbo pro par-

Figuræ circa genus.

Circa numerum.

Perſ. Sat. 1.

ticipio, Magnũ dat ferre talentum, tanquam ferendum. Et participio pro verbo, Volo datum. [Interim etiam dubitari potest, cui simile sit schema, vt in hoc Horatiano, Virtus est vitiũ fugere. Aut enim partes orationis mutat, ex illo, Virtus est fuga vitiorum: aut casus, ex illo, Virtutis est vitium fugere. multo tamen hoc vtrisque excitatius. Iunguntur interim schemata: Sthenelus sciens pugnæ. Est enim, scitus Sthenelus pugnandi. [Transferuntur etiam tẽpora, Timarchides negat esse ei periculum à securi. præsens enim pro præterito positum est. Et futurum pro præsenti, Hoc Ithacus velit. Et ne te morer, per omnia sit genera, per quæ solœcismus. [Hæc quoque quam ἑτεροίωσιν vocant, cum dissimilis est tum zeugma dicitur: vt apud Sallustium, Neque ea res falsum me habuit, &, Duci probare. Ex quibus ferè præter nouitatẽ, breuitas etiã peti solet. Vnde eousque processum est, vt nõ pœniturum pro non acturo pœnitentiam, & visuros, ad videndum missos, idem author dixerit. Quæ ille quidem fecerit schemata, an idẽ vocari possint videndũ, quia recepta sint. Nã receptis etiam vulgo authore cõtenti sumus.

Circa partiũ mutationem.

In tẽporibus trãsferẽdis.

ἑτεροίωσις.

* Verùm natura eualuit agentibus, quod Pollio in Labieno dãnat, & contumeliam fecit, quod à Cicerone reprehendi notum est, Affici enim contumelia dicebat. Alia commendatio vetustatis, cuius amator vnicè Virgilius fuit,

Vel cum se pauidum contra mea iurgia iactat.
Progeniem sed enim Troiano à sanguine duci
Audierat. Quorum similia apud veteres Tragicos Comicósq; sunt plurima. Illud etiam in consuetudine remãsit, Enimuero. His amplius apud eundem. Nam quis te iuuenum confidentissime: cum quis sermonis initium sit. &,

Tam magis illa fremens, & tristibus effera flammis,
Quàm magis effuso crudescunt sanguine pugnæ.

Quod est versum ex illo, Quàm magis ærumna viget, tam magis ad malefaciendum vrget. Pleni talibus antiqui, sicut initio Eunuchi Terentius, Quid igitur faciam, inquit, Allusit tandẽ leno. *Catullus in Epithalamio, Dum innupta manet, dũ chara suis est. Sed prius dum, significat quoad: sequens, vsque eo.

[Ex Græco vero trãslata vel Sallustij plurima: quale est, vulgus amat fieri: vel Horatij. Nam * is maximè probat hoc Ciceronis. Et mutatio casus: vt, Nec longæ inuidit hauenæ: & Virgilij,

Figuræ græcanicæ.

Tyrrhenum nauigat æquor. Etiam vulgatum actis quoq;, Saucius pectus. [Ex eadem parte figurarum additio & abiectio est. Illáque prior videri potest superuacua, sed non sine gratia est. Nam neque Parnassi vobis iuga, nam neq; Pindi. Potest enim deesse alterum nam. Et apud Horatiũ illud, Fabriciúmq;, Hũc & intonsis Curium capillis. possis demere hunc. [Est etiam adiectio, quę in cõplexu sermonis aut vitiũ habet, aut figurã: Figurã, vt, Accede ad ignẽ hũc, iam calescis plus satis, plus enimq; satis est. De altera quæ detractio est, pluribus dicendũ est. [Vtimur vulgo & comparatiuis pro absolutis, vt cum se quis infirmiorem esse dixerit. [Duo inter se comparatiua committimꝰ, Si te Catilina comprehendi, si interfici iussero, credo erit verẽdum mihi, ne non potius omnes boni serius à me, quàm quisquam crudelius factum esse dicat. [Sunt illa non similia solœcismo quidem, sed tamen numerum mutantia, quæ & tropis assignari solent, vt de vno pluraliter dicamus.

Figuræ in cõparatiuis.

Numerorũ & personarum permutatio.

Sed nos immensum spatijs confecimus æquor. Et de pluribꝰ singulariter, Haud secus ac patrijs acer Romanus in armis. [Specie diuersa, sed genere eadem & hæc sunt:

Néve tibi ad solem vergant vineta cadentem,
Nec mihi tum mollis sub dio carpere somnos,
Neu dorso nemoris libeat iacuisse per herbas.

Non enim nescio cui alij prius, nec postea sibi vni, sed omnibꝰ præcipit. Et de nobis loquimur tanquam de alijs, Dicit Seruius. Negat Tullius. Et nostra persona vtimur pro aliena, & alios pro alijs fingimus. Vtriusque rei exemplum pro Cecinna. Pisonem aduersæ partis aduocatum alloquens Cicero dicit, Restituisse te dixti. Nego me edicto Prætoris restitutum esse. Verũ enim illud restituisse Ebutius dixit. Nego me, Cecinna, edicto Prætoris restitutũ esse. Vbi & ipsum dixti extrita syllaba figura in verbo est. [Illa quoq; ex eodem genere possunt videri, quã nos interpositionem vel intercluſionẽ dicimus, Græci παρένθεσιν vocant, dum cõtinuationi sermonis medius aliquis sensus interuenit. Ego cum te (mecum enim sæpissimè loquitur) patrię reddidissem [Cui adijciunt Hyperbaton, non illud quod inter tropos esse voluerunt, sed alterum, quod est eius figuræ sententiarum quæ ἀκατασκεύη dicitur, simile, cum non sensus mutatur, verum forma eloquendi, Decios, Marios, magnósq; Camillos,

Parenthesis.

Hyperbatõ.

Scipiadas duros bello,& te maxime Cæſar. Acuti⁹ adhuc in Polydoro, Fas omne abrumpit, Polydorum obtruncat,& auro. Vi potitur. quid non mortalia pectora cogis Auri ſacra fames? Qui tam parua momenta nominibus diſcreuerunt, μετάβασιν vocant, quam & aliter fieri putant. Quid loquor, aut vbi ſum? Coniunxit autem παρένθεσιν & ἀποσοφὴν Virgilius in illo loco, Metabaſis.

Haud procul inde citæ Metium in diuerſa quadrigæ.
Diſtulerant(at tu dictis Albane maneres,
Raptabátque viri mendacis viſcera Tullus.

[Hæc ſchemata aut his ſimilia, quæ erũt per mutationem, adiectionem, detractionem, ordinem,& conuertunt in ſe auditorem, nec languere patiũtur, ſubinde aliqua notabili figura excitatũ,& habẽt quandã ex illa vitij ſimilitudine gratiam, vt in cibis interim acor ipſe iucũdus eſt. quod cõtinget ſi neque ſupra modum multæ fuerint, nec eiuſdem generis, aut iunctæ, aut frequẽtes, quia ſatietatem vt varietas earum, ita raritas effugit. Quæ vis prædictarum figurarum.

¶Illud eſt acrius genus, quod non tantũ in ratione poſitum eſt loquendi, ſed ipſis ſenſibus tum gratiam tum etiam vires accõmodat. E quibus primum ſit quod fit per adiectionẽ. plura ſunt genera. Nam & verba geminantur, vel amplificandi gratia, vt Occidi, occidi non Sp. Melium. Alterũ eſt enim quod indicat, alterum quod affirmat. Vel miſerandi, vt, Ah Corydon, Corydon. Quæ eadem figura nonnunquam per Ironiam ad eleuandum cõuertitur. [Similis geminationis poſt aliquã interiectionem repetitio eſt, ſed paulo etiam vehementior, Bona miſerũ me(conſumptis enim lachrymis tamen infixus animo hæret dolor)bona, inquã, Cn. Pompeij acerbiſſimæ voci ſubiecta præconis. Viuis,& viuis non ad deponendam, ſed ad confirmandã audaciam. [Et ab ijſdem verbis plura acriter & inſtanter incipiunt, Nihil ne te nocturnum præſidium palatij, nihil vrbis vigiliæ, nihil timor populi, nihil cõſenſus bonorum omniũ, nihil hic munitiſſimus habẽdi Senatus locus, nihil horũ ora vultúſque mouerunt? [Et ijſdem deſinunt, Quis eos poſtulauit? Appius. quis perduxit? Appius. Quanquam hoc exẽplum ad aliud quoque ſchema pertinet, cuius initia inter ſe & fines ijdem ſunt, quis & quis, Appius & Appius. Quale eſt: Qui ſunt qui fœdera ſæpe ruperũt? Carthaginẽſes. Qui ſunt qui Italiã deformauerunt? Carthaginenſes. Qui ſunt qui ſibi ignoſci poſtulant? Ex adiectione figuræ. Geminatio verborum & repetitio quæ eſt varia.

Carthaginẽſes. [Etiam in contrapoſitis vel comparatiuis ſolet reſpondere primorum verborum alterna repetitio, quod modo huius eſſe loci potius dixi: Vigilas tu de nocte, vttuis conſultoribus reſpondeas: ille, vt eò quo intendit, maturecum exercitu perueniat. Te gallorum, illum buccinarum cantus exuſcitant. Tu actionem inſtituis, ille aciem inſtruit. Tu caues ne conſultores tui, ille ne vrbes aut caſtra capiantur. [Sed hac gratia non fuit contentus orator, vertit in contrarium eandem figuram. Ille tenet & ſcit vt hoſtium copię, tu vt aquæ pluuiæ arceantur. Ille exercitatur in propagandis finibus, tu in regendis. [Poſſunt media quoque reſpondere, vel primis: vt,

Te nemus Angitiæ, vitrea te Fucinus vnda: Vel vltimis, vt,

Hæc nauis & onuſta præda Sicilienſi: cum ipſa quoque eſſet etiam præda. [Nec quiſquam dubitauit idem poſſe fieri iteratis vtrinque medijs. [Reſpondent primis, & vltima. Multi & graues dolores inuenti parentibus, & propinquis multi. Eſt & illud repetendi genus, quod ſemel propoſita iterat & diuidit,

Iphitus & Pelias mecum, quorum Iphitus æuo
Iam grauior, Pelias & vulnere tardus Vlyſſi, ἐπάνοδος dicitur Græcè, noſtri regreſſionem vocant. Nec ſolum in eodem ſenſu, ſed etiam in diuerſo eadem verba contrà ſumuntur. Principum dignitas erat penè par, non par fortaſſe eorum qui ſequebantur.] Interim variatur caſibus hæc & generibus iteratio.

Magnus eſt labor dicendi, magna res eſt. Et apud Rutilium Ion giore περιόδῳ, & hæc initia ſententiarum ſunt, Pater hic tuus, patrem hunc appellas? patris tu huius filius es? Fit caſibus modo hoc ſchema, quod πολύπτωτον vocãt. [Conſtat & alijs etiã modis, vt pro Cluentio, Quod autẽ tempus veneni dandi? illo die? in illa frequentia? per quem porrò datum? vnde ſumptum? quæ porrò interceptio poculi? cur non de integro autem datum? Hanc rerum coniunctam diuerſitatem Cæcilius μεταβολὴν vocat: qualis eſt pro Cluentio locus in Oppianicum, Illum tabulas publicas violaſſe, cenſorias corrupiſſe, Decuriones vniuerſi iudicauerunt: cum illo nemo rationem, nemo rem vllam cõtrahebat, nemo illum ex tam multis cognatis & affinibus tutorẽ vnquam liberis ſuis ſcripſit, & deinceps adhuc multa. [Vt hæc in vnum congeruntur, ita contrà illa diſperſa ſunt, quæ à Cicerone diſſipata dici puto.

Poſyptoton.

Metaboſe.

Diſſipata.

Hic ſegetes, illic veniunt felicius vuæ, Arborei fœtûs alibi, & deinceps. [Illa vero apud Ciceronem mira figurarum mixtura deprehẽditur, in qua & primo verbo, lõgo poſt interuallo redditũ eſt vltimũ: & media primis, & medijs vltima congruunt. Veſtrum iam hic factum deprehẽditur patres cõſcripti, nõ meũ, ac pulcherrimum quidem factum, verùm vt dixi, non meum ſed veſtrum. Hanc frequentiorem repetitionem πλοκὴν vocãt, quæ fit ex permixtis figuris, vt ſuprà dixi, vtque ſe habet epiſtola ad Brutum, Ego cum in gratiam redierim cum Appio Claudio, & redierim per Cn. Pompeium, te ego ergo cum redierim. Et in ijſdem ſententijs crebrioribus mutata declinationibus iteratione verborum, vt apud Perſium, Vſqueadeo ne,

Georg. 1.

Ploce.

Scire tuum nihil eſt, niſi te ſcire hoc ſciat alter?

Et apud Ciceronẽ, Neq; enim poterat indicio ex his dãnatis q̃ indicãbãtur. [Sed ſenſus quoq; toti quẽadmodũ cœperũt deſinent, Venit ex Aſia, hoc ipſũ q̃ bonũ? Tribpleb. venit ex Aſia. In eadem tamen periodo & verbũ vltimũ primo refertur, tertium iam ſermone adiectum eſt, Verũtamen venit. [Interim ſententia quidem repetitur, ſed eodẽ verborum ordine, Quid Cleomenes facere potuit? Nõ enim poſſum quenquam inſimulare falſo, Quid, inquã, Cleomenes facere potuit? [Prioris ſententiæ verbum vltimum ac ſequentis primum frequenter eſt idem. Quo quidem ſchemate vtuntur poetæ ſæpius,

Acti. 4.

Pierides vos hæc facietis maxima Gallo,
Gallo, cuius amor tantum mihi creſcit in horas.

Sed ne oratores quidem raro: Hic tamen viuit, viuit? imò etiam in Senatum venit. [Aliquãdo, ſicut in geminatione verborum diximus, initia quoque & clauſulæ ſententiarũ alijs, ſed nõ aliò tendẽtibus verbis, inter ſe conſonant. Initia hoc modo, Dederim periculis omnibus, obtulerim inſidijs, obiecerim inuidiæ. Rurſus clauſulæ: ibidẽ ſtatim, Vos enim ſtatuiſtis, vos ſententiã dixiſtis, vos iudicaſtis. Hoc alij μετωνυμίαν, alij diſiunctionẽ vocant, vtrũq; (etiã ſi eſt diuerſum) rectè. Nã eſt nominum idem ſignificantium ſeparatio. ¶ Cõgregantur quoque verba idẽ ſignificãtia, Quæ cum ita ſint Catilina, perge quo cœpiſti: egredere aliquãdo ex vrbe. patẽt portę, proficiſcere. Et in eũdẽ alio libro, Abijt, exceſſit, erupit, euaſit. Hoc Cæcilio πλεονασμὸς videtur, id eſt abundans ſupra neceſſitatem oratio, ſicut illa,

In Catil. inuecti.

Congregatio verborum.

Vidi oculis antè ipſe meis. In illo enim vidi ineſt ipſe. Verũ id vt alio quoque loco dixi, cũ ſuperuacua oneratur adiectione, vitiũ eſt: cũ autẽ auget manifeſte ſentẽtiã, ſicut hic, virtus, Vidi ipſe antè oculis: quot verba, totidẽ ſunt affectus. Cur tamẽ hæc proprie nominẽ tali notarit, nõ video. Nã & geminatio, & repetitio, & qualiſcũq; adiectio, πλεονασμὸς videri poteſt. [Nec verba modo, ſed ſenſus quoque idem faciẽtes aceruantur. Perturbatio iſtum mentis, & quædam ſcelerum offuſa caligo, & ardẽtes furiarum faces excitarũt. [Congeruntur & diuerſa: Mulier, tyrãni ſæua crudelitas, patris amor, ira præceps, temeritas, dementia. Et apud Ouidium,

Coaceruatio ſenſuum.

Metamor. 5.

Sed graue Nereidum numen, ſed corniger Ammon,
Sed quæ viſcerib⁹ veniebat bellua ponti Exaturãda meis. Inueni qui & hoc vocaret πλοκὴν, cui non aſſentior, cũ ſint vnius figuræ, mixta quoque, & idem & diuerſum ſignificantia: quod & ipſum διαλλαγὴν vocant. Quæro ab inimicis, ſint ne hæc inueſtigata, comperta, patefacta, ſublata, deleta, extincta per me? Et inueſtigata, comperta, patefacta, aliud oſtẽdunt: ſublata, deleta, extincta, ſunt inter ſe ſimilia, ſed non etiam prioribus. [Et hoc autem exemplum, & ſuperius, aliam quoque efficiũt figuram, quæ quia coniunctionibus caret, Diſſolutio vocatur: apta, cum quid inſtantius dicimus. Nam & ſingula inculcantur, & quaſi plura fiunt. Ideóq; vtimur hac figura non in ſingulis modo verbis, ſed ſententijs etiam, vt Cicero dicit contra cõcionem Metelli, Qui indicabantur, eos vocari, cuſtodiri, ad Senatum adduci iuſſi, in Senatu ſunt poſiti. Et totus hic locus talis. Hoc genus διάλυσιν vocant, eorum, quæ poſſunt eſſe copulata, diſſolutionem. [Contrarium eſt ſchema, quod coniunctionibus abundat. Illud, ἀσύνδετον, hoc πολυσύνδετον dicitur, hoc eſt, vel ijſdẽ ſæpius repetitis, vt Tectúmq; larémq;, Armáque, Amycleúmq; canẽ, Creſſámq; pharetram: Vel diuerſis, vt, Arma virúmq;, Multũ ille & terris, Multa quoq; & bello. Aduerbia quoque & pronomina variantur. Hic illum vidi iuuenẽ, Biſſenos cui noſtra dies, Hic mihi reſponſum primus dedit ille petenti. Sed vtrũque horum coaceruatio, etenim tantum iuncta aut diſſoluta, omnibus ſcriptores ſua nomina dederunt: ſed varia, & vt cuique fingenti placuit. Fons quidem vnus, qui & acriora facit, & inſtantiora quæ dicimus, & vim quãdã prę ſe ferẽtia,

Diſſolut

Diaſyſis.

Aſyndeton.

Poſyſyndeton.

velut ſępius erumpentis affectus. [Gradatio quæ dicitur κλίμαξ, apertiorem habet artem, & magis affectatam, ideóque eſſe rarior debet. Eſt autem ipſa quoqq; adiectionis. Repetit enim quæ dicta ſunt, & priuſquam ad aliud deſcendat, in prioribus reſiſtit. Eius exemplum ex Græco notiſſimo tranſferatur, Nec hæc dixi quidē, ſed nec ſcripſi: nec ſcripſi quidē, ſed nec obij legationem: nec obij quidē, ſed nec perſuaſi Thebanis: nec pſuaſi quidem. Sunt tamen erudita & Latina. Aphricano virtutem induſtria, virtus gloriam, gloria æmulos comparauit. & Calui, Non ergo magis pecuniarum repetundarum quàm maieſtatis, neque maieſtatis magis quàm Plautiæ legis, neque Plautiæ legis magis quàm ambitus, neque ambitus magis quàm omnium legum iudicia perierunt. Inuenitur apud poetas quoque, vt apud Homerum de ſceptro quod à Ioue ad Agamemnonem vſque deducit: & apud noſtrum etiã tragicũ, Ioue propagatus eſt (vt perhibent) Tantalus, Ex Tantalo Pelops, ex Pelope autē ſatus Atreus, qui noſtrum porrò propagat genus. ¶ At quæ per detractionem fiunt figuræ, breuitatis nouitatíſq; maxime gratia petuntur: quarum vna eſt ea, quam libro proximo in figuras diſtuli, Synecdoche, cum ſubtractum aliquod verbum ſatis ex cæteris intelligitur: vt Cœlius in Antonium, Stupere gaudio Græcus, ſubauditur enim cœpit. Cicero ad Brutum, Sermo nullus, ſcilicet niſi de te. Quid enim potius? Tum Flauius, erras, inquit tabellarie: & ego ibidem orans iter cœnam exoraui. [Cui ſimilia ſunt illa meo quidem iudicio, in quibus verba decenter pudoris gratia ſubtrahuntur:

Nouimus & qui te, tranſuerſa tuentibus hirquis:

Et quod, ſed faciles nymphę riſēre, ſacello. Hãc quidã Apoſiopeſim putãt, fruſtra. Nam illa quid taceat incertum eſt, aut certè lõgiore ſermone explicandum. Hic vnum verbum & manifeſtũ quidē deſideratur: quæ ſi Apoſiopeſis eſt, nihil in quo deeſt aliquid, non idem appellabitur. Ne ego illud quidem Apoſiopeſim ſemper voco, in quo res quæcũq; relinquitur intelligēda, vt ea quæ in epiſtolis Cicero, Date lupercalibus, quo die Antonius Cæſari. quia nihil hic aliud intelligi poterat, q̃ hoc, diadema impoſuit. ¶ Altera eſt per detractionē figura, de qua modò dictũ eſt, cui cõiũctiões eximũtur. ¶ Tertia quæ dicitur συνεζευγμένον, in qua vnũ ad verbũ plures ſentētię referuntur, quarum

Gradatio.

Demoſt. pro Cteſiph.

Iliad. 2.

Per detractionem figura.

συνεζευγμένον.

vnaquæq; desideraret illud, si sola poneretur. [Id accidit aut præposito verbo ad quod reliqua respiciant, Vicit pudorem libido, timorē audacia, rationē amentia: Aut illato, quo plura claudantur, Neq; enim is es Catilina, vt te aut pudor vnq̄ à turpitudine, aut metus à periculo, aut ratio à furore reuocauerit. [Medium quoque potest esse, quod & prioribus & sequentibus sufficiat. [Iungit autē & diuersos sexus, vt cum marem fœminámque filios dicimus. Et singularia pluralib⁹ miscet. Sed hæc adeo sunt vulgaria, vt sibi artē figurarū asserere non possint. [Illud planè figura est, qua diuersa sermonis forma cōiungitur, Socijs tunc arma capessant Edico, & dira bellum cum gente gerendū. Quamuis enim pars bellum posterior participio insistat, vtrique tamē conuenit illud, edico: nā vtriq; detractionis gratia facta cōiunctio. ¶ συνοικείωσιν vocant, quæ duas res diuersas colligat, Tam deest auaro quod habet, q̄ quod non habet. [Huic diuersam volunt esse distinctionem, cui dant nomen παραδιαστολήν, qua similia discernūtur, Cum te pro astuto sapientē appelles, pro cōfidente fortē, pro illiberali diligentem, quod pēdet ex finitione, ideóque an figura sit dubito. [Cui contraria est ea quę ex vicinia trāsit ad diuersa aut similia, Breuis esse laboro, obscurus fio, & quæ sequūtur. ¶ Tertium est genus figurarū, quæ aut similitudine aliqua vocum, aut paribus, aut contrarijs vertunt in se aures & animos excitant. Huic nomen est προσωνομασία, quæ dicitur agnominatio. [Ea non vno modo fieri solet, sed ex vicinia quadam prædicti nominis ducta casibus declinatur, vt Domitius Apher pro Cloantilla, Mulier rerū omnium imperita, in omnibus rebus infelix. [Et cum verbo idem verbum plus significanter subiungitur. Quando homo, hostis homo. Quibus exemplis sum in aliud vsus, sed in vno facilis est geminatio. [παρωνομασία ei cōtrarium est, quod eodem verbo quasi falsum augetur. Quæ lex priuatis hominibus esse lex nō videbatur. ¶ Cui confinis est ἀνταπόκλασις, eiusdem verbi contraria significatio, Cū Proculeius quereretur de filio, q̄ is mortē suā expectaret, & ille dixisset, se verò nō expectare: Imò, inquit, rogo expectes. [Non ex eodē sed diuerso vicinū accipitur, cū supplicio afficiēdū dicas quē supplicatione dignū iudicaris. [Aliter quoq; voces aut eædē diuersa in significatione ponūtur, aut productione tātū vel correptiōe mutatę, quod etiā in iocis frigidū,

συνοικείωσις.

Paradiastole

Ex similitudine & paribus & cōtrarijs figuræ.

Prosonomasia.

Paronomasia

Antanaclasis.

equidem tradi inter præcepta miror, eorũmque exempla vitandi potius quàm imitandi gratia pono. A mari iucundum est, si curetur ne quid insit amari. Auium dulcedo ad auium ducit. & apud Ouidium, Ludentem cur non dicam furiare Furiam. Cornificius hanc traductionem vocat, videlicet alterius intellectus ad alterum. Sed elegãtius, quod est positum in distinguẽdam rei proprietatem. Hanc reipublicæ pestem paulisper reprimi, non in perpetuum comprimi posse. [Et quæ propositionibus in contrarium mutantur. Non emissus ex vrbe, sed immissus in vrbem esse videatur. [Melius atque acrius, quod cum figura iucundum est, tum etiam sensu valet. Emit morte immortalitatem. Illa leuior est, Non Pisonum, sed pistorum, & ex aratore orator. Pessimum verò, Ne patres conscripti videantur circumscripti. Raro euenit, sed vehementer venit. Sic contingit vt aliquis sensus vehemens & acer venustatem aliquam non eodem ex verbo non dissonam accipiat. Et cur me prohibeat pudor vti domestico exemplo? Pater meus contra eum qui se legationi immoriturum dixerat, deinde vix paucis diebus insumptis re infecta redierat, Non exigo vti immoriaris legationi, immorare. Nam & valet sensus ipse, & in verbis tantum distantibus iucundè consonat vox, præsertim non captata, sed velut oblata, cum altero suo sit vsus, alterum ab aduersario acceperit. [Magnæ veteribus curæ fuit gratiam dicendi è paribus cõtrarijs acquirere. Gorgias in hoc immodicus, copiosus vtique prima ætate Isocrates fuit. Delectatus est his etiam M. Tullius, verùm & modum adhibuit non ingratæ (nisi copia redundet) voluptati, & rem alioqui leuem sententiarum pondere impleuit. Nam per se frigida & inanis affectatio cum in acreis incidit sensus, innata videtur esse non accersita. ¶ Similium ferè quadruplex ratio est. [Nam est primum, quoties verbum verbo simile, aut non dissimile valde quæritur: vt Puppésque tuæ pubésque tuorũ. &, Si in hac calamitosa fama quasi in aliqua pernicioſiſſima flamma. &, Non enim tam spes laudãda quàm res est. Aut certe par est extremis syllabis consonans, Non verbis sed armis. Et hoc quoque quoties in sentẽtias acres incidit, pulchrum est. Quantum potiis in eo semper experire vt prosis. Hoc est πάρισον, vt plerisq; placuit. Cleostelæus πάρισον existimat, quod sit è membris non dissimilibus. [Secundum,

Paribus.

Pariſon.

vt clauſula ſimiliter cadat vel ijſdem in vltimã partẽ collatis,

Homœoteleuton. ὁμοιοτέλευτον, ſimilem duarum ſentẽtiarũ vel plurium finem, Nõ modo ad ſalutẽ eius extinguẽdã, ſed etiã gloriam per tales viros infringendam. Ex quibus ferè ſunt, non tamen vt ſemper vltimis conſonent, quæ τρίκωλα dicunt, Vicit pudorem libido, timorẽ audacia, rationẽ amentia. Sed in quaternas quoq; ac plures hęc ratio ire ſentẽtias poteſt. Fit etiam ſingulis verbis,

Homœoptotõ Hæc cubat, dolet, piget, pudet. &, abijt, exceſſit, erupit, euaſit. [Tertiũ, quod in eoſdẽ caſus cadit ὁμοιόπτωτον dicitur. Sed neq; quod finem habet ſimilem, eſt ὁμοιόπτωτον vtique in eundẽ finem venit ὁμοιοτέλευτον. Eſt enim ὁμοιόπτωτον tantum caſus ſimilis, etiã ſi diſſimilia ſint quæ declinentur: nec tãtum in fine deprehenditur, ſed reſpondent vel prima inter ſe, vel medijs, vel extremis: vel etiã permutatis his, vt media primis, & ſumma medijs accõmodentur, & quocũq; modo accõmodari potẽrũt. Nec enim ſemper paribꝰ ſyllabis cõſtat, vt eſt apud Afrũ, Amiſſo nuper infelicis aulæ, ſi non præſidio inter pericula, tamen ſolatio vitæ inter aduerſa. Ea verò vidẽtur optima, in quibus initia ſententiarum & fines conſentiunt: vt hic, Præſidio, ſolatio. & vt penè ſimilia ſint verbis, & paribus cadant, & eodẽ modo deſinant. Etiam vt ſint (quod eſt quartum) membris æ-

Iſocolon. qualibus, quod ἰσόκωλον dicitur. Si quantum in agro locíſq; deſertis audacia poteſt, tantum in foro atque iudicijs impudentia valeret, ἰσόκωλον eſt, & ὁμοιόπτωτον habet. Non minus nũc in cauſa cederet Aulus Cecinna Sexti Ebutij impudentię, quàm tum in vi facienda ceſſit audacię, ἰσόκωλον, ὁμοιόπτωτον, ὁμοιοτέλευτον. Accedit & ex illa figura gratia, qua nomina dixi mutatis caſibꝰ repeti. Non minus cederet quàm ceſſit. Adhuc ὁμοιοτέλευτον & παρωνομασία eſt, Neminem poſſe alteri dare matrimonium, ni-

Ex cõtrarijs. ſi quem penes ſit patrimonium. [Contrapoſitũ autem, vel vt quidam vocant, contentio (ἀντίθετον dicitur) nõ vno fit modo. [Nã & fit ſi ſingula ſingulis opponũtur, vt in eo quod modo dixi, Vicit pudorẽ libido, timorẽ audacia. [Et bina binis, Nõ noſtri ingenij, veſtri auxilij eſt. [Et ſentẽtiæ ſentẽtijs, Dominetur in cõcionibus, iaceat in iudicijs. Cui cõmodiſſimè ſubiũgitur & ea ſpecies, quã diſtinctionẽ diximus, Odit populus Ro. priuatã luxuriã, publicã magnificẽtiã diligit. [Et quę ſũt ſimili caſu, diſſimili ſentẽtia in vltimo locata: vt, Quod in tẽpore mali fuit,

nihil obſit, quin quod in cauſa boni fuit, proſit. [Nec ſemper cō trapoſitū ſubiūgitur, vt in hoc, Eſt igitur Iudices nō ſcripta, ſed nata lex. Verū, ſicut Cicero dicit, quod de ſingulis rebus propoſitis refertur ad ſingula: vt in eo quod ſequitur, Quā nō didicimus, accepimus, legimus, verū ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus. Nec ſemper quod aduerſum eſt cōtraponitur, quale eſt apud Rutiliū, Nobis primis dij immortales fruges dederūt: nos quod ſoli accepimus, p omnes terras diſtribuim⁹. Nobis maiores noſtri rēpublicā reliquerunt: nos etiā ſocios noſtros de ſeruitute eripuimus &c. [Fit etiā aſſumpta illa figura, qua verba declinata repetūtur, quod ἀντιμεταβολὴ dicitur, Non vt edā viuo, ſed vt viuā edo. Et quod apud Ciceronē cōuerſum ita eſt, vt cū mutationē caſus habeat, etiam ſimiliter deſinat: vt, Sine inuidia culpa plectatur, & ſine culpa inuidia ponatur. [Quod & eodē cluditur verbo, vt quod dicit de Sexto Roſcio, Etenim cū artifex eiuſmodi ſit, vt ſolus dignus videatur eſſe qui ſcenam introeat: tum vir eiuſmodi ſit, vt ſolus videatur dignus, q eò nō accedat. [Eſt & in nominibus ex diuerſo collocatis ſua gratia, Si conſul Antonius, Brutus hoſtis: ſi conſeruator reip. Brutus, hoſtis Antonius. ¶ Omnino plura de figuris q̄ neceſſe erat, & adhuc erit q putet eſſe figurā: Incredibile eſt quod dico, ſed verū, ἀνθυποφορὰν vocant: & aliquis hoc, Semel tulit, ego bis, ego ter, διέξοδον, &, Longius euectus ſum, ſed redeo ad propoſitū, ἄφοδον. Quædā verborū figuræ paulum figuris ſentētiarum declinātur, vt dubitatio. Nam cum eſt in re, priori parti aſſignāda eſt: cum in verbo, ſequēti: Siue me malitiam, ſiue ſtultitiā dicere oportet. [Item correctionis eadem ratio eſt. Nā quod illic dubitat, hic emendat. Etiam in perſonæ fictione, accidere quidā idem putauerunt, vt in verbis etiam eſſet hæc figura, Crudelitatis eſt mater auaritia. Et apud Salluſtiū in Ciceronē, O Romule Arpinas, quale eſt & apud Menādrum, Oedipus Othryaſius. Hæc omnio copioſius ſunt executi, qui non vt partem operis trāſcurrerunt, ſed propriè libros huic operi dedicauerunt: ſicut Cæcilius, Dionyſius, Rutilius, Cornificius, Viſellius, alijq; non pauci. ſed nō minor erit eorū qui viuunt, gloria. ¶ Vt fateor autē verborū figuras poſſe plures repiri à quibuſdā, ita ijs quę ab authorib⁹ claris tradūtur, meliores, nō aſſētior. Nā in primis M. T. multas in tertio de Oratore libro poſuit, quas in

Quædam & verborum & ſententiarum figuræ.

Quædā figuræ ab alijs traditæ quæ nō recipiūtur

Oratore postea scripto transeundo videtur ipse damnasse: quarum pars est quæ sententiarum potius quàm verborum fit : vt imminutio, improuisa imago, sibijpsi responsio, digressio, permissio, contrariũ, (hoc enim puto quod dicitur ἐναντιόπης) sumpta ex aduerso probatio. Quædã omnino nõ sunt figuræ, sicut ordo, dinumeratio, circũscriptio, siue hoc nomine significatur cõprehẽsa breuiter sentẽtia, siue finitio. (Nã & hæc Cornificius atque Rutilius schema λέξεως putant.) Verborum autem concinna transgressio, id est, hyperbaton, quod Cęcilius quoque putat schema, à nobis est interposita. Et mutatio: quæ si ea est, quã Rutilius ἀλλοίωσιν vocat, dissimilitudinẽ ostendit hominũ, rerum, factorũq;: si latius fiat, figura nõ est: si angustius, in ἀντίθετον cadet. Si vero hæc appellatio significat ὑπαλλαγήν, satis de ea dictum est. Quod verò schema est ad propositum subiecta ratio? vtrum quod Rutilius ἀιτιολογίαν vocat? (nam de illo dubitari possit an schema sit) distributis subiecta ratio. qđ apud eũdẽ primo loco positũ est πολυπτῶσις dicitur, quæ vt maxime seruetur, sanè est in pluribus propositis, quia aut singulis statim ratio subijcitur: vt est apud C. Antonium, Sed neque accusatorem eum metuo, qui sum innocens: neque competitorem vereor, qui sum Antonius: neque Cõsulem spero, qui est Cicero. Aut positis duobus vel tribus, eodem ordine singulis continuo redditur: quale apud Brutum de Dictatura Cn. Pompeij, Præstat enim nemini imperare, quàm alicui seruire. Sine illo enim viuere honestè licet, cum hoc viuendi nulla conditio est. Sed

Georgit. 1. vni rei multiplex ratio subijcitur: vt apud Virgilium,

Siue inde occultas vires & pabula terræ
Pinguia cõcipiunt, siue illis omne per ignem Excoquitur vitiũ,

In partis. & totus locus: Seu plures calor ille vias: Seu durat magis. Relationem quid accipi velit, non mihi liquet. Nã si ἀπαλλαγήν, aut ἐπάνοδον aut ἀντιμετάβολὴν dicit, de omnibus locuti sumus. Sed quicquid est, neque hęc, neque superiora in Oratore repetit. Sola in eo libro posita ponitur inter figuras verborum, exclamatio, quam sententiæ potius puto. Affectus enim est, & cæteris omnibus consentio. Adijcit his Cæcilius περιφράσιν, de qua dixi: Cornificius interrogotionem, ratiocinationem, subiectionem, translationem, occultationem: præterea sententiam, mẽbrũ, articulum, interpretationẽ, conclusionẽ: quorũ priora al-

terius generis sunt schemata, sequentia schemata omnino nõ sunt. Itẽ Rutili⁹ præterea quæ apud alios quoq; sunt schemata, παρομολογίαν, ἀναγκαῖον, ἠθοποιΐαν, δικαιολογίαν, πόληψιν, χαρακτηρισμὸν, βραχυλογίαν, παρασιώπησιν, παῤῥησίαν. de quibus idẽ dico. Nã eos quidã authores, qui nullũ propè finẽ fecerũt exquirẽdis nominibus, præteribo: qui etiã quæ sunt argumentorum, figuris adscripserunt. ¶ Ego etiam de his quæ veræ sunt, adijciam breuiter: sicut ornant orationes opportunè positæ, ita ineptissimas esse, cum immodice petuntur. Sunt qui neglecto rerum pondere, & viribus sentẽtiarum, si vel inania verba in hos modos deprauarint, summos se iudicent artifices: ideóque non desinunt eas nectere, quas sine sentẽtia sectari tam est ridiculum, quàm quærere habitum, gestúmq; sine corpore. Sed ne hæ quidẽ quæ rectè fiunt, densandæ sunt nimis. Nam & vultus mutatio, oculorúmq; coniectus multum in actu valet, sed si quis ducere os exquisitis modis, & frontis ac luminum inconstantia trepidare nõ desinat, rideatur. Et oratio habeat rectam quãdam velut faciem: quæ vt stupere immobili rigore non debebit, ita sæpius in ea, quam natura dedit, specie continenda est. Sciendum verò in primis quid quisque orando postulet locus, quid persona, quid tempus. Maior enim pars harum figurarum posita est in delectatione. Vbi verò atrocitate, inuidia, miseratione pugnandum est, quis ferat contrapositis, & pariter cadentibus, & consimilibus, irascentem, flentem, rogantem? cum in his rebus cura verborum deroget affectibus fidem: & vbicunq; ars ostẽtatur, veritas abesse videatur.

Figuris quomodo vtẽdũ.

De compositione. Cap. IIII.

DE compositione non equidem post Marcum Tullium scribere auderem, cui nescio an vlla pars operis huius sit magis elaborata, nisi & eiusdem ętatis homines scriptis ad ipsum etiam literis reprehendere vel collocãdi gen⁹ ausi fuissent, & post eum plures multa ad eandem rem pertinentia memoriæ tradidissent. Itaq; accedam in plerisque Ciceroni, atque in his ero, quæ indubitata sunt, breuior: in quibusdam paulum fortasse dissentiam. Nam etiam cum iudicium meũ ostendero, suum tamen legentibus relinquam. ¶ Neq; ignoro quosdam esse, qui curam omnem compositionis excludant, atque illum horridum sermonem vt fortè effluxerit, modo magis

Cõtra eos qui curã cõpositionis negligendam censebant.

naturalem, modo etiam magis virilem esse cõtendant. Qui si id demum naturale esse dicunt, quod à natura primum ortum est, & quale ante cultũ fuit, tota hęc ars orãdi subuertetur. Neq; enim locuti sunt ad hanc regulã & diligentiã primi homines, nec proœmijs præparare, docere expositione, argumẽtis probare, affectibus cõmouere scierũt. Ergo ijs omnibus, nõ sola cõpositione caruerũt: quorũ si fieri nihil melius licebat, ne domibus quidem casas, aut vestibus pelliũ tegmina, aut vrbibus mõtes ac syluas mutari oportuit. Quæ porrò ars statim fuit? quid non cultu nitescit? cur vites corercemus manu? cur eas fodimus? rubos aruis excidim⁹? terra & hæc generat. Mãsuefacim⁹ animalia? indomita nascuntur. Verũ id est maxime naturale, qd⁹ fieri natura optimè patitur. Forti⁹ verò quî incõpositũ potest esse, q̃ iunctũ & bene collocatũ? Neq; si parui pedes vim detrahũt rebus, aut Sotadeorũ, & Galliamborũ, & quorũdã in oratione simili penè lasciuia lasciuientiũ, cõpositionis est iudicandũ. Cæterum quanto vehementior fluminũ cursus est prono alueo, ac nullas moras obijciente, q̃ inter obstantia saxa fractis aquis ac reluctantibus: tanto quæ cõnexa est, & totis viribus fluit, fragosa, atq; interrupta melior oratio. Cur ergo vires ipsas specie solui putent, quãdo nec vlla res sine arte satis valeat, & comitetur semper artẽ decor? An non eã quæ emissa optime est, hastã speciosissimè contortã ferri videmus? & arcu dirigentiũ tela quo certior manus, hoc est habitus ipse formosior? Iã in certamine armorum atq; in omni palestra quid satis recte cauetur ac petitur, cui non artifex motus, & certi quidã pedes adsint? Quare mihi compositione velut amentis quibusdã neruisve intendi & concitari sentẽtię vidẽtur. Ideóq; eruditissimo cuiq; persuasum est, valere eam quàmplurimum, non ad delectationẽ modo, sed ad motum quoq; animorum. Primũ quia nihil intrare potest in affectum, quod in aure velut quodã vestibulo statim offendit. Deinde quòd natura ducimur ad modos. Neq; enim aliter eueniret, vt illi quoque organorum soni, quanquã verba non exprimunt, in alios tamen atq; alios motus ducerent auditorem. In certaminibus sacris non eadẽ ratione concitant animos ac remittũt, nec eosdem modos adhibent cum bellicum est canendum, & cum posito genu supplicandum. Nec idem signorum concentus est procedente ad prælium exercitu, idẽ re-

ceptuicarmen. Pythagoreis certe moris fuit,&cũ euigilassent, animos ad lyram excitare,quo essent ad agendum erectiores: & cum somnum peterent, ad eandem prius lenire mentes, vt si quid fuisset turbidiorum cogitationum, cõponerent. Quòd si numeris & modis inest quædam tacita vis,in oratione eo vehemẽtissima: quantũq; interest sensus idẽ quibus verbis effera tur,tantum verba eadem qua compositione vel in exitu iungã tur, vel fine claudantur. Nam quædam & sententijs parua,& elocutione modica,virtus hæc sola commendat. Deniq; quod cuique visum erit vehementer,dulciter,specioseꝺictũ, soluat & turbet: abierit omnis vis, iucunditas, decor.Soluit quædam sua in Oratore Cicero,Nam neque me diuitiæ mouent,quibus omnes Aphricanos & Lælios,multi venalitij mercatorésq; superarunt:vt sit multi mercatores superarunt,venalitiíq;:& insequentes deinceps periodos,quas si ad illum modum perturbes,velut fracta aut transuersa tela proieceris.Idem corrrigit quæ à Graccho composita durius putat.Illum decet,nos hac simus probatione contenti,quòd in scribendo quæ se nobis solu tiora obtulerint,componemus. Quid enim attinet eorũ exempla quęrere,quæ sibi quisq; experiri potest?illud notasse satis habeo,quo pulchriora& sensu & elocutione dissolueris,hoc oratio nem magis deformem fore, quia negligentia collocationis ipsa verborum luce deprehenditur. Itaq; vt confiteor penè vltimam oratorib⁹ artem compositionis,quæ perfecta sit,contigisse:ita illis priscis habitam inter curas,in quantum adhuc profecerant,puto. Neq; enim mihi quamlibet magnus author Cicero persuaserit Lysiam,Herodotum,Thucydidem,parum studiosos eius fuisse,Genus fortasse sint secuti non idem quod Demosthenes,aut Plato,quanquam & ij ipsi inter se dissimiles fuerunt.Nam neque illud in Lysia dicendi textum tenue atq; rarum lætioribus numeris corrumpẽdum erat. Perdidisset enim gratiam,quæ in eo maxima est, simplicis atq; inaffectati coloris:perdidisset fidem quoq;.Nã scribebat alijs,non ipse dicebat, vt oportuerit esse illa rudibus & incompositis similia, quod ipsum cõpositio est.Et historię(quæ currere debet ac ferri)minus cõuenissent intersistentes clausulæ, & debita actionibus respiratio,& claudẽdi inchoãdíq; sentẽtias ratio.In cõcionibus quidem etiã similiter cadẽtia quædã & cõtrapositа deprehẽdas:in

Ad Brutum.

In ora perf.

Herodoto verò cum omnia (vt ego quidem sentio) leniter fluunt: tum ipsa διάλεκτος habet eam iucunditatem, vt latentes etiam numeros complexa videatur. Sed de propositorum diuersitate post paulum. Nunc quę prius ijs qui rectè componere volent, discēda sint. ¶ Est igitur ante omnia, oratio alia vincta atq; contexta, soluta alia qualis in sermone & epistolis: nisi cū aliquid supra naturam suā tractant, vt de philosophia, de repu. similibúsq;. Quod nō eò dico, quia nō illud quoq; solutum habeat suos quosdam, & forsitan difficiliores etiam pedes: neque enim aut hiare semper vocalibus, aut destitui temporibus volunt sermo & epistola: sed non fluunt nec cohærent, nec verba de verbis trahunt, vt potius laxiora in his vincula, quàm nulla sint. Nonnunquam in causis quoq; minorib⁹ decet eadem simplicitas, quæ non illis, sed alijs vtitur numeris, dissimulátque eos, & tantum communit occultius. [At illa cōnexa series tres habet formas: incisa, quæ κόμματα dicūtur: membra, quæ κῶλα: & περίοδον, quæ est vel ambitus, vel circunductum, vel cōtinuatio, vel conclusio. ¶ In omni porrò compositione tria sunt necessaria: ordo, iunctura, numerus. ¶ Primum igitur de ordine. Eius obseruatio in verbis est singulis & contextis. Singula sunt quæ diximus ἀσύνθετα. In his cauendum est ne decrescat oratio, & fortiori subiungatur aliquid infirmius: vt sacrilego fur, aut latroni petulans. Augeri enim debent sententiæ & insurgere: vt optimè Cicero, tu, inquit, istis faucibus, istis lateribus, ista gladiatoria totius corporis firmitate. Aliud enim maius alio superuenit. At si cœpisset à toto corpore, nō bene ad latera faucésque descēderet. Est & alius naturalis ordo, vt viros ac fœminas, diem ac noctem, ortum & occasum dicas potius, quàm retrorsum. Quædam ordine permutato fiunt superuacua, vt fratres gemini. Nam si præcesserint gemini, fratres addere non est necesse. Illa nimia quorūdam fuit obseruatio, vt vocabula verbis, verba rursus aduerbijs, nomina appositis, & pronominibus rursus essent priora. Nam fit contrà quoq; frequenter nō indecore. Nec non & illud nimiæ est superstitionis, vt quæque sint tempore, ea etiam facere ordine priora: non quin frequēter sit hoc melius, sed quia interdum plus valent ante gesta, ideóque leuioribus superponenda sunt. Verbo sensum cludere multo, si cōpositio patiatur, optimum est. In verbis enim sermonis vis

Compositionis diuisio.

Ordo.

ineſt. At ſi id aſperũ erit, cædat hęc ratio numeris, vt fit apud ſũ mos Gręcos Latinóſq; oratores frequẽtiſſimè. Sine dubio enim omne quod nõ cludet, hyperbaton eſt. Ipſum hoc inter tropos vel figuras, quę ſunt virtutis, receptum eſt. Non enim ad pedes verba dimenſa ſunt. Ideóq; ex loco trãſferuntur in locum, vt iungantur quo congruũt maxime, ſicut in ſtructura ſaxorum rudium, etiam ipſa enormitas inuenit cui applicari, & in quo poſſit inſiſtere. Feliciſſimus tamen ſermo eſt, cui & rectus ordo, & apta iunctura, & cum ijs numerus opportunè cadens contingit. Quædam verò tranſgreſſiones & longę ſunt nimis, vt in ſuperioribus diximus libris, & interim etiam compoſitione vitioſæ, quæ in hoc ipſum petuntur, vt exultent atq; laſciuiant, quales illæ Mecœnatis, Sole & aurora rubent plurima. Inter ſacra mouit aqua fraxinos. Ne exequias quidem vnus inter miſerrimos viderem meas. Quod inter hæc peſſimum eſt, quia in re triſti ludit compoſitio. Sæpe tamen eſt vehemens aliquis ſenſus in verbo, quod ſi in media parte ſententiæ latet, tranſiri intentione, & obſcurari circumiacentibus ſolet, in clauſula poſitum aſſignatur auditori & infigitur: quale illud Ciceronis, Vt ti bi neceſſe eſſet in conſpectu populi Romani vomere poſtridie. Tranſfer hoc vltimum, minus valebit. Nam totius ductus hic eſt quaſi mucro, vt per ſe fœdæ vomendi neceſſitati, iam nihil vltra expectantibus hanc quoq; adijceret deformitatem, vt cibus teneri non poſſet poſtridie. Solebat Afer Domitius traijcere in clauſulas verba tantum aſperandæ compoſitionis gratia, & maxime in proœmijs, vt pro Cloantilla, Gratias agam continuo: & pro Lælia, Eis vtriſque apud te iudicem periclitatur Lęlia. Adeo refugit teneram delicatámq; modulandi voluptatẽ vt occurrentibus per ſe numeris quo eos inhiberet, obijceret. Philip. ij.

Amphibologiam quoq; fieri vitioſa locatiõe verborum nemo eſt qui neſciat. Hæc arbitror, vt in breui, de ordine fuiſſe dicenda: qui ſi vitioſus eſt, licet & iuncta ſit, & apte cadens oratio, tamẽ merito incompoſita dicatur. ¶ Iunctura ſequitur. Ea eſt in verbis, inciſis, membris, periodis. Omnia nanque iſta & virtutes, & vitia in complexu habent. Atq; vt ordinem ſequar, primum quę imperitis quoq; ad reprehenſionem notabilia videntur, id eſt quæ commiſſis inter ſe verbis duobus ex vltima prioris, ac prima ſequentis ſyllaba, deforme aliquod nomẽ efficiũt. Iunctura.

Tum vocalium concurſus: qui cum accidit, hiat & interſiſtit, & quaſi laborat oratio. Peſſimè longæ, quæ eaſdem inter ſe literas committunt, ſonabunt. Præcipuus tamen erit hiatus earũ, quæ cauo aut patulo maximè ore efferuntur. E plenior litera eſt, I, anguſtior, ideóq; obſcurius in his vitium. Minus peccabit qui longis breues ſubijciet, & adhuc qui præponet longæ breuem. Minima eſt in duabus breuibus offenſio. Atque cum aliæ ſubiunguntur alijs perinde aſperiores erunt, prout oris hiatu ſimili, aut diuerſo pronunciabuntur. Non tamen id vt crimen ingens expaueſcendum eſt, ac neſcio an negligentia in hoc, an ſolicitudo ſit peior. Inhibeat enim neceſſe eſt, hic metus impetum dicendi, & à potioribus auertat. Quare vt negligentiæ eſt hoc pati, ita humilitatis vbique perhorreſcere, nimióſque non immerito in hac cura putant omnes Iſocratem ſecutos, præcipuéque Theopompum. At Demoſthenes & Cicero modice reſpexerunt in hanc partem. Nã & coeuntes literæ, quæ συναλοιφὴ dicuntur, etiam leniorem faciunt orationem, quàm ſi omnia verba ſuo fine cludantur: & nonnunquam hiulca etiam decent, faciúntque ampliora quædam, vt, pulchra oratione apta omnino iactare: tum longè per ſe, & velut optimæ ſyllabæ aliquid etiam medij temporis inter vocales quaſi interſiſtatur, aſſumunt. Qua de re vtar Ciceronis potiſſimum verbis: Habet, inquit, ille tanquam hiatus & concurſus vocalium molle quiddam, & quod indicet non ingratam negligentiam de re hominis magis quàm de verbis laborantis. Cęterũ conſonantes quoque, eæque præcipuè quę ſunt aſperiores, in commiſſura verborum rixantur, & s vltima cum x proxima, quarum triſtior, etiam ſi binæ collidãtur ſtridor eſt, vt ars ſtudiorum quæ fuit cauſa & Seruio (vt dixi) ſubſtrahendæ s literæ, quoties vltima eſſet, aliáque conſonante ſuſciperetur. quod reprehendit Lauranius, Meſſala defendit. Nam neque Lucilium putent vti eadem vltima, cum dicit, Serenu' fuit & dignu' loco. Quinetiam Cicero in Oratore plures antiquorum tradit ſic locutos. Inde Belligerare po' meridiem. & illa Cenſorij Catonis, Die' hanc ęq; m litera in e mollita: quæ in veteribus libris reperta mutare imperiti ſolent, & dum librariorum inſcitiam inſectari volunt, ſuam confitentur. Atqui eadem illa litera quoties vltima eſt, & vocalem verbi ſequentis ita contingit, vt in eam tranſire

possit, etiam si scribitur, tamẽ parum exprimitur, vt, Multum ille. &, Quantum erat, adeo vt penè cuiusdam nouæ literæ sonum reddat. Neq; enim eximitur, sed obscuratur, & tantũ aliqua inter duas vocales velut nota est, ne ipsæ coeant. Videndũ etiam ne syllabæ verbi prioris vltimæ, sint primæ sequentis. Id ne quis præcipi miretur, Ciceroni in Epistolis excidit, Res mihi inuisæ visæ sunt Brute. Et in carmine, O fortunatã natam me consule Romam. Etiam monosyllaba si plura sunt, male continuabuntur, quia necesse est compositio multis clausulis concisa subsultet. Ideóque etiam breuium verborum ac nominum vitanda continuatio, & ex diuerso quoque longorum: afferunt enim quandam dicendi tarditatem. Illa quoque vitia sunt eiusdem loci, si cadentia similiter, & similiter desinentia, & eodem modo declinata multa iungantur. Nec verba quidẽ verbis, aut nomina nominibus, similiáque ijs continuari decet, cum virtutes etiam ipsæ tædium pariant, nisi gratia varietatis adiutę. Membrorum incisorúmque iunctura non eo modo est obseruanda, quo verborum, quãquam & in his extrema & prima coeunt. Sed plurimũ refert compositionis, quæ quibus anteponas. Nam & vomens frustis esculentis, vinum redolentibus gremium suum & totum tribunal impleuit. Et contrà (Nam frequentius vtar ijsdem diuersarũ quoq; rerũ exemplis, quo sint magis familiaria) Saxa atque solitudines voci respondent, bestiæ sæpè immanes cantu flectuntur atque consistunt. Magis id ísurgebat si verteretur. Nam etsi plus est saxa q̃ bestias commoueri, inest tamen cõpositioni decor. Sed trãseamus ad numeros. ¶ Omnis structura ac dimensio, & copulatio vocum cõstat aut numeris (numeros ῥυθμοὺς accipi volo aut μέτρῳ, id est dimensione quadam. Quod etiam si constat vtrũq; pedibus, habet tamen non simplicem differentiam. Nã rhythmi, id est numeri spatio tẽporum constant: Metra etiã ordine. ideóque alterum esse quantitatis videtur, alterum qualitatis, ῥυθμὸς aut par est, vt dactylus (vnã enim syllabam parem breuibus habet. Est quidem vis eadem & alijs pedibus, sed nomen illud tenet. Longã esse duorum temporũ, breuẽ vnius, etiã pueri sciunt.) Aut sesquiplex, vt Pæon (cuius vis est longa & trib⁹ breuibus: quíq; ei contrarius ex tribus breuibus & lõga, vel alio quoquo modo tempora tria ad duo relata sesquiplum faciunt)

Numerus.

Rhythmus & metrum quid differant.

Aut duplex, vt Iambus, nam est ex breui & longa: quĩq; est ei contrarius. Sunt hi & metrici pedes. Sed hoc interest, ꝙ rhythmo indifferens est, dactylus ne ille priores habeat breues, an sequentes. Tempus enim solum metitur, vt à sublatione ad positionem ijsdem sit spatijs pedũ, nec Pæon eadem ratione à breuibus incipiet ac desinet. Neq; solum alium pro alio pedem metrorum ratio non recipit, sed ne dactylum quidem aut forte spondeum, alterum pro altero. Itaque si quinque continuos dactylos (vt sunt in illo, Panditur interea domus omnipotentis Olympi) confundas, solueris versum. Sunt & illa discrimina, ꝙ rhythmis libera spatia, metris finita sunt: & his certæ clausulæ, illi quo modo cœperant currunt vsque ad μεταβολὴν, id est trãsitum in aliud genus rhythmi. Et quòd metrũ in verbis modo, rhythmus etiam in corporis motu est. Inania quoq; tempora rhythmi facilius accipient, quanquam hæc & in metris accidunt. maior tamen illic licentia est, vbi tempora etiam animo metiuntur, & pedum & digitorum ictu interualla signant quibusdam notis, atque æstimant quot breues illud spatiũ habeat. Inde τετράσημον πεντάσημον. Deinceps longiores fiunt percussiones. Nam σημεῖον tempus est vnũ. In cõpositione orationis certior, & magis oĩbus aperta seruari debet dimensio. Est igitur in pedibus. Et metrici quidem pedes adeo reperiuntur in oratione, vt in ea frequenter non sentientibus nobis omnium generum excidant versus. Et contrà, nihil est prosa scriptum, quod non redigi possit in quædam versiculorum genera. Sed in adeo molestos incidimus grammaticos, quorum fuerunt, qui Lyricorum quædam carmina in varias mensuras coegerunt. At Cicero frequentissime dicit totum hoc constare numeris, ideóq; reprehenditur à quibusdam, tanquam orationẽ ad rhythmos alliget. Nam sunt numeri rhythmi, vt & ipse constituit, & secuti eum Virgilius cum dicit, Numeros memini si verba tenerẽ: & Horatius, Numerisq; fertur lege solutis. Inuadunt ergo hãc inter cæteras vocem. Neq; enim Demosthenes fulmina tantopere vibrasse diceretur, nisi numeris contorta ferrentur. In quo si hoc sentit, rhythmis contorta, dissentio. Nam rhythmi, vt dixi, neq; finem habent certum, nec vllam in contextu varietatem, sed qua cœperunt sublatione ac positione ad finem vsque decurrunt. Oratio non descendit ad strepitum digitorum.

id quod Cicero optimè videt, ac teſtatur frequẽter, ſe quod numeroſum ſit quærere, vt magis non ἀρυθμόν, quod eſſet inſcitũ atq; agreſtè, quàm εὐρυθμόν, quod poëticum eſt, eſſe compoſitionem velit: ſicut etiam quos palæſtritas eſſe nolumus, tamẽ eſſe nolumus eos qui dicũtur ἀπαλαιστροι. ¶ Verùm ea quæ efficitur è pedibus ęqua clauſula, nomen aliquod deſiderat. Quid ſit igitur potiꝰ q̃ numerꝰ, & oratorius numerus, vt enthymema Rhetoricus ſyllogiſmꝰ? Ego certe ne in calumniam cadam, qua ne M. quidem Tullius caruit, poſco hoc mihi, vt cum pro compoſito dixero numerum, & vbicunq; iam dixi, oratorium dicere intelligar. Collocatio autem verba iam probata, & electa, & velut aſſignata ſibi debet connectere: nam vel dura inter ſe commiſſa potiora ſunt inutilibus. Tamen & eligere quædam, dum ex ijs quæ idem ſignificent, atq; idem valeant, permiſerim: & adijcere dum non ocioſa, & detrahere dum non neceſſaria. Sed & figuris mutare & caſus & numeros, quorum varietas frequẽter gratia compoſitionis adſcita etiam ſine numero ſolet eſſe iucunda. Etiam vbi aliud ratio, aliud conſuetudo poſcit, vtrum volet ſumat compoſitio, vitauiſſe, vel vitaſſe, deprehẽdere vel deprẽdere. Coitus etiam ſyllabarum non negabo, & quicquid ſententijs aut eloquentiæ non nocebit. Præcipuum tamen in hoc opus eſt, ſcire quod quoq; loco verbum maximè quadret. Atque is optimè componet, qui hoc ſolum componẽdi gratia faciet. Ratio verò pedum in oratione eſt multo quàm in verſu difficilior. Primũ quòd verſus paucis continetur, oratio longiores habet ſæpè circuitus. Deinde, quòd verſus ſemper ſimilis ſibi eſt, & vna ratione decurrit: orationis cõpoſitio niſi varia eſt, & offendit ſimilitudine, & affectatione deprehẽditur. Et in omni quidẽ corpore totóq; (vt ita dixerim) tractu numeris inſerta eſt. Neque enim loqui poſſumus niſi à ſyllabis breuibus ac lõgis, ex quibus pedes fiunt. Magis tamen & deſideratur in clauſulis, & apparet: primum quia ſenſus omnis habet ſuum finem, poſſidétque naturale interuallum, quo à ſequentis initio diuidatur. Deinde quòd aures continuam vocem ſecutæ, ductæq; velut prono decurrentis orationis flumine tum magis iudicãt, cum ille impetus ſtetit, & intuendi tempus dedit. Nõ igitur durum ſit neque abruptum, quo animi velut reſpirant ac reficiũtur: hæc eſt ſedes orationis, hoc auditor expectat, hic laus om-

nis declamat. ¶ Proximam clauſulis diligentiam poſtulant initia, nam & ad hęc intentus auditor eſt. Sed eorum facilior ratio eſt. Non enim cohærent alijs nec præcedentibus ſeruiunt, ſed nouum exordium ſumunt, cum illa quamlibet ſit compoſita, ipſam gratiam perdat, ſi ad eam rupta via veniam⁹. Nāque cū ſit, vt videtur, ſeuera Demoſthenis compoſitio, πρῶτον μὲν ὦ ἄνδρες ἀθηναῖοι τοῖς θεοῖς εὔχομαι πᾶσι καὶ πάσαις & illa quę ab vno (qd ſciam) Bruto minus probatur, cæteris placet, κἂν μοῦπω βάλλῃ, μηδὲ τοξεύῃ. Non deſunt qui Ciceronem carpant in his, Familiaris cœperat eſſe balneatori. & non minus dura archipiratę: nam balneatori & archipiratæ idē finis eſt, qui πᾶσι καὶ πάσαις; & qui μηδὲ τοξεύῃ. ſed priora ſunt, ideo ſeueriora. Eſt in eo quoque nonnihil quòd hic ſingulis verbis bini pedes cōtinentur, quod etiā in carminibus eſt permolle, nec ſolum vbi quinæ ſyllabæ nectuntur, vt in his, Fortiſſima Tyndaridarum: ſed etiam quaternæ, cū verſus cluditur, Apennino, & armamentis, & Oriona. Quare hoc quoque vitandum eſt, ne plurium ſyllabarum verbis vtamur in fine. Medijs quoque non ea modò cura ſit, vt inter ſe cohæreant, ſed ne pigra, ne longa ſint, ne (quod nunc maximum vitium eſt) breuium contextu reſultent, ac ſonū reddant penè puerilium crepitaculorum. Nam vt initia clauſulęq; plurimum momenti habent, quoties incipit ſenſus aut deſinit, ſic in medijs quoque ſunt quidam conatus qui leuiter interſiſtunt: Vt currentium pes etiam ſi nō moratur, tamen veſtigiū facit. Itaque non modo membra atq; inciſa benè incipere atq; cludi decet, ſed etiam in his quę nō dubiè cōtexta ſunt, nec reſpiratione vtuntur, illi vel occulti gradus. (Quis enim dubitet vnum ſenſum, & vni⁹ ſpiritus eſſe?) Animaduerti Iudices omnem accuſatoris orationem in duas diuiſam eſſe partes. Tamē & duo prima verba, & tria proxima, & deinceps duo rurſus, ac tria, ſuos quaſi numeros habent ſpiritū ſuſtinentes: ſicut apud rhythmicos æſtimantur hę particulę, prout ſunt graues, acres, lentæ, celeres, remiſſæ, exultantes. Proinde, id quod ex illis conficitur, aut ſeuerum, aut luxurioſum, aut quadratum, aut ſolutum erit. Quædam etiam clauſulæ ſunt claudæ atq; pendētes, ſi relinquantur, ſed ſequentibus ſuſcipi ac ſuſtineri ſolent: eóq; facto, vitium quod erat in fine, continuatio emendat. Nō vult Po. Ro. obſoletis criminib⁹ accuſari Verrē. Durū ſi deſinas. Sed

Initia.

cum est continuatum ijs quæ sequuntur, quanq̃ natura ipsa diuisa sint, Noua postulat, inaudita desiderat: salu⁹ est cursus. Vt adeas, tantum dabis, malè cluderet. Nam & trimetri vers⁹ pars vltima est. Excipit, Vt cibum vestitúmq; inferre liceat, tantum: præceps adhuc firmatur ac sustinetur vltima. Recusabit nemo. Versum in oratione fieri multo fœdissimum est totũ, sicut etiã in parte deforme, vtiq; si pars posterior in clausula deprehẽdatur, aut rursus prior in ingressu. Nã quod est contrà sæpè etiã decet: quia & cludit interim optimè prima pars versus, dum intra paucas syllabas, præcipuè senarij atq; octonarij. In Aphrica fuisse, initium senarij est: primũ pro Q. Ligario caput cludit, Esse videatur, Nã nimis frequẽs octonariũ inchoat. Talia sunt Demosthenis, πᾶσι καὶ πάσαις. καὶ πᾶσιν ἡμῖν ὅσιν ἔυνοιαν, & totum penè principium. Et vltima versuum initio cõueniũt orationis, Etsi vereor Iudices: &, Animaduerti Iudices. Sed initia initijs non conueniunt. T. Liuius hexametri exordio cœpit, Facturú sne operæprecium sim. Nam ita edidit, éstq; melius, q̃ quo modo emendatur. Nec clausulæ clausulis, vt Cicero, Quo me vertam nescio. qui trimetri finis est. Trimetrũ &, Pro misero dicere liceat. Sex enim pedes, tres percussiones habent. Peius cludit finis hexametri, vt Brutus in Epistolis, Neq; enim illi malunt habere tutores aut defensores, quanq̃ sciunt placuisse Catoni. Illic minus sunt notabiles, quia hoc gen⁹ sermoni proximum est. Itaque & versus hi ferè excidunt, quos Brutus ipso componẽdi ductus studio sæpissimè facit, non raro Asini⁹, sed etiam Cicero nonnunquam, vt in principio statim orationis in Lucium Pisonẽ, Prò dij immortales, quis hic illuxit dies? Non minore autem cura vitandum est, quicquid εὐρυθμὸν, quale est apud Sallustiũ, Falsò queritur de natura sua. Quanuis enim vincta sit, tamen soluta videri debet oratio. Atqui Plato diligẽtissimus compositiõis in Timæo prima statim parte vitare ista nõ potuit. Nam & initium hexametri statim inuenias, & Anacreontion protinus colon efficias, & si velis trimetron, & quod duobus pedibus & parte, πεντημιμερὲς à Græcis dicitur, & hęc omnia í trib⁹ verbis, vt Thucydidis, ἐν ἐρύμασι κἄρτι ἐφάνησαν, ex mollissimo rhythmorũ genere excidãt. ¶ Sed quia orationẽ oratoriã cõstare pedibus dixi, aliqua de his quoq;, quorũ nomina quoniã varia tradũtur cõstituẽdũ est, quo quẽq; appellem⁹: & qdẽ

Ciceronem ſequar, nam is eminentiſſimos Græcorum eſt ſecutus, excepto quòd pedes mihi triſyllabos non videtur excedere, quanquam illæ Pæone Dochimóque, quorum prior in quatuor, ſecundus in quinq; excurrit, vtatur. Nec tamen ipſe diſſimulat quibuſdam numeros videri non pedes, neque immerito. Quicquid enim ſupra treis ſyllabas habet, id ex pluribus eſt pedibus. ¶ Ergo cum conſtent quatuor pedes binis, octo ternis, Spōdæum longis duabus, Pyrrhichium quem alij Periambum vocant, breuibus: Iambum breui longáque, huic contrarium è longa & breui, hunc choreū nos, nō vt alij trochæum, nominemus. Ex ijs vero qui ternas ſyllabas habent, Dactylum, longa duabúſque breuibus: huic temporibus parem, ſed retro actum, appellari conſtat Anapæſton. Media inter longas breuis faciet Amphimacrum, ſed frequentius eius nomen eſt Creticus. Longa inter breues, Amphibrachys. Duabus longis breuē ſequentibus Bacchius, totidem longis breuem præcedentibus huic contrarius Palimbacchius erit: Tres breues Trochæum, quem Tribrachyn dici volunt, qui choreo trochæi nomen imponunt: totidem longæ Moloſſon efficiunt. Horum pedū nullus non in orationem venit. Sed quo quique ſunt temporibus pleniores, longíſque ſyllabis magis ſtabiles, hoc grauiorem faciunt orationem, breues celerem ac mobilem. Vtrūq; locis vtile. Nam & illud vbi opus eſt velocitate, tardum & ſegne: & hoc vbi pōdus exigitur, præceps ac reſultans meritò damnetur. Sit in hoc quoque aliquid fortaſſe momenti, quòd & longis longiores, & breuibus ſunt breuiores ſyllabæ, vt quamuis neque plus duobus temporibus, neq; vno minus habere videantur (idéoq; in metris omnes breues longæq; inter ſe obſeſſæ ſunt pares) lateat tamen neſcio quid, ſi quicquam ſuperſit aut deſit. Nā verſuum propria conditio eſt, ideóque in his quædam etiam communes. Veritas verò quia patitur æquè breuem eſſe vel longā vocalem cum eſt ſola, quàm cum eam conſonātes vna pluréſve præcedunt, certè in dimenſione pedum ſyllaba quæ eſt breuis, inſequēte alia vel breui quæ tamen duas primas conſonātes habeat, fit lōga, vt Agreſtē tenui muſam meditaris auena. Nam licet gre breuis ſit, fecit tamen a priorē. Dat igitur longā illi aliquid ex ſuo tēpore: quomodo? niſi habeat plus quàm quę breuiſſima, qualis ipſa eſſet detractis conſonantibus? nunc vnū

De pedibus, & ſtructura eorum.

tempus accommodat priori, & vnum accipit à ſequente: ita duæ natura breues, poſitione ſunt temporum quatuor. Miror autẽ in hac opinione doctiſſimos homines fuiſſe, vt alios pedes ita eligerent, vt alios damnarent, quaſi vllus eſſet quem non ſit neceſſe in oratione deprehendi. Licet enim Pæonem ſequatur Ephorus inuentum à Thraſymacho, probatum ab Ariſtotele, dactylúmque, vt temperatos breuibus ac longis, fugiat ſpondæum & trochæum, alterius tarditate, alterius celeritate damnata: & herous qui eſt idem dactylus, Ariſtoteli amplior, iambus inhumanior videatur: trochæum vt nimis currẽtem damnet, eíque Chordacis nomen imponat, eadémq; dicant Theodectes ac Theophraſtus, ſimilia poſt eos Halicarnaſeus Dionyſius: irrumpent etiam ad vicinos, nec ſemper illis heroo aut pæone ſuo, quem quia verſus raro facit, maximè laudant, vti licebit. Vt ſint tamen alijs alij crebriores, non verba facient, quæ neque augeri, nec minui, nec ſicut modulatione produci aut corripi poſſint: ſed tranſmutatio & collocatio. Plerique enim ex commiſſuris eorum vel diuiſione fiũt pedes, quo fit vt ijſdem verbis alij atque alij verſus fiant: vt memini quendam non ignobilem poẽtam ita luſiſſe, Aſtra tenet cælũ, mare claſſes, area meſſem. Hic retrorſum fit Sotadeus. Itémque Sotadeo adiũgat retro trimetros. Caput hoc exeruit mobile pinus repetita. Miſcendi ergo ſunt, curandúmque vt ſint plures qui placeãt, & circũfuſi bonis deteriores lateant. Nec verò in literis ſyllabíſque natura mutatur, ſed refert quæ cum qua optimè coeat. Plurimum igitur authoritatis (vt dixi) & ponderis habent longæ, celeritatis breues: quæ ſi miſcentur quibuſdam longis, currunt: ſi continuantur, exultant. Acres, quæ ex breuibus ad longas inſurgunt: leniores, quæ à longis in breues deſcendunt. Optimè incipitur à longis, rectè aliquando à breuibus: vt, Nouum crimen C. Cæſar: leuius, vt Animaduerti Iudices, pro Cluentio, quod initium eius partitioni ſimile eſt, quæ celeritate gaudet. Clauſula quoque è longis firmiſſima eſt, ſed cludent & breues, quamuis habeatur indifferens vltima. Neque enim ego ignoro in fine pro longa accipi breuem, quòd videtur aliquid vacantis temporis, ex eo quod inſequitur, accedere: aures tamen conſulens meas intelligo multum referre, vtrum ne longa ſit quę cludit, an pro longa. Neque enim tam plenum eſt

dicere incipientem timere: q̄ illud, Ausus est cōfiteri. Atqui si nihil refert, breuis an longa sit vltima, idē pes erit: verū nescio quo modo sedebit hoc, illud subsistet. Quo moti quidā, longæ vltimæ tria tēpora dederunt, vt illud tēpus qđ breuis ex longa accipit, huic quoq; accederet: Nec solū refert quis claudat, sed quis antecedat. Retrorsum aūt neq; plus tribus, iisq; si non ternas syllabas habebunt, repetendi sunt (absit tamen poetica obseruatio) neq; minus duobus, alioqui pes erit nō numerus. Potest tamen vel vnus esse dichoreus, si vnꝰ est qui cōstet ex duobus choreis. Itémq; Pæon, qui est ex choreo & pyrrhichio, quē aptum initijs putant: vel contrà qui est ex tribus breuibus & lōga, cui clausulā assignant: de quibus ferè duobus scriptores huius artis loquuntur. Alios omnes quotcunq; sint tēporum, quæ ad orationem pertineant, Pæonas appellant. Est & Dochimus, qui fit ex bacchio & iambo, vel iambo & cretico, stabilis in clausulis & seuerus. Spondæus quoque, quo plurimum est Demosthenes vsus, moram semper per se habet: optimè præcedet eū Creticus, vt in hoc, De quo ego nihil dicam nisi depellendi criminis causa. Illud est quod suprà dixi, multum referre, vno ne verbo pedes sint duo comprehensi, an vterque liber. Sic enim fit forte, criminis causa: molle, archipiratæ: mollius si tribrachꝰ præcedat, facilitates, temeritates. Est enim quoddā in ipsa diuisione verborum latens tempus, vt in pentametri medio spondæo: qui nisi alterius verbi fine, alterius initio constet, versum non efficit. Potest etiam si minus bene, præponi anapæstus, Muliere non solum nobili, verùm etiam nota. Tum anapæstus & creticus. Iambus quoque, qui est vtroque syllaba minor: præcedet enim tres longas breuis. Sed & spondæus iambo recte præponitur, Ijsdem in armis fui. Tum spondæus & bacchius, sic enim fiet vltimus dochimus, Ijsdem in armis fui. Ex ijs quæ suprà probaui, apparet Molosson quoque clausulæ conuenire, dū habeat ex quocunque pede ante se breuem: Illud scimus, vbicunque sunt esse pro nobis. Minus grauis erit spondæus præcedente bene Pyrrhichio, vt, Iudicij Iuniani: & adhuc peius priore Pæone, vt Brute dubitaui. nisi potius hoc esse velimus dactylum & bacchium. Duo spondæi non ferè coniungi patiuntur, quæ in versu quoq; notabilis clausula est, nisi cū id fieri potest ex tribus quasi membris, Cur de profugis nostris copias compa-

ratis contra nos? vna ſyllaba, duabus, vna. Ne dactylus quidem ſpondæo bene præponitur, quia finẽ verſus damnamus in fine orationis. Bacchius & cludit & ſibi iũgitur, Venenum timeres. Vitat choræum, ſpondæum autem amat, vt, Nõ venena timeres, ſed virus timeres. Contrario quoque quis cludet, niſi ſi vltimam longam eſſe volumus: optiméque habebit ante ſe moloſſon: vt, Et ſpinis reſperſum: aut bacchiũ, Quod hic poteſt nos poſſemus. Sed verius erit cludere choreum præcedenti ſpondæo. Nam hic potius eſt numerus, Nos poſſemus &, Romanus ſum. Claudet & dichoreus, ſi pes idẽ ſibi ipſi iungetur, quo Aſiani ſunt vſi plurimum. Cuius exemplum Cicero ponit, Patris dictum ſapiens temeritas filij comprobauit. Accipiet ante ſe choreus & Pyrrhichium, Omnes propè ciues virtute, gloria, dignitate, ſuperabat. Claudet & dactylus, niſi eum obſeruatio vltimæ creticum facit, vt Muliercula nixus in littore. Habebit bene ante creticum & iambum, ſpondæum male, peius choreũ. Cludit amphibrachus, Q. Ligarium in Aphrica fuiſſe: ſi non eũ malumus eſſe bacchium. Non optimus eſt trochæus, ſi vltima eſt breuis, quod certe ſit neceſſe eſt, alioqui quomodo cludet, qui placet pleriſq; dichoreus? Illa obſeruatione ex trochæo fit anapæſtus. Idem trochæus præcedẽte longa fit Pæon, quale eſt, Si potero. &, Dixit hoc Cicero, Obſtat inuidia: Sed hoc initijs dederũt. Cludit & Pyrrhichius choreo præcedente. Nã ſic Pæõ eſt, Omnes ij qui in breues excidunt, minus erunt ſtabiles: nec alibi ferè ſatis apti, quàm vbi curſus orationis exigitur, & clauſulis non interſiſtitur. Creticus eſt initijs optimus, Quod precatus à dijs immortalibus ſum. & clauſulis, in conſpectu populi Romani vomere poſtridie. Apparet verò quàm bene eum præcedant, vel anapæſtus, vel qui videtur fini aptior, Pæon. Sed & ſe ipſe ſequitur, Seruare quamplurimos. Sic melius, quàm choreo præcedente, Quis non turpe duceret? niſi vltima breuis pro longa ſit. Sed fingamus ſic, Nõ turpe, duceret? Sed hic eſt illud inane quod dixi, Paululum enim morę damus inter vltimum atq; proximum verbum, & turpe illud interuallo quodam producim⁹: alioqui ſit exultãtiſſimũ, & trimetri finis. Quis nõ turpe duceret? Sicut illꝺ, Ore ſpiritũ excipere liceret. ſi iũgas, laſciui carminis eſt, ſed interpũctis quibuſdã, & trib⁹ quaſi initijs fit plenũ authoritatis. Nec ego cũ præcedentes pedes poſui, legem

dedi, ne alij essent, sed quid ferè accideret, quod in præsentia videretur optimum, ostendi. Et quidem non optimè est sibi iunctus anapęstus, vt qui sit pentametri finis: vel rhythmꝰ, qui nomen ab eo traxit, Nam vbi libido dominatur, innocentiæ leue præsidium est. Nam synalœphe facit, vt vltimæ syllabę pro vna sonent. Mollior fiet præcedente spondæo vel bacchio, vt si mutes idem, Leue innocentiæ præsidiū est. Non me capit (vt à magnis viris dissentiam) pæon, qui est ex tribus breuibus & longa. Nam est ipse vna plus breui anapæsto, facilitas, & agilitas: quod quid ita placuerit ijs non video, nisi qꝝ illum ferè probauerint, quibus loquendi magis q̄ orandi studium fuit. Nam & ante se breuibus gaudet pyrrhichio & choreo, mea vel nostra facilitas. At prędcedente spondęo tamen planè est finis trimetri, cum sit per se quoq; ei contrarius principijs merito laudatur. Nā & primam stabilem & tres celeres habet, tamen hoc quoq; meliores alios puto. Totus vero hic locus non ideo tractatur à nobis, vt oratio quæ ferri debet ac fluere, dimetiendis pedibus, ac perpendendis syllabis consenescat: nam id tum miseri, tū in minimis occupati est. Neq; enim qui se totum in hac cura cōsumpserit, potioribus vacabit: siquidem relicto rerum pondere ac nitore cōtempto, tesserulas (vt ait Lucilius) struet, & vermiculate inter se lexeis committet. Nónne ergo refrigeretur, si calor & impetus pereat, vt equorum cursum qui dirigit, minuit: & passus qui æquat, cursum frangit, quasi numeri non fuerint in compositiōe deprehēsi? Sicut poëma nemo dubitauerit imperito quodam initio fusum & aurium mensura, & similiter decurrentiū spatiorum obseruatione esse generatum, mox in eo repertos pedes. Satis igitur in hoc nos componit multa scribendi exercitatio, vt ex tempore etiam similia fundamus. Neq; verò tā sunt intuēdi pedes, quàm vniuersa comprehensio. Vt versum faciētes, totum illum decursum, non sex vel quinq; partes, ex quibus constat versus, aspiciunt. Ante enim carmē ortū est, quàm obseruatio carminis. Indéq; illud, Versibu' quos olim Fauni vatésq; canebant. Ergo quē in poemate locum habet versificatio, eum in oratione cōpositio. Optimè autē de illa iudicant aures, quæ & plena sentiunt, & parū expleta desiderant, & fragosis offenduntur, & lenibus mulcētur, & contortis excitātur, & stabilia probant, clauda reprehēdūt, redundātia & nimia fastidiunt.

Ideóq; docti rationem componendi intelligunt, & indocti voluptatem. Quædam verò tradi arte non possunt. Mutandus est casus, si durius is quo cœperamus, feratur: nũ in quẽ trãseam? ex quo præcipi potest? Figuræ laborãti etiam compositioni variatæ sæpè succurrũt. Quę? cum orationis, tũ etiã sententiæ: nũ præscriptum eius rei vllum est? Occasionibus vtendum, & cum re præsenti deliberandũ. Enimuero spatia ipsa, quæ in hac quidem parte plurimũ valent, quod possunt nisi aurium habere iudicium? Cur alia paucioribus verbis satis plena, vel nimium: alia plurib⁹ breuia & abscissa sunt? Cur in circũductionibus etiã cum sensus finitus est, aliquid tamen loci vacare videatur? Neminem vestrum ignorare arbitror Iudices, hunc per hosce dies sermonem vulgi, atque hãc opinionem Populi Romani fuisse. Cur hosce potius quàm hos? neque enim erat asperum. Rationẽ fortasse non reddam, sentiam esse melius. Cur non satis sit, sermonem vulgi fuisse? compositio enim patiebatur. Ignorabam, sed ita vt audio hoc, animus accipit, plenum sine hac geminatione non esse. Ad sensum igitur referenda sunt. Ne quis satis fore putet quid seuerum, quid iucundum sit, intelligere. facias quidem natura duce melius q̃ arte, sed naturæ ipsi ars inerit.

¶ Illud prorsus oratoris, scire, vbi quoq; genere compositionis sit vtẽdum. Ea duplex obseruatio, altera quæ ad pedes refertur, altera quæ ad comprehensiones, quæ efficiuntur ex pedibus. Et de ijs prius. Diximus igitur esse incisa, membra, circuitus. [Incisum (quantum mea fert opinio) erit sensus nõ expleto numero conclusus, pleriq; pars membri. Tale est enim quo Cicero vtitur, Dom⁹ tibi deerat? at habebas. pecunia superabat? at egebas. Fiunt autem etiam singulis verbis incisa, vt, Diximus, testes dare voluimus. Incisum est, dixim⁹. Membrum autem est sensus numeris conclusus, sed à toto corpore abruptus, & per se nihil efficiẽs. Id enim, O callidos homines, perfectum est: at remotum à cæteris vim nõ habet, vt per se manus, & pes, & caput. &, O rem excogitatam. quando ergo incipit corpus esse? cũ venit extrema conclusio, Quem, quæso, nostrum fefellit, id vos ita esse facturos? quam Cicero breuissimam putat. Itaq; ferè incisa membra mixta sunt, & conclusionem vtique desiderant. [Periodo plurima nomina dat Cicero, ambitum, circuitum, comprehensionem, continuationem, circumscriptionẽ,

Quo genere cõpositionis vbiq; vtẽdũ.

Incisum.

Membrum.

Periodus.

Genera eius duo ſunt, alterũ ſimplex, cum ſenſus vnus lõgiore ambitu circũducitur: alterũ quod cõſtat mẽbris & inciſis, quæ plures ſenſus habẽt, Aderat ianitor carceris, & carnifex Prætoris, & reliqua. Habet periodus membra minimũ duo. Medius numerus videtur quatuor, ſed recipit frequẽter & plura. Modus eius à Cicerone, aut quatuor ſenarijs verſibus, aut ipſius ſpiritꝰ modo terminatur. Præſtare debet, vt ſenſum concludat: ſit aperta, vt intelligi poſſit: nõ immodica, vt memoria contineri. Mẽbrũ lõgius, tardũ: breuius, inſtabile eſt. Vbicũq; acriter erit & inſtanter pugnacitérq; dicendũ, mẽbratim cæſimq; dicemꝰ. Nam hoc in oratione plurimum valet: adéoq; rebus accommodanda compoſitio, vt aſperis aſperos etiam numeros adhiberi oporteat, & cum dicente æquè audientem inhorreſcere. Membratim plerũq; narrabimus, aut ipſas periodos maioribus interuallis, & velut laxioribus nodis reſoluemus, exceptis quæ nõ docendi gratia, ſed ornandi narrantur, vt in Verrẽ Proſerpinæ raptus. Hæc enim lenis & fluens cõtextus decet. [Periodus apta proœmijs maiorũ cauſarũ, vbi ſolicitudine, cõmendatione, miſeratione res eget. Itẽ cõmunibus locis, & in omni ãplificatione: ſed poſcitur tum auſtera, ſi accuſes: tum fuſa, ſi laudes. Multũ & in epilogis pollet. Totum autẽ adhibendũ eſt, quo ſit amplius cõpoſitionis genus, cũ iudex non ſolũ rẽ tenet, ſed etiã captus eſt oratione, & ſe credit actori, & voluptate iam ducitur.

Proœmium.

Hiſtoria.

[Hiſtoria nõ tã finitos numeros, q̃ orbẽ quendã contextúmq; deſiderat. Nãq; omnia eius mẽbra connexa ſunt, quoniã lubrica eſt, ac fluit: vt homines, qui manibus inuicẽ apprehẽſis gradũ firmãt, continent, & continentur. Demõſtratiuũ genus omne fuſiores habet liberioréſq; numeros. Iudiciale & concionale vt materia varium eſt, ſic etiam ipſa collocatione verborum. Vbi iam nobis pars ex duabus (quas modo fecimus) ſecũda tractanda eſt. Nam quis dubitat alia lenius, alia concitatius, alia ſublimius, alia pugnacius, alia gracilius, alia grauius eſſe dicẽda? Grauibus, ſublimibus, ornatis, longas magis ſyllabas cõuenire? Ita vt lenia ſpatiũ, ſublimia & ornata claritatẽ quoque vocũ poſcant, potius quàm his contraria, Magis laudarẽ, breuibus argumẽta, partitiones, iocos, & quicqd eſt ſermoni magis ſimile. Itaq; cõponemꝰ proœmiũ varie, atq; vt ſenſus eius poſtulabit. Neq; enim acceſſerim Celſo, qui vnã quandam huic parti for-

mã dedit,& optimã compoſitionẽ eſſe procœmij, vt apud Aſiniũ,dixit,Si Cæſar ex omnibus mortalib⁹,qui ſint ac fuerint, poſſet huic cauſę diſceptator legi,nõ quiſquã tepotius optãdus nobis fuit.Nõ qa negẽ hoc bene eſſe cõpoſitũ,ſed quia legẽ hãc eſſe cõponẽdi in omnib⁹ principijs recuſem. Nã iudicis anim⁹ variè præparatur,tũ miſerabiles eſſe volum⁹, tũ modeſti, tum acres,tũ graues,tũ blandi, tũ flectere,tum ad diligẽtiã hortari. Hæc vt ſunt diuerſa natura,diſſimilem cõponẽdi quoq; rationem deſiderant.An ſimilibus Cicero vſus eſt numeris in exordio pro Milone,pro Cluẽtio pro Ligario? Narratio ferè tardiores,atq;(vt ſic dixerim)modeſtiores deſiderat pedes, & nominibus maxime mixtos.Nã & verbis,vt ſæpius preſſa eſt, ita interim inſurgit,ſed docere & infigere animis res ſemper cupit: quod minimè feſtinãtiũ opus eſt. Ac mihi videtur tota narratio cõſtare lõgioribus mẽbris,breuioribus periodis.[Argumenta acria & citata,pedib⁹quoq; ad hãc naturã accõmodatis vtẽtur.Nõ tamẽ ita vt trochæis,quæ celeria quidẽ, ſed ſine virib⁹ ſunt.Verùm quãuis ſint breuibus longíſq; mixta,nõ tamẽ plures lõgas q̃ breues habẽtia.Illa ſublimia, ſpatioſas claráſq; voces habẽt,amãt ãplitudinẽ.Dactyli quoq; ac pæones, etiam ſi maiori ex parte ſyllabis breuibus,tẽporibus tamẽ ſatis pleni.Aſpera cõtra iãbis maxime cõcitãtur:nõ ſolum q̃ ſint è duabus modo ſyllabis,eóq; frequẽtiorẽ quaſi pulſum habẽt, quæ res lenitati cõtraria eſt,ſed etiã q̃ omnibus pedib⁹ inſurgũt,& à breuibus in lõgas nitũtur & creſcũt.Ideóq; meliores choreis, qui à longis in breues cadunt.Summiſſa,qualia in epilogis, lentas & ipſa ſed minus exclamãtes exigũt.Vult eſſe Celſus aliquã & ſuperiorẽ cõpoſitionẽ,quã ſi quidẽ ſciremus, doceremus: ſed ſit neceſſe eſt tarda & ſupina. Verùm niſi ex verbis atq̃ ſentẽtijs per ſeſe id quæritur,ſatis odioſa eſſe non poterit.[Denique, vt ſemel finiam, ſic ferè componendũ quomodo pronunciandũ erit.An non in procœmijs plerumque ſummiſſi,niſi cum in accuſatione cõcitãdus eſt iudex,aut aliqua indignatione cõplendus?In narratione pleni atq; expreſſi?In argumẽtis citati, atq; ipſo etiã motu celeres ſumus?vt in locis ac deſcriptionibus fuſi ac fluentes,in epilogis plerũq; deiecti & infracti? Atqui corporis quoq; motu ſua quædã tẽpora,& ad ſigna pedum,nõ minus ſaltationi, q̃ modulationibus adhibet muſica ratio numeros.

Narratio.

Argumẽtatio

Generalis præceptio.

Quid? nō vox ad actus accōmodatur naturæ ipſarū de quibus dicimus rerū? Quo minus id mirū in pedibus orationis, cū debeāt ſublimia ingredi, lenia duci, acria currere, delicata fluere. Itaq; vbi eſt neceſſe, affectam⁹ etiā tumorē, qui ſpōdęis atq; iābis maximè cōtinetur, Hyperoarg⁹ ſceptra mihi liquit Pelops. At ille comicus æque ſenarius, quem trochaicū vocāt, pluribus choreis, q trochæi ab alijs dicūtur. Pyrrhichius quidē decurrit: ſed quātū celeritatis habet tātū grauitatis amittit, Quid igitur faciā? nō eā? ne nūc quidē? Aſperū verò & maledicū dictū etiā in carmine iābis graſſatur. Quis hoc poteſt videre? quis poteſt pati? niſi impudicus, & vorax, & aleo? In vniuerſum autē, ſi ſit neceſſe, durā potius atq; aſperā cōpoſitionē malim eſſe, q̄ effœminatā & eneruē: qualis apud multos, & quotidie magis laſciuimus, Sybaritarū modis ſaltitātes. At ne tā bona qdē vlla erit, vt debeat eſſe cōtinua, & in eoſdē ſemper pedes ire. Nā & verſificādi genus eſt vnā legē omnibus ſermonibus dare, & id cū manifeſta affectatione. cuius rei maximè cauenda ſuſpicio eſt, tū etiā tędiū ex ſimilitudine ac ſatietatē creat. Quóq; eſt dulci⁹, magis perdit amittitq; & fidē & affectus, motúſq; omnes, qui eſt in hac cura deprehēſus: nec poteſt ei credere, aut propter eū dolere, & iraſci iudex, cui putat hoc vacare. Ideóq; initia quædā quaſi ſoluēda de induſtria ſunt, illa quidē maximi laboris, ne laborata videātur. Sed neq; lōgioribus q̄ oportet hyperbatis cōpoſitioni ſeruiamus, ne quę eius gratia fecerimus, propter eā feciſſe videamur. Et certe nullū aptū atq; idoneū verbū prætermittemus gratia lenitatis. Neq; enim erit vllū tam difficile, quod non cōmodè inſeri poſſit, niſi quòd in euitandis eiuſmodi verbis non decorem compoſitionis quærimus, ſed facilitatē. Non tamen mirabor Latinos magis indulſiſſe compoſitioni, quàm Atticos, quamuis minus in verbis habeant varietatis & gratiæ. Nec vitiū dixerim ſi Cicero à Demoſthene paululū in hac parte deſciuit. Sed quæ ſit differentia noſtri Græcíq; ſermonis, explicabit ſūmus liber. Cōpoſitio (nā finē imponere egreſſo deſtinatū modū volumini feſtino) debet eſſe honeſta, iucūda, varia. Eius tres partes: ordo, cōiūctio, numer⁹. Ratio in adiectiōe, detractione, mutatiōe. Vſus p natura rerū, quas dicim⁹. Cura magna & ſētiēdi atq; loquēdi prior ſit: diſſimulatio curę pręcipua, vt numeri ſponte fluxiſſe, non arceſſiti, & coacti eſſe videātur.

M. FABII QVINTILIANI DE institutione oratoria, Liber X.

¶ De copia verborum. Cap. I.

SEd hæc eloquẽdi præcepta ſicut cognitioni ſunt neceſſaria, ita non ſatis ad vim dicendi valent, niſi illis firma quædã facilitas, quæ apud Græcos ἕξις nominatur, acceſſerit: quam ſcribẽdo plus, an legendo, an dicẽdo cõſequamur, ſolere quæri ſcio. Quod eſſet diligenti nobis examinandũ cura, ſi qualibet earum rerum poſſemus vna eſſe contenti. Verùm ita ſunt inter ſe connexa & indiſcreta omnia, vt ſi qui flexus ijſdem defuerint, fruſtra ſit in cæteris laboratum. Nam neque ſolida atque robuſta fuerit vnquam eloquentia, niſi multo ſtylo vires acceperit, & citra lectionis exemplum labor ille carens rectore fluit. Qui autem ſcierit quo ſint quæque modo dicenda, niſi tanquam in procinctu paratam quidem ad omnes caſus habuerit eloquentiam, velut clauſis theſauris incubabit. Non autem vt quicque præcipuè neceſſarium eſt, ſic ad efficiẽdum oratorem maximi protinus erit momenti. Nam certè cũ ſit in eloquendo oratoris officium poſitum, dicere ante omnia eſt: atque hinc initium eius artis fuiſſe manifeſtũ eſt: proximã deinde imitationem: nouiſſimã ſcribendi quoq; diligentiam. Sed vt peruenìri ad ſummam niſi ex principijs non poteſt, ita procedente iam opere, minima incipiunt eſſe, quæ prima ſunt. Verùm nos non quomodo inſtituẽdus orator, hoc loco dicim⁹ (nã id quidẽ, aut ſatis, aut certè vti potuimus à nobis dictum eſt) ſed vt athleta qui omnia iam perdidicerit à præceptore, ni mirum quo genere exercitationis ad certamina præparandus ſit: ita eum qui res inuenire & diſponere ſciet, verba quoque & eligendi & collocandi rationem perceperit, inſtruamus qua in oratione quæ dicere, quamoptimè, quamfacillimè poſſit. Non ergo dubium eſt, quin ei velut opes ſint quædam parandæ, quibus vti vbicunq; deſideratum erit, poſſit: eæ conſtant copia rerum ac verborum. ¶ Sed res proprię ſunt cuiuſcunque cauſæ, aut paucis communes, verba in vniuerſas paranda: quæ ſi in

Verborum copia legendo potiſſimũ & audiendo paranda.

rebus ſingulis eſſent, ſingula minorem curā poſtularent: nam cuncta ſeſe cum ijs protinus rebus offerrent. [Sed cū ſint alijs alia, aut magis propria, aut magis ornata, aut plus efficiētia, aut melius ſonantia, debēt eſſe nō ſolū nota omnia, ſed in prōptu, atq; (vt ita dicā) in cōſpectu: vt cū ſe iudicio dicētis oſtēderint, facilis ex his optimorū ſit electio. Equidē ſcio quoſdā collecta quæ idē ſignificarēt vocabula ſolitos ediſcere, quo facilius & occurreret vnū ex pluribus: & cū eſſent vſi aliquo, ſi breue intra ſpatiū rurſus deſideraretur, effugiēdæ repetitionis gratia ſumerēt aliud quo idē intelligi poſſet. Quod cū eſt puerile, & cuiuſdā infelicis operæ, tū etiā vtile parum. Turbā enim modo congregat, ex qua ſine diſcrimine occupet ꝓximū quodq;. Nobis autē copia cū iudicio paranda eſt, vim orandi, nō circulatoriam volubilitatem ſpectantibus. [Id autem conſequemur optima legendo & audiendo. Non enim ſolum ipſa nomina rerū cognoſcimus hac cura, ſed cui quicque loco ſit aptiſſimū. Omnibus enim ferè præter pauca quę ſunt parum verecunda, in oratione locus eſt. Nā ſcriptores iamborū veteríſq; comœdię etiā in illis ſæpe laudātur. Sed nobis noſtrū opus interī tueri ſatis eſt. Omnia verba (exceptis de quibus dixi) ſūt alicubi optima, & humilibus interim & vulgaribus opus eſt: & quæ cultiore in parte vidētur ſordida, vbi res poſcit, propria dicuntur. Hęc vt ſciamus, atq; eorū nō ſignificationem modo, ſed formas etiam mēſuráſq; norimus, & vbicunq; erūt poſita cōueniāt, niſi multa lectione atq; auditione aſſequi nō poſſumus, cū omnē ſermonē auribus primū accipiamus. Propter quod infantes à mutis nutricibus iuſſu regum in ſolitudine educati, etiam ſi verba quædam emiſiſſe tradūtur, tamē loquēdi facultate caruerūt. ¶ Sūt autē alia huius naturæ, vt idem pluribus vocibus declarent, ita vt nihil ſignificationis, quo potius vtaris, interſit, vt enſis & gladius: alia quæ etiā ſi propria rerum aliquarū ſunt nomina, προπικῶς tamē quaſi ad eundē intellectū ferūtur, vt ferrū & mucro. Nā per abuſionē ſicarios etiā omnes vocamus, qui cædem telo quocunq; cōmiſerint. Alia circuitu verborū plurium oſtendimus: quale eſt, Et preſſi copia lactis. Plurima verò mutatione figuramus. Scio, non ignoro, & non me fugit, nō me præterit: &, quis neſcit? nemini dubiū eſt. Sed etiam ex proximo mutari licet. Nam & intelligo, & ſentio, & video ſæpe idē valent, quod ſcio.

Verborū idē valentium varietas.

Quorum nobis vbertatem ac diuitias dabit lectio, vt non solũ quum occurrerint, sed etiam cum oportet, vtamur. Non semper enim hæc inter se idem faciunt: nec sicut de intellectu animi rectè dixerim video, ita de visu oculorum intelligo. Nec vt mucro gladium, sic mucronem gladius ostendit. Sed vt copiosus verborum sit paratus, ita non verborum tantum gratia legendum vel audiendum est. Nã omnium quæcunque docemus, hæc sunt exempla potentiora etiã ipsis quæ traduntur artibus, cũ eò qui discit perductus est, vt intelligere ea sine demõstrãte, & sequi iã suis viribus possit: quia quæ doctor præcipit, orator ostẽdit. ¶ Alia verò legẽtes, alia audientes magis adiuuãt. Auditio. Et excitat qui dicit spiritu ipso, nec imagine & ambitu rerũ, sed rebus incendit: Viuũt enim omnia & mouentur, excipimúsq; noua illa velut nascentia cum fauore ac solicitudine. Nec fortuna modo iudicij, sed etiam ipsorũ qui orãt, periculo afficimur. Præter hæc vox & actio decora commendabit quid quisque locus postulabit, & pronunciandi vel potissima in dicendo ratio: & vt semel dicam pariter omnia docent. [In lectione certius iudicium, quod audienti frequenter, aut suus cuiusque fauor, aut ille laudantium clamor extorquet. Pudet enim dissentire, & ab illis tacita quadam verecundia inhibemur plus nobis credere, cum interim & vitiosa pluribus placeant, & à corrogatis laudentur etiam quæ non placent. Sed econtrario quoque accidit vt optimè dictis gratiam praua iudicia non referant. Lectio libera est, nec actionis impetu transcurrit, sed repetere sæpius licet, siue dubites, siue memoriæ affigere velis. Repetimus autẽ & tractamus, & vt cibos mansos ac propè liquefactos demittimus, quo facilius digerantur, ita lectio non cruda, sed multa iteratione mollita, & velut confecta, memoriæ imitationíq; tradatur. Lectio. ¶ Ac diu non nisi optimus quisque, & qui credentem sibi minimè fallat legendus est, sed diligenter ac penè ad scribendi solicitudinem: nec per partes modo scrutanda omnia, sed perlectus liber vtique ex integro resumẽdus, præcipuè oratio, cuius virtutes frequenter ex industria quoque occultantur. Sæpe enim præparat dissimulatim insidias orator, atque in prima parte actionis dicit, quæ sunt in summa profutura. Itaq; suo loco minus placent, adhuc nobis quare dicta sunt ignorantibus, ideóq; erũt cognitis omnibus repetẽda. [Illud verò vtilissimũ,

Optimi quique autores quo modo legendi.

nosse eas causas quarũ orationes in manus sumpsimus,& quoties continget, vtrinque habitas legere actiones, vt Demosthenis & Aeschinis, inter se contrarias: vt Seruij Sulpitij & Messalæ, quorum alter pro Ausidia, contra dixit alter: vt Pollionis & Cassij, reo Asprenate, aliásque plurimas, [Quinetiam si minꝰ pares videbũtur, aliquæ tamen ad cognoscendam litium quæstionem rectè requirentur, vt contra Ciceronis orationes, Tuberonis in Ligarium,& Hortensij pro Verre. [Quinetiam easdem causas vtile erit scire. Nam pro domo Ciceronis dixit Callidius: & pro Milone orationẽ Brutus exercitationis causa scripsit, etiá si egisse eũ Cornelius Celsus falsò existimat. Et Pollio & Messala defenderũt eosdẽ,& nobis pueris insignes pro Volusẽo Catulo, Domitij Afri, Crispi Passieni, Decimi Lęlij, orationes ferebantur. [Neque id statim legenti persuasum sit, omnia quæ omnes authores dixerunt, vtique esse perfecta. Nam & labant aliquando, & oneri cedunt,& indulgent ingeniorũ suorũ voluptati, nec semper intendũt animũ, nónunquã fatigantur, cũ Ciceroni dormitare interĩ Demosthenes, Horatio etiã Homerus ipse videatur. Sũmi enim sunt, homines tamẽ: accidítque ijs, qui quicquid apud illos repererunt, dicẽdi legẽ putãt, vt deteriora imitentur (id enim est facilius) ac se abũde similes putẽt, si vitia magnorum consequantur. Modeste tamen & circumspecto iudicio de tantis viris pronũciandum est, ne (quod plerisque accidit) damnent quæ non intelligunt. Ac si necesse est in alteram errare partem, omnia eorum legẽtibus placere, quàm multa displicere maluerim. ¶ Plurimũ dicit oratori conferre Theophrastus lectionem poetarum, multíq; eius iudiciũ sequuntur: neque immerito. Namque ab ijs & in rebus spiritus, & in verbis sublimitas,& in affectibus motus omnis, & in personis decor petitur, præcipuéque velut attrita quotidiano actu forensi ingenia optimè rerum taliũ blanditia reparantur. Ideóque in hac lectione Cicero requiescẽdum putat. Meminerimus tamen non per omnia poetas esse oratori sequendos, nec libertate verborum, nec licentia figurarum, genus ostentationi cõparatum,& præter id quòd solam petit voluptatem,& eam fingendo nõ falsa modo, sed etiam quędam incredibilia sectatur: patrocinio quoq; aliquo iuuari poscit, quòd alligati ad certam pedum necessitatem non semper vti proprijs possint, sed depul

De Orat.

De poetis legendis.

si à recta via necessario ad eloquẽdi quædã diuerticula cõfugiant, nec mutare quædã modo verba, sed extendere, corripere, cõuertere, diuidere cogãtur. Nos verò armatos stare in acie, & summis de rebus decernere, & ad victoriam niti decet. Neque ego arma squallere situ ac rubigine velim, sed fulgore munita esse, qui terreãt, qualis est ferri, quo mẽs simul visúsq; perstringatur: nõ qualis auri argentíq; imbellis, & potius habẽti periculosus. ¶ Historia quoq; alere orationem quodã molli iucundóque succo potest. Verùm & ipsa sic est legenda, vt sciamus pleraſque eius virtutes oratori esse vitandas. Est enim proxima poetis, & quodammodo carmen solutum, & scribuntur ad narrandum, non ad probandum, totúmq; opus non ad intuitũ rei pugnámque præsentem, sed ad memoriam posteritatis & ingenij famã componitur. Ideóque & verbis liberioribus & remotioribus figuris narrandi tædium euitat. Itaque vt dixi, neque illa Sallustiana breuitas qua nihil apud aures vacuas atque eruditas potest esse perfectius, apud occupatum varijs cogitationibus iudicem, & sæpius ineruditum captanda nobis est: neq; illa Liuij lactea vbertas satis docebit eũ, qui nõ speciẽ expositionis, sed fidem quærit. Addeq; M. Tullius ne Thucydidem aut Xenophõtẽ vtiles oratori putat, quanq̃ illius bellicũ canorẽ, huius ore Musas esse locutas existimet. Licet tamẽ nobis in digressionibus vti vel historico nõnunq̃ nitore, dũ in ijs, de quib⁹ erit quęstio, meminerimus nõ athletarũ toros, sed militũ lacertos esse: nec versicolorem illam, qua Demetrius Phalereus dicebatur vti, vestem bene ad forensem puluerem facere. Est & alius ex historijs vsus, & is quidem maximus, sed non ad præsentem pertinens locum, ex cognitione rerum exemplorúmq;, quibus in primis instructus esse debet orator, ne omnia testimonia expetat à litigatore: sed pleraque ex vetustate diligenter sibi cognita sumat, hoc potentiora, quòd ea sola criminibus odij & gratiæ vacant. ¶ A philosophorum verò lectione vt essent nobis multa petenda, vitio factũ est oratorũ, qui quidẽ illis optima sui operis parte cesserunt. Nam & de iustis, honestis, vtilibus, ijsque quæ sint contraria, & de rebus diuinis maximè dicunt, & argumentantur acriter. Et altercationibus atque interrogationibus oratorem futurum optimè Socratici præparant. Sed ijs quoq; adhibẽdũ est simile iudiciũ, vt etiã cũ in rebus versemur

De historia.

De philosophis.

Quæ sint in quoque virtutes præcipuę.

ijsdem, nō tamē eandē esse conditionem sciamus litiū ac dispu tationū, fori & auditorij, pręceptorū & periculorū. ¶ Credo ex acturos plerosq;, cum tantum esse vtilitatis in legendo iudicemus, vt id quoq; adiūgamus operi q, sint, quæ in quoq; authore pręcipua virtus: sed pſequi singulos infiniti fuerit operis. Quippe cum in Bruto M. Tullius tot millibus versuum de Romanis tantum oratoribus loquatur, & tamen de omnibus ætatis suæ, quibúsque conuiuebat, exceptis Cæsare atq; Marcello, silētiū egerit: quis erit modus, si & illos q postea fuerūt, & Græcos omnes, & philosophos persequar? Fuerit igitur breuitas illa tutissima, quæ est apud Plinium in epistola ad filium scripta, Legendos Demosthenem atque Ciceronem, tū ita vt quisq; esset Demostheni & Ciceroni simillimus. Non est tamen dissimulanda nostri quoq; iudicij summa. Paucos & vix vllū ex ijs qui vetustatē pertulerūt, existimo posse reperiri, qui iudiciū adhibentib⁹

In Bruto.

non allaturus sit vtilitatis aliquid, cū se Cicero ab illis quoq; vetustissimis authoribus, ingeniosis quidem, sed arte carentibus, plurimum fateatur adiutum. Nec multo aliud de nobis sentio: quid enim quisque in varietate tumens, potēnsq;, ne minima quidem alicuius certæ fiducia partis memoriā posteritatis sperauerit? qui si quis est, intra primos statim versus deprehendetur, & citius nos dimittet, quàm vt eius nobis magno temporis detrimēto cōstet experimētū. Sed nō quicquid ad aliquā partē sciētiæ pertinet, protinus ad faciēdā etiam φράσιν (de qua loquimur) accommodatū. ¶ Verū antequam de singulis loquar pauca in vniuersum de varietate opinionum dicenda sunt. Nam

Opiniones de legendis authoribus.

quidam solos veteres legendos putant, neq; in vllis alijs esse naturalem eloquentiam & robur viris dignum arbitrantur, Alios recens hæc lasciuia deliciæq;, & omnia ad voluptatem multitudinis imperitæ composita delectant. Sunt etiam qui rectum dicendi genus sequi volūt. Alij pressa demum & tenuia, atq; quæ minimum ab vsu quotidiano recedant, sana & verè Attica putant. Quosdā elatior ingenij vis, & magis concitata, & aliàs spiritus plena capit. Sunt etiam lenis, & nitidi, & compositi generis non pauci amatores. de qua diligentia dissēram diligētius, cū de genere dicendi quærendum erit. Interim summam, quam, & à qua lectione petere possint, qui confirmare facultatem dicē di volunt, attingam. Paucos (sunt enim eminentissimi) excer-

pere in animo eſt, facile eſt autẽ ſtudioſis, qui ſint ijs ſimillimi iudicare. Nec quiſquam queratur omiſſos forte aliquos, quos ipſe valde probet. Fateor enim plures legendos eſſe, quàm qui nominabuntur. Sed nunc genera ipſa lectionum quæ præcipue conuenire intendẽtibus vt oratores fiant, exiſtimẽ, perſequar.

¶Igitur vt Aratus ab Ioue incipiendum putat, ita nos rite cœpturi ab Homero videmur. Hic enim (quemadmodũ ex Oceano dicit ipſe amniũ vim fontiúmq; curſus initium capere) omnibus eloquentiæ partibus exẽplum & ortum dedit. Hunc nemo in magnis rebus ſublimitate, in paruis proprietate ſuperauit. Idem lætus ac preſſus, iucundus & grauis, tum copia, tum breuitate mirabilis, nec poetica modo, ſed oratoria virtute eminẽtiſſimus. Náq; vt de laudibus, exhortationibus, cõſolationibúſque taceam, nónne vel nonus liber, quo miſſa ad Achillem legatio continetur, vel in primo inter duces illa contentio, vel dictæ in ſecundo ſentẽtiæ, omnes litiũ ac conſiliorum explicãt artes? Affectus quidem vel illos mites, vel hos concitatos, nemo erit tam indoctus, qui non in ſua poteſtate hunc authorem habuiſſe fateatur. Age verò, nónne in ſui vtriuſq; operis ingreſſu pauciſſimis verſibus legem procœmiorum nõ dico ſeruauit, ſed conſtituit? Nã & beneuolum auditorem inuocatione Dearum, quas præſidere vatibus creditum eſt, & intentum propoſita rerum magnitudine, & docilem ſumma celeriter comprehẽſa facit. Narrare verò quis breuius, quàm qui mortem nunciat Patrocli? quis ſignificantius poteſt, quàm qui Curetum Aetolorúmque prælium exponit? Iam ſimilitudines, amplificationes, exempla, digreſſus, ſigna rerum & argumenta, cæteráq; probandi ac refutãdi, ſunt ita multa, vt etiã qui de artibus ſcripſerũt, plurima earum rerum teſtimonia ab hoc poeta petant. Nam & epilogus quidẽ quis vnquã poterit illis rogantis Achillẽ Priami precibus æquari? Quid? in verbis, ſentẽtijs, figuris, diſpoſitiõe totius operis, nónne humani ingenij modũ exceſſit? vt magni ſit viri, virtutes eius nó æmulatione (quod fieri nõ poteſt) ſed intellectu ſequi. Verũ hic omnes ſine dubio, & in omni genere eloquentiæ procul à ſe reliquit: heroicos tamẽ præcipuè, videlicet quia clariſſima ĩ materia ſimilis cõparatio eſt. Raro aſſurgit Heſiodus, magnáq; pars ei⁹ in nominibus eſt occupata, tamẽ vtiles circa præcepta ſẽtẽtię, lenitáſq; verborũ & cõpoſitiõis pbabilis:

Homerus.

Iliad 18.

Iliad. 19.

Iliad. 24.

Heſiodus.

datúrq; ei palma in illo mediocri genere dicẽdi. Contra in Antimacho vis & grauitas, & minime vulgare eloquẽdi genus, habet laudẽ. Sed q̃uis ei ſecũdas ferè grãmaticorum cõſenſus deferat, & affectibus, & iucunditate, & diſpoſitione, & omnino arte deficitur, vt planè manifeſtéq; appareat quanto ſit aliud proximum eſſe, aliud ſecundum. Panyaſin ex vtroque mixtũ putãt, in eloquendo neutrius æquare virtutes, alterum tamen ab eo materia, alterum diſponẽdi ratione ſuperari. Apollonius in ordinẽ à grãmaticis datũ non venit, quia Ariſtarchus atq; Ariſtophanes poetarũ iudices neminẽ ſui tẽporis in numerũ redegerunt, nõ tamẽ contẽnendũ edidit opus, æquali quadã mediocritate. Arati materia motu caret, vt in qua nulla varietas; nullus affectus, nulla perſona cui vſq̃ ſit oratio: ſufficit tamẽ operi, cui ſe parẽ credidit. Admirabilis in ſuo genere Theocritus, ſed muſa illa ruſtica & paſtoralis nõ forũ modo, verũ ipſam etiã vrbẽ reformidat. Audire videor vndiq; cõgerentes nomina pluriorũ poetarũ. quid? Herculis acta non bene Piſandros? quid? Nicãdrum fruſtra ſecuti Macer atq; Virgilius? quid? Euphorionẽ fruſtra tranſibimus? quem niſi probaſſet Virgilius, idem nũquã certe conditorũ Chalcidico verſu carminum feciſſet in Bucolicis mentionem. quid? Horatius fruſtra Tyrtæum Homero ſubiungit? Nec ſanè quiſq̃ eſt tam procul à cognitione eorũ remotus, vt non indicem certe ex bibliotheca ſumptum tranſferre in libros ſuos poſſit. Nec ignoro igitur quos trãſeo, nec vtiq; damno, vt qui dixerim eſſe in omnibus vtilitatis aliquid: ſed ad illos iam perfectis conſtitutiſque viribus reuertemur: quod etiam in cœnis grandibus ſæpe facimus, vt cum optimis ſatiati ſimus, varietas tamen nobis ex vilioribus grata ſit. [Tunc & elegiã vacabit in manus ſumere, cuius princeps habetur Callimachus, ſecundas confeſſione plurimorũ Philætas occupauit. Sed dũ aſſequimur illã firmã (vt dixi) facilitatẽ, optimis aſſueſcẽdũ eſt, & multo magis quia multorũ lectione firmãda mẽs, & ducẽdus color. Itaq; ex tribus receptis Ariſtarchi iudicio ſcriptoribus iamborum ad ἦθος maximè pertinebit vnus Archilochus. Summa in hoc vis elocutionis, cum validæ, tum breues vibrantéſque ſententiæ, plurimum ſanguinis atque neruorũ, adeo vt videatur quibuſdam, quòd quidem minor eſt materię eſſe, non ingenij vitium. [Nouem verò lyricorum longe Pin-

Antimachus.
Panyaſis.
Apollonius.
Aratus.
Theocritus.
Piſander.
Nicander.
Euporion.
Tyrtæus.
Callimachus
Philætas.
Archilochus.
Pindarus.

darus princeps, ſpiritus magnificentia, ſententijs, figuris, beatiſ
ſima rerum verborúmque copia, & velut quodam eloquentiæ
flumine: propter quæ Horatius eũ merito credidit nemini imi
tabilem. Steſichorum, q̃ ſit ingenio validus, materię quoq; oſtẽ *Steſichorus.*
dunt, maxima bella, & clariſſimos canentem duces, & epici car
minis onera lyra ſuſtinentem. Reddidit enim perſonis in agen
do ſimul loquendóque debitam dignitatem, ac ſi tenuiſſet mo-
dum, videtur æmulari proximus Homerũ potuiſſe: ſed redun-
dat atq; effunditur, quod vt eſt reprehẽdẽdũ, ita copię vitiũ eſt.
Alcæus in parte operis aureo plectro merito donatur, quia tyrã *Alcæus.*
nos inſectatur: multũ etiã moribus confert, in eloquendo quo-
que breuis, & magnificus, & diligens, Homero ſimilis, ſed in lu
ſus & in amores deſcendit, maioribus tamen aptior. Simonides *Simonides.*
tenuis, alioqui ſermone proprio & iucunditate quadam com-
mendari poteſt: præcipua tamen eius in commouenda miſera
tione virtus, vt quidam in hac eum parte omnibus eiuſdem o-
peris authoribus præferant. [Antiqua illa Comœdia cum ſyn- *Comœdia antiqua.*
ceram illam ſermonis Attici gratiam propè ſola retinet, tum
fœcundiſſimæ libertatis, etſi eſt in inſectandis vitijs præcipua,
plurimum tamen virium etiam in cæteris partibus habet. Nã
& grandis, & elegans, & venuſta, & neſcio an vlla, poſt Homerũ
tamen, quem vt Achillem ſemper excipi par eſt, aut ſimilior
ſit oratoribus, aut ad oratores faciẽdos aptior. Plures eius autho
res: Ariſtophanes tamẽ, & Eupolis, Cratinúſque præcipui. [Tra *Ariſtophanes*
gœdias primus in lucem Aeſchylus protulit, ſublimis, & grauis *Tragœdiæ.*
& grandiloquus ſæpe vſque ad vitium, ſed rudis in pleriſque & *Aeſchylus.*
incompoſitus, propter quod correctas eius fabulas in certamen
deferre poſterioribus poetis Athenienſes permiſêre: Súntq; eo
modo multi coronati. Sed longe clarius illuſtrauerũt hoc opus
Sophocles atque Euripides, quorum in diſpari dicendi via vter *Sophocles.*
ſit poeta melior inter plurimos quæritur. Idque ego ſanè, quo *Euripides.*
niam in præſentem materiam nihil pertinet, iniudicatum re-
linquo. Illud quidem nemo nõ fateatur neceſſe eſt, ijs qui ſe ad
agendum comparant, vtiliorem longè Euripidem fore. Nam
is ſermone, quo ipſum reprehẽdunt, quibus grauitas & cothur-
nus & ſonus Sophoclis videtur eſſe ſublimior magis accedit o-
ratorio generi, & ſentẽtijs denſus, & in ijs quæ à ſapientibus tra
dita ſunt, penè ipſis par, & in dicẽdo atque reſpondẽdo cuilibet

eorum,qui fuerunt in foro diſerti comparandus.In affectib⁹ verò cum omnibus mirus,tum in ijs qui miſeratione conſtant facile præcipuus,& admirandus maxime eſt, vt ſæpe teſtatur & eum ſecutus,quanq̃ in opere diuerſo, Menander: qui vel vnus meo quidem iudicio diligẽter lectus,ad cuncta quæ præcipim⁹ efficienda ſufficiat:ita omnem vitæ imaginem expreſſit,tanta in eo inueniendi copia,& eloquendi facultas:ita eſt omnibus rebus,perſonis,affectibus accommodatus.Nec nihil profecto viderunt,qui orationes quæ Chariſij nomine eduntur, à Menandro ſcriptas putant.Sed mihi longè magis orator probari in opere ſuo videtur, niſi forte aut illa mala iudicia, quæ Epitrepontes,Epicleros,Locros habent,aut meditationes in Sophocle, & Nomothete Hypobolimæo,non omnib⁹ oratorijs numeris ſũt abſolutæ. Ego tamen plus adhuc quiddam collaturum eſſe declamatoribus puto,quoniam ijs neceſſe eſt ſecundum cõditionem controuerſiarũ plures ſubire perſonas,patrum,filiorũ,maritorum,militũ,ruſticorum,diuitum,pauperum,iraſcentium, deprecãtium,mitium,aſperorum.In quibus omnibus mirè cuſtoditur ab hoc poeta decor.Atq; ille quidem omnibus eiuſdẽ operis authoribus abſtulit nomen,& fulgore quodã ſuæ claritatis tenebras obduxit.Habẽt tamen alij quoque comici: ſi cum venia legantur,quædam quæ poſſis decerpere,& præcipue Philemõ,qui vt prauis ſui tẽporis iudicijs Menãdro ſæpe prælat⁹ eſt, ita cõſenſu omnium meruit credi ſecundus. [Hiſtoriam multi ſcripſere præclarè,ſed nemo dubitat longe duos cęteris præferendos,quorum diuerſa virtus laudem penè eſt parem conſecuta. Denſus & breuis & ſemper inſtans ſibi Thucydides, dulcis & candidus & effuſus Herodotus:ille cõcitatis,hic remiſſis affectibus melior:ille concionibus,hic ſermonibus:ille vi, hic voluptate.Theopõpus ijs proximus,vt in hiſtoria prędictis minor, ita oratori magis ſimilis,vt qui antequam eſt ad hoc opus ſolicitatus, diu fuerit orator,Philiſtus quoque meretur * qui turbæ, quãuis bonorũ poſt hos authorũ eximatur,imitator Thucydidis: & vt multo infirmior,ita aliquatenus lucidior.Ephorus vt Iſocrati viſum,calcarib⁹ eget.Clitarchi probatur ingeniũ,fides infamatur.Longo poſt interuallo temporis natus Timagenes, vel hoc ipſo probabilis,quòd intermiſſam hiſtorias ſcribẽdi induſtriã noua laude reparauit.Xenophõ nõ excidit mihi,ſed in-

Menander.
Philemon.
Hiſtoriographi.
Thucydides.
Herodotus.
Theopõpus.
Philiſtus.
Ephorus.
Clitarchus.
Timagenes.
Xenophon.

ter philoſophos reddendus eſt. [Sequitur oratorum ingens ma nus, vt decem ſimul Athenis ætas vna tulerit, quorũ lóge prin ceps Demoſthenes, ac penè lex orandi fuit: tãta vis in eo, tã dẽ ſa omnia, ita quibuſdã neruis intẽta ſunt, tã nihil ocioſũ, is di cẽdi modus, vt nec quid deſit in eo, nec quid redũdet inuenias. Plenior Aeſchines, & magis fuſus, & grandiori ſimilis, quo mi nus ſtrictus eſt: carnis tamẽ plus habet, minus lacertorum. Dul cis in primis & acutus Hyperides eſt, ſed minoribus cauſis, vt nõ dixerim vtilior, magis par. His ætate Lyſias maior, ſubtilis atq; elegãs & quo nihil, ſi oratori ſatis ſit docere, quæras perfe ctius: nihil enim eſt inane, nihil arceſſitum: puro tamẽ fonti, q̃ magno flumini propior. Iſocrates in diuerſo genere dicendi ni tidus & comptus, & palæſtræ q̃ pugnę magis accõmodatus, om nes dicendi veneres ſectatus eſt: nec immerito: auditorijs enim ſe, nõ iudicijs cõpararat: inuẽtione facilis, honeſti ſtudioſus: in compoſitione adeo diligens, vt cura eius reprehendatur. Neque ego in his, de quibus ſum locutus, has ſolas virtutes, ſed has prę cipuas puto, nec cæteros parum fuiſſe magnos. Quinetiam Pha lereum illum Demetrium (quanquam is primus inclinaſſe elo quẽtiã dicitur) multũ ingenij habuiſſe, & facũdiæ fateor, vel ob hoc memoria dignũ, q̃ vltimus eſt ferè ex Atticis qui dici poſ ſit orator, quẽ tamẽ in illo medio genere dicẽdi præfert omni bus Cicero. [Philoſophorum, ex quibus plurimũ ſe traxiſſe elo quentiæ M. Tullius confitetur, quis dubitet Platonẽ eſſe præci puum? ſiue acumine diſſerendi, ſiue eloquendi facultate diuina quadam & Homerica? multũ enim ſupra proſam orationem, & quã pedeſtrẽ Græci vocãt, ſurgit: vt mihi non hominis inge nio, ſed quodã Delphico videatur oraculo inſtinct9. Quid ego cõmemorẽ Xenophontis illã iucunditatẽ inaffectatã? ſed quã nulla affectatio cõſequi poſſit, vt ipſæ ſermonẽ Gratiæ finxiſſe videantur: & quod de Pericle veteris comœdiæ teſtimonium eſt, in hunc tranſferri iuſtiſſimè poſſit, In labris eius ſediſſe quã dam perſuadendi deam. Quid reliquorum Socraticorum ele gantiam? quid Ariſtotelẽ? quem dubito ſcientia rerum an ſcri ptorũ copia, an eloquendi ſuauitate, an inuentionum acumi ne, an varietate operũ clariorẽ putẽ. Nã in Theophraſto tam eſt eloquendi nitor ille diuinus, vt ex eo quoque nomen tra xiſſe dicatur. Minus indulſêre eloquentiæ Stoici veteres, ſed

Oratores.
Demoſthenes
Aeſchines.
Hyperides.
Lyſias.
Iſocrates.
Phaſereus
Demetrius.
Philoſophi.
Plato.
Pedeſtris oratio.
Xenophon.
Ariſtoteles.
Theophraſtus.
Stoici.

ſed cũ honeſta ſuaſerunt, tũ in eligendo probandóq; quod inſti
tuerãt, plurimũ valuerunt: rebus tamẽ acuti magis, q̃ (id quod
Latini authores. ſanè non affectant) oratione magnifici. ¶ Idẽ nobis per Roma-
nos quoq; authores ordo ducẽdus eſt. Itaq; vt apud illos Home
Virgilius. rus, ſic apud nos Virgilius auſpicatiſſimũ dederit exordiũ, om-
niũ generis eiꝰ poetarũ Græcorũ noſtrorúmq; illi haud dubiè p
ximus. Vtar enim verbis ijſdem, quæ ab Afro Domitio iuue-
nis excepi: qui mihi interroganti, quem Homero crederet ma
xime accedere, Secundus, inquit, eſt Virgilius, propior tamen
primo quàm tertio. Et hercle vt illi naturæ cæleſti atque im-
mortali ceſſerimus, ita curę & diligẽtiæ vel ideo in hoc plus eſt,
quòd ei fuit magis laborandum, & quantum eminentioribus
vincimur, fortaſſe æqualitate penſamus. Cæteri omnes longè
Macer. ſequentur. Nam Macer & Lucretius legendi quidem, ſed non
Lucretius. vt phraſin, id eſt corpus eloquentiæ faciãt: elegantes in ſua quiſ
Varro. que materia, ſed alter humilis, alter difficilis. Attacinus Varro
in ijs per quæ nomen eſt aſſecutus, interpres operis alieni, non
Ennius. ſpernendus quidem, verùm ad augendã facultatẽ dicẽdi parũ
locuples. Enniũ ſicut ſacros vetuſtate lucos adoremus: in qui-
bus grandia & antiqua robora iam non tantam habent ſpeciẽ,
quantam religionem. Propiores alij, atque ad hanc phraſin de
qua loquimur, magis vtiles. Laſciuus quidem in heroicis quan-
Ouidius. quam Ouidius, nimium amator ingenij ſui, laudandus tamen
Cornelius. parcius. Cornelius autem Seuerus, etiam ſi verſificator quàm
Seuerus. poeta melior, ſi tamen vt eſt dictũ, ad exemplar primi libri bel
lũ Siculum perſcripſiſſet, vendicaret ſibi iure ſecundum locũ.
Sed eũ conſummari mors immatura non paſſa eſt: puerilia ta-
men eius opera & maximam indolem oſtendunt, & admirabi-
lem præcipuè in ætate illa recti generis volũtatem. Multum in
Val. Flaccus Valerio Flacco nuper amiſimus. Vehemens & poeticũ ingeniũ
Saleius Baſſus. Saleij Baſſi fuit, nec ipſum ſenectute maturuit. Rabirius, ac Pe-
Rabirius. do non indigni cognitione, ſi vacet. Lucanus ardens, & conci-
Pedo. tatus, & ſentẽtijs clariſſimꝰ, & vt dicã quod ſentio, magis ora-
Lucanus. toribus q̃ poetis annumerandus. Hos nominauimus, quia Ger-
Germanicus Auguſt. manicum Auguſtũ, ab inſtitutis ſtudijs deflexit cura terrarũ,
parúmq; dijs viſum eſt eſſe eũ maximum poetarum. Quid ta-
mẽ ijſipſis eius operibus, in quę donatus imperio iuuenis ſucceſ
ſerat, ſublimius, doctius, omnibus deniq; numeris pręſtantius?

Quis enim caneret bella melius, quàm qui sic gerit? quem prę-
sidentes studijs deæ propius audirent? cui magis suas artes ape-
riret familiare numen Mineruæ? Dicent hæc plenius futura se-
cula. Nũc enim cæterarum fulgore virtutum laus ista pręstrin-
gitur. Nos tamen sacra literarum colentes, feras Cęsar, si non
tacitum hoc præterimus, & Virgiliano certe versu testamur, *Elegiaci.*
Inter victrices hederã tibi serpere lauros. [Elegia Græcos quo- *Tibullus.*
que prouocamus, cuius mihi tersus atque elegans maxime vi- *Propertius.*
detur author Tibullus. Sunt qui Propertium malint. Ouidius *Ouidius.*
vtroq; lasciuior, sicut durior Gallus. [Satyra quidem tota no- *Gallus.*
stra est, in qua primus insignem laudẽ adeptus est Lucilius, qui *Satyrici.*
quosdam ita deditos sibi adhuc habet amatores, vt eum nõ eis- *Lucilius.*
dem modo operis authoribus, sed omnibus poetis præferre nõ
dubitent. Ego quantum ab illis, tantum ab Horatio dissentio,
qui Lucilium fluere lutulẽtum, & esse aliquid quod tollere pos-
sis, putat. Nam eruditio in eo mira, & libertas, atq; inde acerbi-
tas, & abunde salis. Multo est tersior, ac purus magis Horatius, *Horatius.*
& ad notandos hominum mores præcipuus. Multũ & veræ glo-
riæ, quamuis vno libro, Persius meruit. Sunt clari hodie quoq; *Persius.*
& qui olim nominabuntur. Alterum illud est & prius Satyræ *Iuuenalis.*
genus, quod non sola carminum varietate mixtum condidit
Terentius Varro vir Romanorũ eruditissimus. Plurimos hic *Varro.*
libros & doctissimos cõposuit, peritissimus linguę latinæ, & om
nis antiquitatis, & rerum Græcarum nostrarũmq;, plus tamen
scientiæ collaturus quàm eloquentiæ. [Iambus non sane à Ro *Iambici.*
manis celebratus est vt proprium opus à quibusdam interposi-
tus, cuius acerbitas in Catullo, Bibaculo, Horatio, quanquam il *Catullus.*
li epodos interuenire non reperiatur. [At lyricorum idem Ho *Bibaculus.*
ratius ferè solus legi dignus. Nã & insurgit aliquando, & plenus *Horatius.*
est iucunditatis & gratiæ, & varijs verbis & figuris felicissimè *Lyrici.*
audax. Si quẽ adijcere velis, is erit Cæsius Bassus, quem nuper *Cæsius*
vidimus, sed eum longe præcedunt ingenia viuentium. [Tra- *Bassus*
gœdiæ scriptores Accio atq; Pacuuius, clarissimi, grauitate sen- *Martialis.*
tentiarum verborũmque pondere & authoritate personarum. *Tragici.*
Cæterum nitor & summa in excolendis operibus manus, ma- *Accius.*
gis videri potest temporibus quàm ipsis defuisse. Virium tamẽ *Pacuuius.*
Accio plus tribuitur: Pacuuium videri doctiorem, qui esse do-
cti affectant, volunt. Iam Varij Thyestes cuilibet Græcorum *Varius.*

Ouidius. cõparari potest. Ouidij Medea videtur mihi ostendere, quan-
Pomponius Secundus. tum vir ille præstare potuerit, si ingenio suo temperare quàm indulgere maluisset. Eorum quos viderim, lõge princeps Pomponius Secundus, quem senes parum tragicum putabant, erudi
Comici, tione ac nitore præstare confitebantur. [In comœdia maxime claudicamus: licet Varro Musas Aelij Stolonis sententia, Plau
Plautus. tino dicat sermone locuturas fuisse, si latinè loqui vellent: licet
Cæcilius. Cæciliũ veteres laudibus ferant: licet Terẽtij scripta ad Scipio-
Terentius. nem Aphricanum referantur. Quæ tamen sunt in hoc genere elegantissima, & plus adhuc habitura gratiæ, si intra versus trimetros stetissent. Vix leuẽ consequimur vmbrã, adeo vt mihi sermo ipse Romanus non recipere videatur illam solis concessam Atticis venerem, quãdo eam ne Græci quidẽ in alio genere linguæ obtinuerint. Togatis excellit Afranius, vtinámq; nõ
Togati. inquinasset argumenta puerorum fœdis amoribus, mores suos
A franius. fassus. [At historia non cesserit Græcis, nec opponere Thucydi
Historici. di Sallustium verear, nec indignetur Herodotus sibi æquari T. Liuium, cum in narrando miræ iucunditatis, clarissimíq; can-
T. Liuius. doris, tum in concionibus supra, quàm narrari potest eloquentem: ita dicuntur omnia cũ rebus, tũ personis accõmodata: sed affectus quidem præcipuè eos qui sunt dulciores, vt parcissimè dicam, nemo historicorum cõmendauit magis. Ideóq; immortalem illam Sallustij velocitatem, diuersis virtutibus consecutus est. Nam mihi egregiè dixisse videtur Seruilius Nouianus, pares eos magis quàm similes, qui & ipse à nobis auditus est clarus ingenio, & sententijs crebrior, sed minus expressus q̃ historiæ authoritas postulat: quam paulum ætate præcedens eũ Bas-
Bassus sus Aufidius egregiè vtique in libris belli Germanici præstitit,
Aufidius. genere ipso probabilis in omnibus, sed in qubusdam viribus minor. Supereſt adhuc, & exornat ætatis nostræ gloriam vir se-
Corn. Tac. culorum memoria dignus, qui olim nominabitur, nunc intelligitur. Habet amatores, nec imitatores, vt libertas quanquã circũcisis quæ dixisset, ei nocuerit. Sed elatũ abunde spiritũ, & audaces sententias deprehẽdas etiam in ijs quæ manent. Sũt & alij
Oratores. scriptores boni, sed nos genera degustamus, non bibliothecas excutimus. [Oratores verò vel præcipue latinam eloquẽtiam parem facere Græcę possunt. Nam Ciceronem cuicunq; eorum fortiter opposuerim. Nec ignoro quantam mihi concitem pu-

gnam, cum præsertim id nō sit propositi, vt eum Demosthenicōparem hoc tēpore. Neq; enim attinet, cū Demosthenem in primis legendum vel ediscendum potius putem. Quorum ego virtutes pleraſq; arbitror similes, cōsiliū, ordinem diuidendi, probandi rationem, omnia deniq; quæ sunt inuentionis. In eloquendo est aliqua diuersitas: densior ille, hic copiosior: ille concludit astrictus, hic latius pugnat: ille acumine semper, hic frequenter & pondere: illi nihil detrahi potest, huic nihil adijci: cuiq; plus in illo, in hoc naturæ. Salibus certe & commiseratione, qui duo plurimum affectus valent, vincimus. Et fortasse epilogos illi mos ciuitatis abstulerit, sed & nobis illa quæ Attici mirantur, diuersa Latini sermonis ratio minus permiserit. In epistolis quidem, quanq̄ sunt vtriusq;, nulla contentio est. Cedendum verò in hoc, q̄ & ille prior fuit, & ex magna parte Ciceronem, quāt⁹ est, fecit. Nā mihi videtur M. Tullius cū se totū ad imitationē Grecorū cōtulisset, effinxisse vim Demosthenis, copiam Platonis, iucunditatē Isocratis. Nec verò quod in quoq; optimū fuit, studio consecutus est tantū, sed plurimas vel poti⁹ omnes ex seipso virtutes extulit, immortalis īgenij beatissima vbertate. Nō enim pluuias (vt ait Pindarus) aquas colligit, sed viuo gurgite exundat, dono quodā prouidētiæ genitus, in quo totas vires suas eloquētia experiretur. Nā quis docere diligēti⁹? mouere vehemētius potest? cui tāta vnq̄ iucūditas affuit? vt ipsa illa quæ extorquet, impetrare eū credas: & cū transuersum vi sua iudicem ferat, tamen ille non rapi videatur, sed sequi. Iā omnibus quæ dicit tāta authoritas inest, vt dissentire pudeat: nec aduocati studiū, sed testis aut iudicis afferat fidē. Tum interim hæc omnia, quæ vix singula quisq̄ intentissima cura cōsequi posset, fluunt illaborata: & illa qua nihil pulchri⁹ auditu est oratio, præ se fert tamen felicissimā facilitatē. Quare nō immerito ab hominibus ætatis suæ regnare in iudicijs dict⁹ est: apud posteros vero id consecutus, vt Cicero iam nō hominis nomē, sed eloquentiæ habeatur. Hūc igitur spectemus, hoc propositū nobis sit exemplū: ille se profecisse sciat, cui Cicero valde placebit. Multa in Asinio Pollione inuētio, summa diligentia, adeo vt quibusdā etiā nimia videatur, & cōsilij & animi satis, à nitore & iucūditate Ciceronis ita longe abest, vt videri possit seculo prior. At Messala nitid⁹ & cādid⁹, & quodāmodo prę se ferēs in

Ciceronis & Demosthenis cōparatio.

Ciceronis laudes.

Asinius Pollio.

Messala.

C. Cæsar. Cic. in Brut.

dicendo nobilitatem suam, viribus minor. C. verò Cæsar si foro tantum vacasset, non alius ex nostris contra Ciceronem nominaretur: tanta in eo vis est, id acumen, ea concitatio, vt illũ eodem animo dixisse, quo bellauit, appareat. Exornat tamẽ hæc omnia mira sermonis, cuius proprie studiosus fuit, elegantia.

Cælius.

Multum ingenij in Cælio, & præcipuè in accusando, multa vrbanitas, dignúsq; vir cui & mens melior & vita longior contigisset. Inueni qui Caluum præferrent omnibus, inueni qui contrà crederent eum nimia contra se calumnia verum sanguinẽ perdidisse. Sed est & sancta & grauis oratio, & castigata & frequẽter vehemens quoq;. Imitator autem est Atticorum, fecitque illi properata mors iniuriam, si quid adiecturus, non si quid detracturus fuit.

Caluus.

Seruius Sulpitius.

Et Seruius Sulpitius insignẽ nõ immerito famã tribus orationibus meruit. Multa si cum iudicio legatur, dabit imitatione digna Cassius Seuer⁹, qui si cæteris virtutibus colorem & grauitatem orationis adiecisset, ponendus inter præcipuos foret. Nam & ingenij plurimum est in eo, & acerbitas mira, & vrbanitas, & vis summa: sed plus stomacho quàm consilio dedit: præterea vt amari sales: ita frequenter amaritudo ipsa ridicula est.

Cassius Seuerus.

Sunt & alij multi diserti, quos persequi longum est. Eorum quos viderim, Domitius Afer, & Iulius Africanus longe præstantissimi: verborum arte ille, & toto genere dicendi præferendus, & quem in numero veterum locare non timeas: hic concitatior, sed in cura verborum nimius, & compositione nonnunquam longior, & translationibus parũ modicus. Erant clara & nuper ingenia. Nam & Trachallus plerumq; sublimis, & satis apertus fuit, & quẽ velle optima crederes, auditus tamẽ maior. Nam & vocis quãtam in nullo cognoui felicitas: & pronunciatio vel scenis suffectura, & decor, omnia deniq; ei quæ sunt extra superfuerunt.

Domitius Afer.

Iulius Africanus.

Trachallus.

Et Vibius Crispus compositus, & iucũdus, & delectationi natus, priuatis tamen causis quàm publicis melior. Iulio Secundo, si longior contigisset ætas, clarissimum profecto nomen oratoris apud posteros foret. Adiecisset enim atque adijciebat cæteris virtutibus suis quod desiderari potest. Id est autem vt esset multo magis pugnax, & sæpius ad curam rerum ab elocutione respiceret. Cæterum interceptus quoque magnum sibi vendicat locum. Ea est facundia, tanta in explicãdo quod velit, gratia, tam candidum, & lene, & speciosum di-

Vibius Crispus.

Iulius Secundus.

cendi genus, tãta verborum etiam quę assumpta sunt, proprietas, tanta etiam in quibusdam ex periculo petitis significantia. Habebunt qui post nos de oratoribus scribẽt, magnam eos qui nunc vigent materiam vere laudandi. Sunt enim summa hodie, quibus illustratur forum, ingenia. Namque & consummati iam patroni veteribus æmulantur, & eos iuuenum ad optima tendentium imitatur ac sequitur industria. [Supersunt qui de philosophia scripserunt, quo in genere pauciſſimos adhuc eloquentes literæ Romanæ tulerunt. Idem igitur M. Tullius, qui vt vbiq;, etiam in hoc opere Platonis æmulus extitit. Egregius verò multóq; quàm in orationibus pręstantior Brutus, sufficit ponderi rerum, scias eum sentire quæ dicit. Scripsit non parũ multa Cornelius Celsus Scepticos secutus, non sine cultu ac nitore. Plancus in Stoicis rerum cognitioni vtilis. In Epicureis leuis quidem, sed non iniucundus tamen author est Catius. Ex industria Senecam in omni genere eloquentiæ versatũ distuli, propter vulgatam falsò de me opinionem, qua damnare eum, & inuisum quoque habere sum credit⁹. Quod accidit mihi, dũ corruptum, & omnibus vitijs fractum dicendi genus reuocare ad seueriora iudicia contẽdo. Tum autem ferè solus hic in manibus adolescentium fuit. quem non equidem omnino conabar excutere, sed potioribus præferri non sinebam, quos ille nõ destiterat incessere, cum diuersi sibi cõscius generis, placere se in dicendo posse, in quibus illi placerent, diffideret. Amabãt autem eum magis quàm imitabantur: tantúmque ab eo defluebant, quantum ille ab antiquis descenderat. Foret enim optandum, pares aut saltem proximos illi viro fieri. Sed placebat propter sola vitia, & ad ea se quisque dirigebat effingenda, quæ poterat. Deinde cum se iactaret, eodem modo dicere, Senecã infamabat. Cuius & multæ alioqui & magnæ virtutes fuerunt, ingenium facile & copiosum, plurimum studij, & multarum rerum cognitio: in qua tamen aliquando ab ijs quibus inquirenda quędam mandabat, deceptus est. Tractauit etiam omnem ferè studiorum materiam. Nam & orationes eius, & poemata, & epistolæ, & dialogi feruntur. In philosophia parum diligens, egregius tamen vitiorum insectator fuit. Multæ in eo claræq; sentẽtiæ, multa etiam morum gratia legẽda: sed in eloquendo corrupta pleraq;, atque eo pernicioſiſſima, ꝙ abundant dulcibus vitijs,

Philosophi Latini.
Tullius.
Brutus.
Cor. Celsus.
Plancus.
Catius.
Seneca.

velles eum ſuo ingenio dixiſſe, alieno iudicio. Nam ſi aliqua contempſiſſet, ſi parum concupiſſet, ſi non omnia ſua amaſſet, ſi rerum pondera minutiſſimis ſententijs non fregiſſet, cõſenſu potius eruditorũ quàm puerorum amore cõprobaretur. Verùm ſic quoq; iam robuſtis, & ſeuerioregenere ſatis firmatis legendus, vel ideo quòd exercere poteſt vtrumq; iudiciũ. Multa enim (vt dixi) probanda in eo, multa etiam admiranda ſũt: eligere modo curæ ſit, quod vtinam ipſe feciſſet. Digna enim fuit illa natura, quæ meliora vellet, quæ quod voluit effecit.

¶ De imitatione. Cap. II.

EX his cæteriſq; lectione dignis authoribus & verborum ſumenda copia eſt, & varietas figurarum, & componendi ratio, tum ad exemplum virtutum omnium mens dirigenda. Neque enim dubitari poteſt, quin artis pars magna contineatur imitatione. Nam vt inuenire primum fuit, éſtq; præcipuum, ſic ea quæ benè inuenta ſunt, vtile ſequi. Atque omnis vitę ratio ſic conſtat, vt quæ probamus in alijs, facere ipſi velimus. Sic literarũ ductus, vt ſcribendi fiat vſus, pueri ſequũtur: ſic muſici vocem docentium, pictores opera priorũ, ruſtici probatam experimento culturam in exemplũ intuentur. Omnis denique diſciplinæ initia ad propoſitum ſibi præſcriptum formari videmus. Et hercule neceſſe eſt, aut ſimiles bonis, aut diſſimiles ſimus. Similem raro natura præſtat, frequẽter imitatio. Sed hoc ipſum quod tanto faciliorem nobis rationem rerũ omnium facit, quàm fuit, ijs qui nihil quod ſequerentur habuerũt niſi caute & cum iudicio apprehẽditur, nocet. [Ante omnia igitur imitatio per ſe ipſa non ſufficit, vel quia pigri eſt ingenij contentum eſſe ijs quæ ſunt ab alijs inuenta. Quid enim futurum erat temporibus illis quæ ſine exemplo fuerunt, ſi homines nihil niſi quod iam cognouiſſent, faciendũ ſibi, aut cogitandum putaſſent? Nempe nihil fuiſſet inuentũ. Cur igitur nefas eſt reperiri aliquid è nobis, quod ante non fuerit? An illi rudes ſola mentis natura ſunt in hoc vt tã multa generarent, nos ad quærendũ non eo ipſo cõcitemur, ꝙ certe ſcimus inueniſſe eos qui quæſierint? Et cum illi qui nullum cuiuſquam rei habuerunt magiſtrum, plurima in poſteros tradiderint, nobis vſus illarum rerum ad eruendas alias nõ proderit? ſed nihil habebimus niſi beneficij alieni? quemadmodum quidã pictores

Imitatio vtilis eſt, ſed per ſe non ſufficit.

in id solũ studẽt, vt describere tabulas mensuris ac lineis sciãt. Turpe etiam illud est, esse cõtentum id consequi, quod imiteris. Nam rursus quid erat futurũ, si nemo plꝰ effeciſſet eo quod sequebatur? Nihil in poetis supra Liuium Andronicũ, nihil in historijs supra pontificum annales haberemus: ratibus adhuc nauigaremus: non esset pictura nisi quæ lineas modo extremas vmbræ, quam corpora in sole feciſſent, circunscriberet. At si omnia percenseas, nulla sit ars qualis inuenta est, nec intra initium stetit: nisi forte nostra potiſſimum tempora damnamus huius infelicitatis, vt nunc demũ nihil crescat. Nihil enim crescit sola imitatione. Quòd si prioribus adijcere fas nõ est, quomodo sperare possimus vllum oratorẽ perfectũ? cũ in ijs quos maximos adhuc nouimus, nemo sit inuentus, in quo nihil aut desideretur, aut reprehendatur. Sed etiã qui summã non appetent, cõtendere potius, quàm sequi debent. Nã qui agit vt prior sit, forsitan etiam si nõ transierit, æquabit. Eum verò nemo potest æquare, cuius vestigijs sibi vtiq; insistẽdum putat. Necesse enim semper sit posterior, qui sequitur. Adde qꝺ plerumq; facilius est plus facere, quàm idem. Tãtam enim difficultatem habet similitudo, vt ne ipsa quidẽ natura in hoc ita eualuerit, vt nõ res quæ simillimæ videãtur, vtiq; discrimine aliquo discernantur. Adde quòd quicquid alteri simile est, necesse est minꝰ sit eo quod imitatur, vt vmbra corpore, & imago facie, & actꝰ histrionum veris affectibus. Quod in orationibꝰ quoq; euenit. Namq; ijs quæ in exemplũ assumimus, subest natura, & vera vis: cõtrà omnis imitatio ficta est, & ad alienũ propositũ accommodatur. Quo fit, vt minus sanguinis ac viriũ declamationes habeãt, q̃ orationes: quòd in illis vera, in his assimilata materia est. Adde qꝺ ea quę in oratore maxima sunt, imitabilia nõ sunt, ingeniũ, inuentio, vis, facilitas, & quicquid arte non traditur. Ideóq; pleriq; cum verba quædã ex orationibꝰ excerpserũt, aut aliquos cõpositionis certos pedes, mire à se quæ elegerũt, effingi arbitrantur: cum verba intercidant, inualescántq; temporibus, vt quorũ certiſſima sit regula in cõsuetudine, eáq; non sua natura sint bona aut mala (nã per se soni tantũ sunt) sed prout opportunè propriéq; aut secꝰ collocata sũt, & cõpositio cũ rebꝰ accõmodata sit, tũ ipsa varietate grauiſſima. ¶ Quapropter exactiſſimo iudicio circa hãc partẽ studiorũ examinãda sunt oía.

Primo ſpectandum & quos imitemur, & qua in re.

Primum quos imitemur. Nam ſunt plurimi, qui ſimilitudine peſſimi cuiuſque & corruptiſſimi concupierunt. Deinde in ipſis quos elegerimus, quid ſit ad quod efficiendum nos comparemus. Nam in magnis quoq; authoribus incidũt aliqua vitioſa, & à doctis inter ipſos etiam mutuo reprehenſa: atq; vtinam tam bona imitantes dicerent melius, quàm mala peius dicũt. Nec verò ſaltem ijs quibus ad euitanda vitia iudicij ſatis fuit, ſufficiat imaginem virtutis effingere, & ſolam, vt ſic dixerim, cutem, vel potius illas Epicuri figuras, quas è ſummis corporibus dicit effluere. Hoc autem ijs accidit, qui non introſpectis penitus virtutibus ad primum ſe velut aſpectum orationis aptarunt, & cum ijs feliciſſime ceſſit imitatio, qui verbis atq; numeris ſunt non multũ differentes, vim dicendi atq; inuentionis non aſſequuntur: ſed plerumque declinant in peius, & proxima virtutibus vitia comprehendunt, fiúntque pro grandibus tumidi, preſſis exiles, fortibus temerarij, lætis corrupti, cõpoſitis exultantes, ſimplicibus negligentes. Adeóq; qui horridè atque incõpoſitè quidlibet frigidũ & inane extulerint, antiquis ſe pares credũt: qui carẽt cultu atq; ſententijs, Atticis: qui prę-ciſis concluſionibus obſcuri, Salluſtium atq; Thucydidem ſuperant: triſtes & ieiuni, Pollionem æmulantur: ocioſi & ſupini, ſi quid modo longius circunduxerunt, iurant ita Ciceronem loquuturum fuiſſe. Noueram quoſdam, qui ſe pulchrè expreſſiſſe genus illud huius cæleſtis in dicendo viri ſibi viderentur, ſi in clauſula poſuiſſent, Eſſe videatur. ¶ Ergo primũ eſt, vt quod imitaturus eſt quiſq;, intelligat: & quare bonum ſit, ſciat. Tũ in ſuſcipiendo onere conſulat ſuas vires. Nam quia quædam ſunt inimitabilia, quibus aut infirmitas naturæ non ſufficiat, aut diuerſitas repugnet, ne cui tenue ingenium erit, ſola velit fortia & abrupta: cui forte quidem, ſed indomitum, amore ſublimitatis & vim ſuam perdat, & elegantiam quam cupit, non perſequatur. Nihil eſt enim tam indecens, quàm cum mollia dura fiunt. Atque ego illi præceptori, quem inſtitueram in lib. ij. tradidi non ea ſola docenda eſſe, ad quæ quemq; diſcipulorũ natura compoſitum videret. Nam is & adiuuare debet quæ in quoque eorum inuenerit bona, & quantum fieri poteſt, adijcere quæ deſunt, & emendare quædam & mutare. Rector enim eſt aliorum ingeniorum atq; formator: difficilius eſt naturam

Intelligendũ id quod imitari velis, & pro modo virium ſuſcipiẽdum.

SORBONNE

ſuam fingere. Sed ne ille quidem doctor, quanquã omnia quæ recta ſunt velit eſſe in ſuis auditoribus quàm pleniſſima, in eo tamen cui naturam obſtare viderit, laborabit. ¶ Id quoque vitãdum, in quo magna pars errat, ne in oratione poëtas nobis & hiſtoricos, in illorũ operibus oratores aut declamatores imitãdos putemus. Sua cuiq; propoſita lex, ſuus cuiq; decor eſt. Nec comœdia in cothurnos aſſurgit, nec contra tragœdia ſocco ingreditur. Habet tamen omnis eloquentia aliquid commune. Id imitemur, quod cõmune eſt. [Etiam ſolet hoc incommodi accidere ijs, qui ſe vni alicui generi dediderũt, vt ſi aſperitas ijs placuit alicuius, hanc etiam in leni ac remiſſo cauſarum genere non exuant: ſi tenuitas ac nuditas, in aſperis grauibúſq; cauſis ponderi rerum parum reſpondeant. Cum ſit diuerſa nõ cauſarum modo inter ſeipſas cõditio, ſed in ſingulis etiam partiũ cauſæ: ſintque alia leniter, alia aſperè, alia concitatè, alia remiſſè, alia docendi, alia mouẽdi gratia dicenda, quorum omnium diſſimilis atq; diuerſa inter ſe ratio eſt. ¶ Itaque ne hoc quidẽ ſuaſerim, vni ſe alicui propriè, quem per omnia ſequatur, addicere. Longe omnium perfectiſſimus Græcorum Demoſthenes, aliquid tamen aliquo in loco melius alij: plurima ille, ſed non qui maximè imitandus, etiam ſolus imitãdus eſt. Quid ergo? non eſt ſatis omnia ſic dicere quomodo M. Tullius dixit? Mihi quidem ſatis eſſet, ſi omnia conſequi poſſem. Quid tamen noceret vim Cæſaris, aſperitatẽ Cælij, diligentiã Pollionis, iudicium Calui, quibuſdam in locis aſſumere? Nam præter id quòd prudentis eſt, quod in quoq; optimũ eſt, ſi poſſit, ſuum facere: tum in tãta rei difficultate, vnum intuentes vix aliqua pars ſequitur. Ideóq; cum totum exprimere quẽ elegeris penè ſit homini incõceſſum, plurium bona ponam⁹ ante oculos, vt aliud ex alio hæreat, & quod cuiq; cõueniat, aptemus. ¶ Imitatio aũt (nam ſæpius idẽ dicã) non ſit tantũ in verbis. Illic intendenda mens, quantum fuerit illis viris decoris in rebus atq; perſonis, quod conſilium, quæ diſpoſitio, quàm omnia etiam quæ delectationi videantur data, ad victoriã ſpectẽt, quid agatur proœmio, quæ ratio, & quàm varia narrandi, quæ vis probandi ac refellendi, quanta in affectibus omnis generis mouẽdis ſcientia, quantáque laus ipſa popularis vtilitatis gratia aſſumpta. quæ tum eſt pulcherrima, cum ſequitur, non cum accerſitur. Hæc

Decorũ materiæ ſeruandũ.

Non vni ſolũ inhærẽdũ, ſed plures proponendos.

Quæ in imitãdo ſpectãda.

si præuiderimus, tum verè imitabimur. Qui verò etiã propria his bona adiecerit, vt suppleat quę deerant, circuncidat si quid redundabit, is erit (quem quærimus) perfectus orator: quẽ nũc consummari potissimum oportebat, cum tanto plura exempla bene dicendi supersunt, quàm illis qui adhuc summi sunt, contigerunt. Nam erit hæc quoque laus eorũ, vt priores superasse, posteros docuisse dicantur.

¶ Quis modus scribendi sit. Cap. III.

De ora. i.

ET hæc quidem auxilia extrinsecus adhibentur: in ijs aũt quæ nobisipsis paranda sunt, vt laboris sic vtilitatis etiã longe plurimum affert stylus. Nec immerito M. Tullius hunc optimum effectorem ac magistrum dicendi vocat. Cui sententiæ personã L. Crassi in disputationibus quæ sunt de oratore assignando, iudiciũ suum cũ illius authoritate coniunxit. Scribendum ergo quàm diligentissime, & quamplurimũ. Nam vt natura altius effossa generandis alendísq; seminibus fœcundior fit, sic profectus à summo petitus studiorum fructus effundit vberius, & fidelius continet. Nã sine hac quidẽ conscientia, ipsa illa ex tempore dicendi facultas inanẽ modo loquacitatẽ dabit, & verba in labris nascentia: illic radices, illic fundamẽta sunt, illic opes, velut sanctiore quodã ærario reconditæ, vnde ad subitos quoq; casus, cũ res exiget, proferãtur. Vires faciamꝰ ante omnia quæ sufficiant labori certaminũ, & vsu nõ exhauriantur. Nihil enim rerũ ipsa natura voluit magnũ effici citò, ꝓ posuítq; pulcherrimo cuiq; operi difficultatẽ: quæ nascẽdi quoque hanc fecerit legem, vt maiora animalia diutius visceribus parentũ cõtinerentur. ¶ Sed cũ sit duplex quæstio, quo modo, & quæ maxime scribi oporteat, iam hinc ordinẽ sequar. Sit primo vel tardus, dum diligens stylus: quæramus optima, nec ꝓtinus se offerentibus gaudeamus: adhibeatur iudiciũ inuentis, dispositio probatis. Delectus enim rerũ verborúmq; habendus est, & pondera singulorum examinãda. Postea subeat ratio collocandi: versentúrq; omni modo numeri, non vt quodque se proferet verbum occupet locum. Quæ quidem vt diligentius exequamur, repetẽda sæpius erunt scriptorum proxima. Nam præter id quòd sic melius iunguntur prioribus sequentia, calor quoq; ille cogitationis, qui scribẽdi mora refrixit, recipit ex integro vires, & velut repetito spatio sumit impetũ, quod in cer-

Quomodo scribendũ.

tamine ſaliendi fieri videmus, vt conatum longius petãt, & ad illud quo contenditur ſpatiũ, curſu ferantur: vtq; in iaculando brachia reducimus, & expulſuri tela neruos retro tendim⁹. Interim tamen, ſi fuerit flatus, danda ſunt vela, dũ nos indulgentia illa nõ fallat. Omnia enim noſtra dũ naſcuntur placẽt: alioqui nec ſcriberentur. Sed redeamus ad iudiciũ, & tractemus ſuſpectam facilitatem. Sic ſcripſiſſe Salluſtium accepimus, & ſane manifeſtus eſt etiam ex opere ipſo labor. Virgiliũ quoq; pauciſſimos die cõpoſuiſſe verſus, author eſt Varr⁹. Oratoris quidẽ alia conditio eſt. Itaq; hanc morã & ſolicitudinem initijs impero. Nam primum hoc conſtituendum, hoc obtinendum eſt, vt quàmoptimè ſcribamus: celeritatem dabit conſuetudo. Paulatim res facilius ſe oſtendent, verba reſpondebunt, cõpoſitio ſequetur: cuncta denique, vt in familia bene inſtituta, in officio erunt. Summa hæc eſt rei, cito ſcribendo non fit vt bene ſcribatur, bene ſcribendo fit vt cito. Sed tũ maxime cum facilitas illa contigerit, reſiſtamus, prohibeamus, & efferentes equos frenis quibuſdã coerceamus: quod nõ tam morã faciet, quàm nouos impetus dabit. Nec enim rurſ⁹ eos qui robur aliquod in ſtylo fecerunt, ad infelicem calũniandi ſe pœnã alligandos puto. Nam quo modo ſufficere ciuilibus officijs poſſit, qui ſingulis actionum partibus inſeneſcat? [Sũt autẽ quibus nihil ſit ſatis, omnia mutare, omnia aliter dicere q̃ occurrit, velint: ĩcreduli quidã, & de ĩgenio ſuo peſſime meriti, qui diligentiã putant facere ſibi ſcribendi difficultatẽ. Nec prõptũ eſt dicere, vtros peccare validius putẽ, quibus omnia ſua placent, an quibus nihil. Accidit etiã ingenioſis adoleſcẽtibus frequenter, vt labore cõſumantur, & in ſilentium vſq; deſcendant nimia bene dicendi cupiditate. Qua de re memini narraſſe mihi Iuliũ Secundum illum æqualem meũ; atq; à me, vt notum eſt, familiariter amatũ, miræ facundiæ virũ, infinitæ tamen curę, quid eſſet ſibi à patruo ſuo dictum. Is fuit Iulius Florus in eloquentia Galliarum (quoniam ibi demum exercuit eam) princeps, alioqui inter paucos diſertus, & dignus illa propinquitate. Is cum Secundum ſcholæ adhuc operam dantem, triſtem forte vidiſſet, interrogauit, quæ cauſa frontis tã obductæ? nec diſſimulauit adoleſcẽs, tertiũ iã diẽ eſſe, ex quo omni labore materiæ ad ſcribẽdum deſtinatæ non inueniret exordium: quo ſibi non præſens

Vitia in vtrã que partem.

tantum dolor, ſed etiam deſperatio in poſterum fieret. Tũ Florus arridens, Nunquid tu, inquit, melius dicere vis q̃ potes? Ita ſe res habet, curandum eſt, vt quàmoptime dicamus: dicendũ tamen pro facultate. Ad profectum enim opus eſt ſtudio, non indignatione. Vt poſſimus autem ſcribere etiam plura & celerius, non exercitatio modo præſtabit, in qua ſine dubio multũ eſt, ſed etiam ratio: ſi non reſupini ſpectantéſque tectum, & cogitationẽ murmure agitantes expectauerimus quid obueniat, quid res poſcat, quid perſonam deceat, quod ſit tempus, qui iudicis animus, quo animo tandem ad ſcribendum acceſſerim⁹. Sic nobis & initia, & quæ ſequuntur, natura ipſa præſtabit. Certa ſunt enim pleraque, & niſi conniueamus, in oculos incurrũt. Ideo nec indocti, nec ruſtici diu quærunt vnde incipiant: quo pudendum eſt magis, ſi difficultatem facit doctrina. Non ergo putem⁹ optimũ eſſe ſemper quod latet, ne immuteſcam⁹, alioqui nihil dicendum videatur, niſi quod non inuenimus. [Diuerſum eſt huic eorum vitium, qui primo quaſi decurrere per materiam ſtylo quàmuelociſſimo volunt, & ſequentes calorem atque impetum, ex tempore ſcribunt: hanc ſyluam vocant. Repetunt deinde, & componunt quæ effuderant: ſed verba emendantur & numeri manent in rebus temere congeſtis, quæ fudit leuitas. Protinus ergo adhibere curam rectius erit, atque ab initio ſic opus ducere, vt cælandum, non ex integro fabricandum ſit. Aliquando tamẽ affectus ſequemur, in quibus ferè plus calor quàm diligentia valet. ¶ Satis apparet ex eo quòd hanc ſcribentium negligentiam damno, quid de illis dictandi delicijs ſentiam. Nam in ſtylo quidem quamlibet properato dat aliquam cogitationi moram non conſequens celeritatem eius manus. Ille cui dictamus vrget, atque interim pudet etiam dubitare, aut reſiſtere, aut mutare, quaſi conſcium infirmitatis noſtræ timentes. Quo fit, vt non rudia tantum & fortuita, ſed impropria interim, dum ſola eſt connectendi ſermonis cupiditas, effluant, quæ nec ſcribentium curam, nec dicentium impetum conſequantur. At idem ille qui excipit, ſi tardior in ſcribẽdo aut inertior in legẽdo, velut offenſator fuerit, inhibetur curſus, atq; omnis quæ erat cõceptæ mentis intẽtio, mora, & interdũ iracundia excutitur. Tum illa quæ altiorẽ animi motum ſequũtur, quæque ipſa animum quodammodo

De dictãdo.

concitant, quorum est iactare manum, torquere vultũ, simul vertere latus, & interim obiurgare, quæ q; Persius notat cum leniter dicendi genus significat, Nec plus eum (inquit) cędit, nec demorsos sapit vngues, etiã ridicula sunt, nisi cum soli sumus. ¶ Deniq; ut semel, quod est potentissimum, dicam, secretum in dictando, atque liberum arbitris locum, & quàm altissimum silentium scribentibus maximè conuenire nemo dubitauerit. Non tamen protinus audiendi, qui credũt aptissima in hoc nemora syluásque, quòd illa cæli libertas locorúmque amœnitas sublimem animum, & beatiorem spiritum parent. Mihi certe iucundus hic magis, quàm studiorum hortator videtur esse secessus. Namque illa ipsa quæ delectant, necesse est auocent ab intentione operis destinati. Neque enim se bona fide in multa simul intendere animus totum potest: & quocunque respexerit, desinit intueri quod propositum fuerat. Quare syluarum amœnitas, & præterlabentia flumina, & inspirantes ramis arborum auræ, volucrúmque cãtus, & ipsa latè circumspiciendi libertas, ad se trahũt: vt mihi remittere potius voluptas ista videatur cogitationem, quàm intendere. Demosthenes melius, qui se in locum, ex quo nulla exaudiri vox, nihilq; prospici posset, recondebat, ne aliud agere mentem cogerent oculi. Ideóque lucubrantes silentium noctis, & clausum cubiculum, & lumen vnum velut tectos maximè teneat. ¶ Sed cum in omni studiorum genere, tum in hoc præcipuè bona valetudo, quęque eam maximè præstat, frugalitas necessaria est, cum tempora ab ipsa rerum natura ad quietem refectionémque nobis data, in acerrimum laborem conuertimus. Cui tamen non plus irrogandum est, quàm quod somno supererit, haud deerit. Obstat enim diligẽtiæ scribendi etiã fatigatio: & abundè, si vacet, lucis spatia sufficiunt, occupatos in noctẽ necessitas agit. Est tamen lucubratio, quoties ad eam integri ac refecti venimus, optimum secreti genus. ¶ Sed silentium, & secessus, & vndique liber animus, vt sunt maximè optanda, ita non possunt semper contingere. Ideóque non statim si quid obstrepet, abijcendi codices erunt, & deplorandus dies: verùm incommodis repugnandum, & hic faciendus vsus, vt omnia quæ impediunt, vincat intentio: quam si tota mente in opus ipsum direxeris, nihil eorum quæ oculis vel auribus incursant, ad animum

Satyr. 1.

Locus secretus eligẽdus.

Valetudini seruiendum.

pueniet. An verò frequẽter etiã fortuita hoc cogitatio præstat, vt obuios nõ videamus, & itinere deerremus: nõ consequemur idem si & voluerimus? Nõ est indulgendum causis desidiæ. Nã si non nisi refecti, non nisi hilares, non nisi omnibus alijs curis vacãtes, studendũ existimauerimus, semper erit propter quod nobis ignoscam⁹. Quare in turba, itinere, cõuiuijs vel cõcione etiã faciat sibi cogitatio ipsa secretũ. Quid alioqui fiet, cũ ĩ medio foro, tot circũstantibus iudicijs, iurgijs, fortuitis etiã clamoribus, erit subito cõtinua oratiõe dicendũ? si particulas quas cæris mãdam⁹, nisi ĩ solitudine reperire nõ possum⁹? Propter quæ ille idẽ tantus amator secreti Demosthenes, in littore, in quod se maximo cum sono fluctus illideret, meditans cõsuescebat concionum fremitus non expaueſcere. ¶ Illa quoque minora (sed nihil in studijs paruum est) non sunt trãseunda, scribi optimè cæris, in quibus facillima est ratio delendi: nisi forte visus infirmior membranarum potius vsum exiget, quæ vt iuuant aciem, ita crebra relatione, quoad intinguntur calami, morantur manum, & cogitationis impetum frangunt. Relinquendæ autem in vtrolibet genere vacuæ tabellæ, in quibus libera adijciendi sit excursio. Nam interim pigritiam emendanti angustiæ faciunt, aut certe nouorum interpositione priora confunduntur. Ne latas quidem vltra modum esse cæras velim, expertus iuuenem studiosum alioqui prælongos habuisse sermones, quia illos numero versuum metiebatur: ídq; vitium, quod frequenti admonitione corrigi non potuerat, mutatis codicibus esse sublatum. Debet vacare etiam locus in quo notentur, quæ scribentibus solent extra ordinem, id est ex alijs, quàm qui sunt in manibus locis occurrere. Irrumpunt enim optimi nonnunquam sensus, quos neque inserere oportet, nec differre tutum est: quia interim elabuntur, interim memoriæ suæ intentos ab alia inuentione declinant. Ideóque optimè sunt in depositio.

D sidia remouenda.

In cæris scribendum.

¶ De emendatione. Cap. IIII.

SEquitur emendatio, pars studiorũ longe vtilissima. Neq; enim sine causa creditum est, stylum non minus agere cum delet. Huius autẽ operis est adijcere, detrahere, mutare. Sed facilius in ijs simpliciú sque iudicium, quæ replenda vel deijcienda sunt: premere verò tumentia, humilia extolle-

re, luxuriantia ſtringere, inordinata digerere, ſoluta componere, exultantia coërcere, duplicis operæ. Nam & damnanda ſunt quæ placuerant, & inuenienda quæ fugerant. [Nec dubiũ eſt, optimum eſſe emendandi genus, ſi ſcripta in aliquod tempus reponantur, vt ad ea poſt interuallum velut noua atque aliena redeamus, ne nobis ſcripta noſtra quaſi recentes fœtus blandiantur. Sed neque hoc contingere ſemper poteſt, præſertim oratori, cui ſæpius ſcribere ad præſentes vſus neceſſe eſt. Et ipſa emendatio finem habet. Sunt enim qui ad omnia ſcripta tanquam vitioſa redeant, & quaſi nihil fas ſit rectum eſſe quod primum eſt, melius exiſtiment, quicquid eſt aliud: idque faciant, quoties librum in manus reſumpſerint, ſimiles medicis etiam integra ſecantibus. Accidit itaq; vt cicatricoſa ſint, & exanguia, & cura peiora. Sit ergo aliquãdo quod placeat, aut certe quod ſufficiat: vt opus poliat lima, non exterat. [Temporis quoque eſſe debet modus. Nam quòd Cinnæ Smyrnam nouem annis accipimus ſcriptam, & Panegyricum Iſocratis, qui parciſſimè decem annis dicunt elaboratum, ad oratorem nihil pertinet: cuius nullum erit, ſi tam tardum fuerit auxiliũ.

¶ Quæ ſcribenda ſint præcipue. Cap. V.

PRoximum eſt vt dicamus, quæ præcipuè ſcribẽda ſint. Hoc exuberantis quidem eſt operis, vt explicemus quæ ſint materiæ: quæ prima aut ſecunda, aut deinceps tractanda ſint. Nam id factum eſt etiam primo libro, quo puerorum: & ſecundo, quo iam robuſtorum ſtudijs ordinem dedimus. Sed de quo nunc agitur, vnde copia & facilitas maximè veniat. ¶ Vertere græca in latinum veteres noſtri oratores optimum iudicabant. Id ſe L. Craſſus in illis Ciceronis de Oratore libris dicit factitaſſe. Id Cicero ſua ipſe perſona frequentiſſimè præcipit. Quinetiam libros Platonis atque Xenophontis edidit hoc genere tranſlatos. Marco id Meſſalæ placuit, multæque ſunt ab eo ſcriptæ ad hunc modum orationes: adeo vt etiam cum illa Hyperidis pro Phryne difficillima Romanis ſubtilitate cõtenderet. Et manifeſta eſt exercitationis huius ſcratio: nam & rerum copia Græci authores abundant, & plurimum artis in eloquentiã intulerunt, & hos trãſferentibus, verbis vti optimis licet. Omnibus enim vtimur noſtris. Figuras verò quibus maximè ornatur oratio, multas & varias excogitãdi

Vertẽda græca in latinũ.

Latina in se ipſa vertẽda.

etiam neceſſitas quædam eſt: quia plerumque à Græcis Romana diſſentiunt. ¶ Sed etiam illa ex latinis conuerſio multũ & ipſa contulerit. Ac de carminibus quidem neminem credo dubitare, quo ſolo genere exercitationis dicitur vſus eſſe Sulpitius. Nam & ſublimis ſpiritus attollere orationem poteſt, & verba poetica libertate audaciora præſumunt eandem propriè dicendi facultatem. Sed & ipſis ſententijs adijcere licet oratoriũ robur, & omiſſa ſupplere, & effuſa ſubſtringere. Neque ego παράφραση eſſe interpretationem tãtum volo, ſed circa eoſdem ſenſus certamen atque æmulationem. [Ideóque ab illis diſſentio, qui vertere orationes latinas vetant, quia optimis occupatis, quicquid aliter dixerimus, neceſſe ſit eſſe deterius. Nam neque ſemper eſt deſperãdum aliquid illis quæ dicta ſunt, melius poſſe reperiri: neq; adeo ieiunam ac pauperem natura eloquentiã fecit, vt vna de re bene dici niſi ſemel non poſſit. Niſi forte hiſtrionum multa circa voces eaſdẽ variare geſtus poteſt, orandi minor vis, vt dicatur aliquid, præter quod in eadẽ materia nihil dicendũ ſit. Sed eſto, neq; melius quod inuenimus ſit, nec par: eſt certe ꝓximis locus. An nõ ipſi nos bis ac ſæpius de eadẽ re dicimus, & quidem continuas nonnunquam ſententias? Niſi forte contendere nobiſcum poſſumus, cum alijs non poſſumus. Nam ſi vno tãtum genere bene dicetur, fas erit exiſtimari præcluſam nobis à prioribus viam in dicendo. Nunc verò innumerabiles ſunt modi, plurimęq; eódem viæ ducunt: ſua breuitati gratia, ſua copiæ, alia tranſlatis virtus, alia proprijs. Hoc oratio recta, illud figura declinata cõmendat. Ipſa deniq; vtiliſſima eſt exercitationi difficultas. Quid, ꝙ authores maximi ſic diligentius cognoſcuntur? Non enim ſcripta, lectione ſecura tranſcurrimus, ſed tractamus ſingula, & neceſſariò introſpicimus, & quantũ virtutis habeant vel hoc ipſo cognoſcimus, ꝙ imitari non poſſumus. ¶ Nec aliena tantum trãſferre, ſed etiã noſtra pluribus modis tractare ꝓderit, vt ex induſtria ſumam⁹ ſententias quaſdã, eáſq; verſemus quàmnumeroſiſſime, velut eadẽ cæra aliæ atq; aliæ formæ duci ſolent. Plurimũ autẽ parari facultatis exiſtimo ex ſimpliciſſima quaque materia. Nã in illa multiplici perſonarũ, cauſarum, temporũ, locorũ, dictorũ, factorũ diuerſitate facilè deliteſcet infirmitas, tot ſe vndiq; reb⁹ ex quibus aliqua apprehẽdas, offerẽtibus. Illud virtutis indiciũ

eſt, fundere quæ natura contracta ſunt, augere parua, varietatẽ ſimilibus, voluptatẽ expoſitis dare, & bene dicere multa de paucis. In hoc optimè facient infinitæ quæſtiones, quas vocari Theſeis diximus: quibus Cicero iam princeps in rep. exerceri ſolebat. His confinis eſt deſtructio & confirmatio ſentẽtiarum. Nã cum ſit ſententia decretum quoddam atque præceptum, quod de reo idem de iudicio rei quæri poteſt. Tum loci communes, quos etiam ſcriptos ab oratoribus ſcimus. Nam qui hęc recta tãtum, & in nullos flexus recedentia copioſe tractauerit: vtique in illis plures excurſus recipientibus magis abũdabit, erítque in omnes cauſas paratus. Omnes enim generalibus quæſtionibus conſtant. Nam quid intereſt, Cornelius Trib. pl. quòd codicem legerit, reus ſit, an quæramus violetur ne maieſtas, ſi magiſtratus rogationem ſuam populo ipſe recitauerit? Milo Clodium recte ne occiderit, veniat in iudicium, an oporteat ne inſidiatorem interfici, vel pernicioſum reipub. ciuẽ, etiam ſi non inſidietur? Cato Martiam honeſtè ne tradiderit Hortenſio, an cõueniat, nec ne talis bono viro? De pſonis iudicatur, ſed de rebus contenditur. ¶ Declamationes verò quales in ſcholis rhetorũ dicũtur, ſi modo ſunt ad veritatem accommodatę, & orationibus ſimiles, non tantũ dũ adoleſcit iuuenis, ſunt vtiliſſimæ, quæ inuentionem & diſpoſitionem pariter exercent, ſed etiam cũ eſt conſummatus, ac iam in foro clarus. Alitur enim atque eniteſcit velut pabulo lætiore facundia, & aſſidua contẽtionum aſperitate fatigata renouatur. Quapropter hiſtoriæ nõnunq; vbertas in aliqua exercendi ſtyli parte ponenda, & dialogorum libertate geſtiendum. Ne carmine quidem ludere contrarium fuerit, ſicut athletæ remiſſa quibuſdam temporibus ciborum atque exercitationum certa neceſſitate, ocio & iucundioribus epulis reficiuntur. Ideóque mihi videtur M. Tullius tãtum intuliſſe eloquentiæ lumen, q̃ in hos quoque ſtudiorum ſeceſſus excurrit. Nam ſi nobis ſola materia fuerit ex litibus, neceſſe eſt deteratur fulgor, & dureſcat articulus, & ipſe ille mucro ingenij quotidiana pugna retundatur. [Sed quemadmodũ forenſibus certaminibus exercitatos, & quaſi militantes reficit ac reparat hæc velut ſagina dicendi: ſic adoleſcentes non debẽt nimiũ in falſa rerũ imagine detineri, & inanibus ſimulacris, vſque adeo vt difficilis ab ijs digreſſus ſit aſſuefacere, ne ab illa in

De declamãdo.

qua propè conſenuerint vmbra, vera diſcrimina velut quendã ſolem reformident. Quod accidiſſe etiam Porcio Latroni, qui in primis clari nominis profeſſor fuit traditur: vt cum ei ſummam in ſcholis opinionem obtinenti cauſa in foro eſſet oranda, impenſe petierit, vti ſubſellia in baſilicam tranſferrentur: ita illi cælum nouum fuit, vt omnis eius eloquentia contineri tecto ac parietibus videretur. Quare iuuenis, qui rationem inueniendi eloquendíque à præceptoribus diligenter acceperit (quod nõ eſt infiniti operis, ſi docere ſciãt) & vel exercitationẽ quoque modicam fuerit conſecutus, oratorem ſibi aliquem (quod apud maiores fieri ſolebat) deligat, quem ſequatur, quem imitetur, iudicijs interſit quamplurimis, & ſit certaminis cui deſtinatur frequens ſpectator, tum cauſas vel eaſdem quas agi audierit, ſtylo & ipſe componat, vel etiã alias, veras modo, & vtrunque tractet, & quod in gladiatoribus fieri videmus, in rebus actis exerceatur: vt feciſſe Brutũ diximus pro Milone. Melius hoc quàm reſcribere veteribus orationibus, vt fecit Sextius contra Ciceronis actionem habitam pro eodem, cum alteram partem ſatis noſſe non poſſet ex ſola defenſione. Citius autem ſic idoneus erit iuuenis, quem præceptor coegerit in declamando quãſimillimum eſſe veritati, & per totas ire materias, quarum nunc facillima & maximè fauorabilia decerpunt. Obſtat huic (quod ſecundo libro poſui) ferè turba diſcipulorum, & conſuetudo claſſium certis diebus audiendarum, nonnihil etiam perſuaſio patrum numerantium potius declamationes, quàm æſtimantium. Sed quod dixi primo (vt arbitror) libro, nec ille ſe bonus præceptor maiore numero, quàm ſuſtinere poſſit, onerabit, & nimiam loquacitatem recídet, vt omnia quæ ſunt in controuerſia, non (vt quidam volunt) quæ in rerum natura dicantur: & vel longiore potius dierum ſpatio laxabit dicendi neceſſitatem, vel materias diuidere permittet. Vna enim diligenter effecta plus proderit, quàm plures inchoatę, & quaſi deguſtatę. Propter quod accidit, vt nec ſuo loco quicquam ponatur, nec illa quæ prima ſunt ſeruent ſuam legem, iuuenibus floſculos omnium partium in ea quæ ſunt dicturi congerentibus: quo fit, vt timentes ne ſequentia perdant, priora confundant.

¶De cogitatione. Cap. VI.

PRoxima stylo cogitatio est, quæ & ipsa vires ab hoc accipit, & est inter scribendi laborem, extemporalémq; fortunam media quædã, & nescio an vsus frequentissimi. Nam scribere, nec vbiq; nec semper possumus, cogitationi tẽporis ac loci plurimũ est. Hæc paucis admodum horis magnas etiam causas complectitur. Hæc quoties intermissus est somn⁹ ipsis noctis tenebris adiuuatur. Hæc inter medios rerum actus aliquid inuenit vacui, nec ocium patitur. Neq; verò rerum ordinem modo (quod ipsum satis erat) intra se ipsa disponit: sed verba etiam copulat, totámq; ita contexit orationem, vt ei nihil præter manum desit. Nam memoriæ quoq; plerunq; inhæret fidelius, quod nulla scribendi securitate laxatur. [Sed ne ad hanc quidem vim cogitandi perueniri potest, aut subito, aut cito. Nam primũ facienda multo stylo forma est, quæ nos etiam cogitantes sequatur. tum assumendus vsus paulatim, vt pauca primum cõplectamur animo, quæ reddi fideliter possint: mox per incremẽta tam modica, vt onerari se labor ille nõ sentiat, augenda vsu, & exercitatione multa continenda est, quæ quidem maxima ex parte memoria constat: ideóq; aliqua mihi in illum locum differenda sunt. Eò tamen peruenit, vt is cui non refragetur ingenium, acri studio adiutus tantum consequatur, vt ea etiam quæ cogitarit, quæque scripserit atq; edidicerit, in dicendo fidem seruent, Cicero certe Græcorum Metrodorum Sceptium, & Eriphylũ Rhodium, nostrorũq; Hortensium tradidit, quæ cogitauerãt ad verbum in agendo retulisse. Sed si fortè aliquis inter dicendum effulserit extemporalis color, non superstitiosè cogitatis demum est inhærendum. Neq; enim tantum habent curæ, vt non sit dandus & fortunæ locus, cum sæpè etiam scriptis ea quæ subitò nata sunt, inserantur. Ideóq; totum hoc exercitationis genus ita instituendum est, vt & digredi ex eo, & redire in id facile possimus. Nam vt primum est domo afferre paratam dicendi copiam & certam, ita refutare tẽporis munera longè stultissimũ est. Quare cogitatio in hoc præparetur, vt nos fortuna decipere non possit, adiuuare possit. Id autẽ fiet memoriæ viribus, vt ea quæ cõplexi animo sim⁹, fluãt secura, ne solicitos & respiciẽtes, & vna spe suspẽsos recordationis nõ sinãt præuidere. alioqui vel extẽporalẽ temeritatẽ malo,

quàm male cohærentem cogitationem. Peius enim quæritur retrorsus: quia cũ illa desideramus, ab alijs auertimur, & ex memoria potius repetimus, q̃ ex materia. Plura sunt autem si strictius vtrumque quærendũ est, quæ inueniri possunt, quàm quę inuenta sunt.

¶ Quemadmodum extemporalis facultas paretur & contineatur. Cap. VII.

MAximus verò studiorum fructus est, & velut præmiũ quoddam amplius longi laboris ex tempore dicendi facultas: quam qui nõ erit consecutus, mea quidem sententia ciuilibus officijs renunciabit, & solam scribendi facultatem potius ad alia opera conuertet. Vix enim bonę fidei viro cõuenit, auxilium in publicum polliceri, quod præsentissimis quibusque periculis desit, vt indicare portũ, ad quem nauis accedere nisi lenibus ventis vecta, non possit. Siquidem innumerabiles accidũt subitæ necessitates vel apud magistratus, vel repræsentatis iudicijs continuo agendi: quarum si qua nõ dico cuicũque innocentium ciuium, sed amicorum atque propinqũorũ alicui euenerit, stabit ne mutus, & salutarem petentibus vocẽ, statímque si non succurratur, perituris, moras & secessum & silentium quæret, dum illa verba fabricentur, & memoriæ incidant, & vox ac latus præparetur? Quæ verò patitur hoc ratio, vt quisquam sit orator imparatus ad casus? Quid cum aduersario respondendum erit, fiet? Nam sæpè ea quæ opinati sumus, & contrà quæ scripsimus fallunt, ac tota subitò causa mutatur. Atque vt gubernatori ad incursus tempestatum, sic agenti ad varietatem causarũ ratio mutãda est. Quid porrò multus stylus, & assidua lectio, & longa studiorum ætas facit, si manet eadem quæ fuit incipientibus difficultas? Perisse profecto confitẽdum est præteritum laborem, cui semper idem laborãdum est. Neque ego hoc ago, vt ex tempore dicere malit, sed vt possit.

Quid faciendum.

¶ Id autem maximè hoc modo consequemur. Nota sit primũ dicendi via. Neque enim prius contingere cursus potest, quàm scierimus quò sit, & quà perueniẽdum. Nec satis est non ignorare quæ sint causarum iudicialium partes, aut quæstionum ordinem rectè disponere, quanquam ista sunt præcipua: sed quid quoque loco primum sit, quid secundum, ac deinceps: quæ ita sunt natura copulata, vt mutari aut interuelli sine confusione

non possint. Quisquis autem viam qua sit ingrediendum discet, ducetur ante omnia rerum ipsa serie, velut duce: propter quod homines etiã modicè exercitati, facillimè tenorẽ in narrationibus seruãt. Deinde quid quoq; loco quęrãt, sciẽt, nec circũspectabũt, nec offerentibus se aliũde sensib⁹ turbabũtur: nec confundent ex diuersis orationẽ velut saltantes huc, illuc, nec vsquam insistentes. Postremo habebunt modum & finem, qui esse citra diuisionem nullus potest. Expletis pro facultate omnibus quæ proposuerint, peruenisse se ad vltimũ sentiẽt. [Et hæc quidẽ ex arte, illa verò ex studio, vt copiam sermonis optimi, quemadmodum præceptum est, comparemus: multo ac fideli stylo sic formetur oratio, vt scriptorum colorem etiam ea quę subito effusa sint reddant, vt cum multa scripserimus, etiam multa dicamus. Nam consuetudo & exercitatio facilitatẽ maximè parit: quæ si paulum intermissa fuerit non velocitas illa modo tardatur, sed νάρκημα ipsum coit atq; concurrit. Quanq̃ enim opus est naturali quadam mobilitate animi, vt dum proxima dicimus, struere vlteriora possimus, sempérq; nostrã vocem prouisa & formata cogitatio excipiat, vix tamen aut natura aut ratio in tã multiplex officium diducere animũ queat, vt inuẽtioni, dispositioni, elocutioni, ordini verborũ rerúmq;, tũ ijs quę dicit, quæ subiũctur⁹ est, quę vltra spectãda sunt, adhibita vocis, pnũciationis, gestus obseruatione vna sufficiat. Lõge enim pręcedat oportet intentio ac præ se res agat: quãtũq; dicẽdo cõsumitur, tantũ ex vltimo progetur: vt donec pueniamus ad finem, non minus prospectu procedamus q̃ gradu, si non intersistentes offensantésq; breuia illa, atq; concisa singultantiũ modo eiecturi sumus. Est igitur vsus irrationabilis quidam, quẽ Græci ἄλογον τριβὴν vocãt, quo manus in scribẽdo decurrit, quo oculi totos simul in lectione versus flexúsq; eorum, & trãsitus intuentur, & antè sequentia vident, quàm priora dixerũt. Quo constant miracula illa in scenis pilariorum ac ventilatorum, vt ea quæ emiserint, vltro venire in manus credas, & qua iubẽtur decurrere. Sed hic vsus ita perderit, si ea de qua locuti sumus ars anteceſſerit, vt ipsum illud quod in se rationem non habet, in ratione versetur. Nam mihi ne dicere quidem videtur, nisi qui dispositè, ornatè, copiosè dicit. Sed nec tumultuarij nec fortuiti sermonis contextum mirabor vnq̃, quem iurgãtibus etiam

Studium.

mulierculis ſuperfluere video: quẽ ſi calor & ſpiritus tulit (frequenter enim accidit, vt ſucceſſum extẽporalem conſequi cura non poſſit) Deum tunc affuiſſe, cũ id eueniſſet, veteres oratores (vt Cicero dicit) aiebant. Sed ratio manifeſta eſt. Nam bene concepti affectus, & recentes rerum imagines continuo impetu feruntur, quæ nonnunquam mora ſtyli refrigeſcunt, & dilatæ non reuertuntur. Vtiq; verò cũ infelix illa verborũ cauillatio acceſſit, & curſus ad ſingula veſtigia reſtitit, non poteſt ferri contorta vis. Sed vt optimè vocum ſingularũ cedat electio, non continua ſed cõpoſita eſt. [Quare capiendæ ſunt illæ (de
Phantaſia. quibus dixi) rerũ imagines, quas vocari φαντασίας indicauimus, omniáq; de quibus dicturi erimus, perſonæ, quæſtiones, ſpes, metus, habenda in oculis affectus recipienda. Pectus eſt enim quod diſertos facit, & vis mentis. Ideóq; imperitis quoq; ſi mo-
Intentio. do ſunt aliquo affectu concitati, verba non deſunt. [Tum intendendus animus, non in aliquam rem vnam, ſed in plures ſimul continuas: vt ſi per aliquam rectam viam mittamus oculos, ſimul omnia quæ ſunt in ea, circáq; intuemur, non vltimũ tantum videmus, ſed vſq; ad vltimũ. [Addit ad dicendum e-
Pudor. tiam pudor ſtimulos, habet & dicendorũ expectata laus, mirũq; videri poteſt, quòd cũ ſtylus ſecreto gaudeat, atq; omnes arbitros reformidet, extemporalis actio auditorum frequẽtia, vt miles congeſtu ſignorum excitatur. Nanq; & difficiliorem cogitationem exprimit, & expellit dicendi neceſſitas, & ſecundos impetus auget placendi cupido. Adeo præmium omnia expectant, vt eloquentia quoque, quanquã plurimũ habet in ſe voluptatis, maximè tamen præſenti fructu laudis opinioníſque ducatur. [Nec quiſquam tantũ fidat ingenio, vt id ſibi ſperet incipiẽti ſtatim poſſe contingere. Sed ſicut in cogitatiõe præce-
Facultas difficilis. pimus, ita facultatẽ quoq; extẽporalẽ à paruis initijs paulatim perducemus ad ſummã, quæ nec perfici, nec contineri niſi vſu poteſt. Cæterum peruenire eò debet, vt cogitatio non vtiq; melior ſit ea, ſed tutior, cum hanc facilitatem non in proſa modo multi ſint conſecuti, ſed etiam in carmine, vt Antipater Sidonius, & Licinius Archias. Credendum enim Ciceroni eſt: non quia noſtris quoque temporibus non & fecerint quidam hoc & faciant: quod tamen ipſum non tam probabile puto (neque enim habet aut vſum res, aut neceſſitatẽ) q̃ exhortandis in hãc

ſpē qui foro præparantur, vtile exemplum. [Neq; verò eſſe vnq̄ tantam fiduciam facilitatis velim, vt non breue ſaltē tempus, quod nuſq̄ ferè deerit, ad ea quæ dicturi ſumus diſpicienda ſumamus. Quod quidem in iudicijs ac foro datur ſemper. Neq; enim quiſquam eſt, qui cauſam quā non didicerit, agat. Declamatores quoſdā peruerſa ducit ambitio, vt expoſita controuerſia protinus dicere velint: quin etiam quod eſt in primis friuolum ac ſcenicū, verbū petant quo incipiant. Sed tam contumelioſos in ſe ridet inuicem eloquentia, & qui ſtultis eruditi videri volunt, ſtulti eruditis videntur. Si qua tamen fortuna tam ſubitam fecerit agendi neceſſitatem, mobiliore quodam opus erit ingenio, & vis omnis intendenda rebus, & in præſentia remittendū aliquid ex cura verborum. Si ſequi vtrūq; non dabitur, tum & tardior pronunciatio moras habet, & ſuſpēſa ac veluti dubitās oratio, vt tamē deliberare, nō hæſitare videamur. Hoc dū egredimur è portu, ſi nos nōdū aptatis ſatis armamētis aget ventus: deinde paulatim ſimul euntes aptabimus vela, & diſponemus rudentes, & impleri ſinus optabimus. Id potius, quàm ſe inani verborum torrenti dare quaſi tempeſtatibus, quo volent auferendū. Sed non minore ſtudio continetur hæc facultas, quàm paratur. Ars enim ſemel percepta non labitur, ſtylus quoq; intermiſſione paulum admodum de celeritate perdit, promptum hoc & in expedito poſitū exercitatione ſola continetur. Hac vti ſic optimum eſt, vt quotidie dicamus audientibus pluribus, maximè de quorū ſumus iudicio ac opinione ſoliciti. Rarum eſt enim vt ſatis ſe quiſquam vereatur. Vel ſoli tamen dicamus potius, quàm non omnino dicamus. Eſt alia exercitatio cogitandi, totáſq; materias vel ſilentio, dū tamen quaſi dicat intra ſeipſum, perſequendi: quæ nullo non & tempore & loco, quando non aliud agimus, explicari poteſt, & eſt in parte vtilior quàm hæc proxima. Diligentius enim componitur, quàm illa in qua contextum dicendi intermittere veremur. Rurſus illa prior plus confert vocis firmitate, oris facilitate, motu corporis, qui & ipſe (vt dixi) excitat oratorem, & iactatione manus, pedis ſupploſione, ſicut cauda leones facere dicuntur, hortatur. Studendū verò ſemper & vbique. Neque enim ferè tā vllus eſt dies occupatus, vt nihil lucratiuæ (vt Cicero Brutum facere tradit) operæ ad ſcribendū, aut ad legendum,

Meditatio adhibenda.

aut ad dicendum rapi aliquo momento temporis possit. Siqui dem C. Carbo etiã in tabernaculo solebat hac vti exercitatione dicendi. Ne id quidem tacendum est, quod eidem Ciceroni pla cet, nullũ nostrum vsquam negligentem esse sermonem: quic quid loquemur, vbicunque sit pro sua scilicet portione perfe ctum. Scribendum certe nunquam est magis, q̃ cum multa di cemus ex tempore. Ita enim seruabitur pondus, & vibrans illa verborum facilitas in altum reducetur: sicut rustici proximas vitis radices amputant quæ illam in summum solum ducunt, vt inferiores penitus descẽdẽdo firmẽtur. Ac nescio an vtrũq; cũ cura & studio fecerimus, inuicẽ prosit, vt scribẽdo dicamus diligentius, dicendo scribamus facilius. Scribendũ ergo quoties licebit: si id non dabitur, cogitandum: ab vtroq; excluſi, debẽt tamen adniti, vt neq; deprehensus orator, neq; litigator destitu tus esse videatur. Plerũq; autẽ multa agentibus accidit, vt ma xime necessaria, & vtiq; initia scribant: cætera quæ domo affe runt, cogitatione cõplectantur, subitis ex tempore occurrant. Quod fecisse M. Tullium cõmentarijs ipsius apparet. Sed ferũ tur aliorũ quoq; & inuenti forte, vt eos dictur⁹ quisq; cõposue rat, & in libros digesti, vt causarũ quæ sunt actæ à Seruio Sul pitio, cuius tres orationes extant. Sed hi, de quibus loquor, cõ mentarij ita sunt exacti, vt ab ipso mihi in memoriam posteri tatis videantur esse compositi. Nam Ciceronis ad præsens mo do tempus aptatos libertus Tiro contraxit: quos non ideo excu so, quia non probem, sed vt sint magis admirabiles. In hoc ge nere prorsus recipio hanc breuem annotationẽ, libellósq; qui vel manu teneantur, & ad quos interim respicere fas sit. Illud quod Lenas præcipit, displicet mihi, quæ scripserimus, in sum mas siue commentarios & capita conferre. Facit enim & discẽ di negligentiam hæc ipsa fiducia, & lacerat ac deformat oratio nem. Ego autem ne scribendum quidem puto quod nõ simus memoria prosecuturi. Nã hoc quoq; accidit, vt reuocet nos co gitatio ad illa elaborata, nec sinat præsentem fortunã experi ri. Sic anceps inter vtrumq; animus æstuat, cum & scripta per dit, & non quærit noua. Sed de memoria destinatus est proxi mo libro locus, nec huic parti subiũgendus, quia sunt alia prius nobis dicenda.

M. FABII QVINTILIANI DE institutione oratoria, Liber XI.

¶ De apte dicendo. Cap. I.

PArata, sicut superiore libro continetur, facultate scribendi cogitandique, & ex tempore etiam cum res poscet orandi, proxima est cura vt dicamus aptè: quam virtutem elocutionis quartam Cicero demonstrat, quæque est meo quidem iudicio maximè necessaria. Nam cum sit ornatus orationis varius & multiplex, conueniátque alius alij, nisi fuerit accommodatus rebus atque personis, non modo non illustrabit eam, sed & destruet. & vim rerum in contrariũ vertet. Quid enim prodest esse verba & latina, & significantia, & nitida, figuris etiam numeríque elaborata, nisi cum ijs in quæ iudicẽ duci formariq; volumus, consentiant? Si genus sublime dicendi paruis in causis, paruum limatúmque grandibus, lætum tristibus, lene asperis, minax supplicibus, summissum concitatis, trux atque violentum iucundis adhibeamus? vt monilibus & & margaritis, ac veste longa, quæ sunt ornamenta fœminarũ, deformentur viri: nec habitus triumphalis, quo nihil excogitari potest augustius, fœminas deceat. [Hũc locũ Cicero breuiter in tertio de Oratore libro pstringit: neq; tamẽ videri potest quicq; omisisse, dicẽdo, Nõ omni causæ, nec auditori, nec psonæ, nec tẽpori congruere orationis vnũ gens: nec ferè pluribus in Oratore eadem. Sed illic L. Crassus, cum apud summos oratores, hominésq; eruditissimos dicat, satis habet partem hanc velut notare inter agnoscentes. Et hic Cicero alloquens Brutum testatur esse hæc ei nota, ideóq; breuius à se dici, quanq̃ sit fusus locus, tracteturq; à philosophis latius. Nos institutione professi, non solũ scientibus ista, sed etiã discẽtibus, tradim⁹: ideóque paulo pluribus verbis debet haberi venia. ¶ Quare notum sit nobis ante omnia, quid conciliando, docendo, mouendo iudici conueniat, quid quaq; parte orationis petamus. Ita nec vetera, nec trãslata, aut ficta verba incipiendo, narrando, argumẽtando tractabimus, neq; de currẽtis contexto nitore circuitus, Apte dicere.

vbi diuidenda erit causa,& in partes suas digerẽda, neq; humile atque quotidianum sermonis genus, & cõpositione ipsa dissolutum epilogis dabimus, nec locis lachrymas, vbi opus erit miseratione, siccabimus. Nam ornatus omnis non tam sua q̃ rei cui adhibetur, conditione constat: nec plus refert quid dicas quàm quo loco. Sed totum hoc apte dicere, non elocutionis tãtum genere constat, sed est cum inuentione cõmune. Nã si tan tũ habẽt etiam verba momentũ, quanto res ipsæ maius? Quarum quæ esset obseruatio, suis locis subinde subiecimus. [Illud est diligentius docendũ, eum demum dicere aptè, qui nõ solũ quid expediat, sed etiã quid deceat, inspexerit. Nec me fugit plerumque hęc esse coniuncta. Nam quod decet, ferè prodest: neq; alio magis animi iudicum conciliari, aut si res in cõtrarium tulit, alienari solent. Aliquando tamen & hæc dissentiunt. Quoties autẽ pugnabũt, ipsam vtilitatẽ vincet quod decet. Nã quis nescit nihil magis profuturũ ad absolutionẽ Socrati fuisse, q̃ si esset vsus illo iudiciali genere defensionis, & oratione summissa cõciliasset iudicũ animos sibi, criménq; ipsum solicitè redarguisset? Verũ id minimè eũ decebat, ideóque sic egit, vt qui pœnã suam honoribus summis esset æstimatur⁹. Maluit enim vir sapientissimus quod supereſſet ex vita sibi perire, quàm quod præteriisset. Et quando ab hominibus sui temporis parũ intelligebatur, posterorũ se iudicijs reseruauit, breui detrimento iam vltimæ senectutis, æuũ seculorũ omniũ consecutus. Itaq; quãuis Lysias, qui tum in dicendo præstantissimus habebatur, defensionem illi scriptã obtulisset, vti ea noluit, cum bonam quidem, sed parum sibi conuenientem iudicasset. Quo vel solo patet, non persuadendi, sed bene dicendi finem in oratore seruandũ, cũ interim persuadere deforme sit. Nõ fuit hoc vtile absolutioni: sed (quod est maius) homini fuit. Et nos secũdũ communem potius loquẽdi consuetudinẽ, q̃ ipsam veritatis regulã, diuisione hac vtimur, vt ab eo quod deceat, vtilitatem separem⁹. Nisi forte prior ille Aphricanus, qui patria cedere, quàm cum Trib.pl. humillimo contendere de innocentia sua maluit, inutiliter sibi videtur consuluisse: aut P. Rutilius, vel cum illo penè Socratico genere defensionis est vsus, vel cum reuocante eum P. Sylla manere in exilio maluit, quid sibi maximè cõduceret nesciebat. Hi vero parua illa, quæ abiectissimus quisque

Decorum seruandum.

Honestum ab vtili nõ separandum.

animus vtilia credit, si cũ virtute conferantur, despiciẽda iudi cauerũt, ideóq; perpetua seculorum admiratione celebrantur. Neque nos simus tam humiles, vt quæ laudamus inutilia credamus. Sed hoc qualecũque discrimẽ raro admodum euenit. [Cæterum idem ferè (vt dixi) in omni genere causarum & prodesse & decebit. Est autem quod omnes & semper & vbique persuadere ac dicere honestè, honestéq; facere deceat, contráq; neminem vnq̃ vllo in loco turpiter. Minora verò quæ sunt ex medijs, plerũq; sũt talia, vt alijs sint cõcedenda, alijs nõ sint, aut p̃ p̃sona, tẽpore, loco, causa, magis ac minus, vel excusata debeãt videri, vel reprehẽdenda. ¶ Cum dicamus autem de rebus, aut alienis, aut nostris, diuidenda est ratio eorum, dum sciamus pleraq; neutro loco conuenire. In primis igitur omnis sui vitiosa iactatio est, eloquentiæ tamen in oratore præcipuè: affértque audientibus non fastidium modo, sed plerumque etiam odiũ. Habet enim mens nostra natura sublime quiddam & erectum & impatiens superioris. Ideóque abiectos aut submittentes se libẽter alleuamus, quia hoc facere tanquam maiores videmur: & quoties discessit æmulatio, succedit humanitas. At qui se supra modum extollit, premere ac despicere creditur: nec tam se maiorem, quàm minores cæteros facere. Inde inuident humiliores: nam hoc vitium est eorum, qui nec cedere volunt, nec possunt contendere: rident superiores, improbant bonos. Plerũque verò deprehẽdas arrogantium fallacem de se opinionem, sed in veris quoque sufficit conscientia. Reprehensus est in hac parte non mediocriter Cicero: quãquam is quidem rerum à se gestarum maior, quàm eloquentiæ fuit in orationibus vtiq; iactator. Ac plerumque illud quoque non sine aliqua ratione fecit. Aut enim tuebatur eos, quibus erat vsus adiutoribus in opprimenda coniuratione: aut respondebat inuidiæ, cui tamen non fuit par, seruatæ patriæ pœnam passus exilium: vt illorum quæ egerat in Consulatu frequens commemoratio, posslit videri non gloriæ magis quàm defensioni data. Eloquentiam quidẽ cum plenissimam diuersæ partis aduocatis concederet, sibi nũquam in agendo immodicè arrogauit. Illius sunt enim, Si quid est in me ingenij Iudices, quod sentio q̃ sit exiguum: &, Nã quo minus ingenio possum, subsidio mihi diligentiam comparaui. Quinetiam contra Q. Cæcilium de accusatore in Verrem

Iactatio sui vitanda.

In diuin. conſtituendo, quamuis multũ eſſet in hoc quoq; momenti, vter ad agendum magis idoneus veniret, dicendi tamen facultatem magis illi detraxit q̃ arrogauit ſibi: ſeq; non conſecutum, ſed omnia feciſſe, vt poſſet eã cõſequi, dixit. In epiſtolis aliquãdo familiariter apud amicos, nõnunq̃ in dialogis, aliena tamen perſona, verum de eloquentia ſua dicit. [Et apertè tamẽ gloriari neſcio an ſit magis tolerabile, vel ipſa vitij huius ſimplicitate q̃ illa iactatione peruerſa, ſi abundans opibus, pauperem ſe neget, nobilis obſcurum, & potens infirmum, & ſi ſe diſertus imperitũ planè & infantem vocet. [Ambitioſiſſimum glorian di genus eſt etiam deridere. Ab alijs ergo laudemur. Nã ipſos (vt Demoſthenes ait) erubeſcere etiam cum ab alijs laudamur, decet. [Neq; hoc dico, non aliquãdo de rebus à ſe geſtis oratori eſſe dicendũ, ſicut eidem Demoſtheni pro Cteſiphonte: quod tamen ita emendauit, vt neceſſitatem id faciẽdi oſtenderet, inuidiámq; omnẽ in eum regereret, qui hoc ſe coegiſſet. Et M. Tullius ſæpè dicit de oppreſſa coniuratione Catilinæ, ſed modò id virtuti Senatus, modò prouidentiæ deorum immortalium aſſignat: plerũq; contra inimicos atque obtrectatores plus vendi cat ſibi. Erant enim tuenda cũ obijcerentur. In carminibus vtinam peperciſſet, quæ nõ deſierunt carpere maligni, Cedant arma togæ, cõcedat laurea linguæ. &, O fortunatã natã me Cõſule Romã: & Iouẽ illũ à quo in cõciliũ deorum aduocatur: & Minerua quæ omnes eũ artes edocuit: quæ ſibi ille, ſecutus quædã Græcorum exempla, permiſerat. [Verùm eloquentiæ vt indecora iactatio, ſic nonnunquam concedenda fiducia eſt. Nam quis reprehendat hæc, Quid putem? contemptúmne me? non video nec in vita, nec in gratia, nec in rebus geſtis, nec in hac mea mediocritate ingenij, quid deſpicere poſſit Antonius. Et paulo pòſt apertius, An decertare mecũ voluit contentione dicendi? Hoc quidẽ beneficium eſt. Quid enim plenius, quid vberius, q̃ mihi pro me, & contra Antonium dicere? [Arrogantes & illi, qui ſe iudicaſſe de cauſa, nec aliter affuturos fuiſſe proponunt. Nam & inuiti iudices audiunt præſumentem partes ſuas, nec hoc oratori contingere inter aduerſarios, quod Pythagoræ inter diſcipulos contigit, poteſt: Ipſe dixit. Sed iſtud magis minúſve vitioſum eſt pro perſonis dicentium. Defenditur enim aliquatenus ætate, dignitate, authoritate: quę tamẽ

vix in vllo tanta fuerint, vt non hoc affirmationis genus tẽperandum sit aliqua moderatione, sicut omnia in quibus patron⁹ argumentum ex seipso petet. Quod fuisset tumidius, si crimi nis loco esse negasset Cicero, equitis Romani esse filium se defendente. At ille fecit hoc etiam fauorabile, cõiungendo cũ iudicibus dignitatẽ suam. Equitis autem Romani esse filium, criminis loco poni ab accusatorib⁹, neq; his iudicãtibus oportuit, nec defendentibus nobis. ¶ Impudens, tumultuosa, iracunda actio omnibus indecora, sed vt quisq; ætate, dignitate, vsu præcedit, magis in ea reprehendendus. Videas autẽ rixatores quosdam, neque iudicum reuerẽtia, neq; agendi more ac modo cõtineri. quos ipso mentis habitu manifestum sit, tam in suscipiẽpiendis quàm in agendis causis nihil pẽsi habere. Profert enim mores plerũque oratio, & animi secreta detegit. Nec sine causa Græci prodiderunt, vt viuat, quemque etiam dicere. [Humiliora illa vitia, summissa adulatio, affectata scurrilitas, in rebus ac verbis parum modestis ac pudicis vilis pudor, in omni negocio neglecta authoritas: quæ ferè accidunt ijs, qui nimium aut blãdi esse, aut ridiculi volunt. ¶ Ipsum etiam eloquentiæ genus alios aliud decet. Nam neq; tam plenum & erectum, & audax, & præcultum senibus conuenerit, quàm pressum, & mite, & limatum, & quale intelligi vult Cicero, cum dicit orationem suam cœpisse canescere: sicut vestibus quoque non purpura coc cóque fulgentibus illa ætas satis apta sit. In iuuenibus etiam veberiora paulo & penè periclitãtia feruntur. At in ijsdem siccũ, & solicitum, & contractum dicendi propositum, plerunque affectatione ipsa seueritatis inuisum est, quando etiam morũ senilis authoritas immatura in adolescentibus creditur. Simpliciora militares decent. Philosophiam ex professo (vt quidã faciunt) ostentantibus parum decori sunt plerique orationis ornatus, maximéq; ex affectibus, quos illi vitia dicunt. Verba quoq; exquisitiora, & compositio numerosa tali proposito diuersa. Non enim solum illa lætiora, qualia à Cicerone dicuntur, Saxa atque solitudines voci respondent: sed etiam illa, quanquã plena sanguinis, Vos enim iam Albani tumuli atq; luci, vos inquã imploro atq; testor, vósq; Albanorum obrutæ aræ sacrorũ Po. Ro. sociæ & æquales, non conueniant barbæ illi atque tristitiæ. At vir ciuilis veréq; sapiens, qui se non ocioſis disputationibus,

Actio indecora fugienda.

Genus eloquẽtiæ ad personas, tẽpora, & causas accõmodãdũ.

ſed adminiſtrationi reip. dediderit, à qua longiſſimè iſti qui philoſophi vocantur, receſſerunt, omnia quæ ad efficiendum oratione quod propoſuerit valent, libenter adhibebit, cum prius quod honeſtum ſit, efficere in animo ſuo conſtituerit. Eſt quod principes deceat, alijs non conceſſeris. Imperatorum ac triumphantium ſeparata eſt aliqua ex parte ratio eloquẽtiæ, ſicut Põpeius abunde diſertus rerum ſuarum narrator, & hic qui bello ciuili ſe interfecit Cato, eloquens Senator fuit. Idem dictum ſępè in alio liberum, in alio furioſum, in alio ſuperbum eſt. Verba aduerſus Agamemnonem à Therſite habita ridentur. Da illa Diomedi, aliíve cui pari, magnum animum præ ſe ferre videbuntur. Ego te, cõſulẽ putem, inquit L. Craſſus Philippo, cũ tu me non putes Senatorem? Vox honeſtiſſimæ libertatis, non tamen ferres quẽcunque dicentem. Negat ſe magni facere aliquis poetarum, Cæſar ater an albus homo ſit, inſania. Verte, vt idem Cæſar de illo dixerit, arrogantia eſt. Maior in perſonis obſeruatio eſt apud comicos tragicóſque. Multis enim vtuntur & varijs. Eadem & eorum qui orationes alijs ſcribebant fuit ratio, & declamantium eſt. Non enim ſemper vt aduocati, ſed plerumque vt litigatores dicimus. Verùm etiam in ijs cauſis, quibus aduocamur, eadem differentia diligenter eſt cuſtodienda. Vtimur enim fictione perſonarũ, & velut ore alieno loquimur, dandíq; ſunt ijs quibus vocem accõmodamus, ſui mores. Aliter enim P. Clodius, aliter Appius Cæcus, aliter Cæcilianus ille, aliter Terẽtianus pater fingitur. Quid aſperius lictore Veris? Vt adeas tantũ dabis. Quid fortius illo? Cuius inter ipſa verberũ ſupplicia vna vox audiebatur, Ciuis Romanus ſum. Quã dignæ Milonis in peroratione ipſa voces eo viro, qui pro rep. ſeditioſũ ciuẽ toties cõpeſcuiſſet? quíq; inſidias virtute ſuperaſſet? Denique non modo quot in cauſa, totidem in proſopopœia ſunt varietates: ſed hoc etiã plures, quòd in his puerorũ, fœminarũ, populorum, mutarum etiam rerum aſſimulamus affectus, quibus omnibus debetur ſuus decor. Eadẽ in ijs pro quib⁹ agemus, obſeruanda ſunt. Aliter enim pro alio ſæpe dicendum eſt, vt quiſq; honeſtus, humilis, inuidioſus, fauorabilis erit, adiecta propoſitorũ quoq;, & anteactæ vitæ differentia. [Iucundiſſima verò in oratore humanitas, facilitas, moderatio, beneuolẽtia. Sed illa quoq; diuerſa bonum virum decent, malos odiſſe,

Act. 7.

publica vice cõmouèri, vltũ ire ſcelera & iniurias: & omnia, vt initio dixi, honeſta. [Nec tãtũ quis, & pro quo, ſed etiam apud quem dicas, intereſt. Facit enim & fortuna diſcrimen, & poteſtas: nec eadem apud principem, magiſtratum, Senatorem, priuatum, tamen liberum, ratio eſt: nec eodem ſono publica iudicia, & arbitrorum diſceptationes aguntur. Nam vt orantẽ pro capite ſolicitudo deceat & cura, & omnes ad amplificandam orationem quaſi machinæ, ita in paruis rebus iudicijſque vana ſint eadẽ. Rideatúrque meritò qui apud diſceptatorem de re leuiſſima ſedens dicturus vtatur illa Ciceronis confeſſione, non modo ſe animo cõmoueri, ſed etiam corpore ipſo perhorreſcere. Quis verò neſciat quin aliud dicẽdi genꝰ poſcat grauitas ſenatoria, aliud aura popularis? cũ etiã ſingulis iudicãtibus, non idẽ apud graues viros, quod leuiores: non idẽ apud eruditum, quod militarem ac ruſticũ deceat, ſitq; nonnunquã ſubmittenda & contrahenda oratio, ne iudex eã vel intelligere vel capere non poſſit. [Tẽpus quoque ac locus egent obſeruatione propria. Nam & tempus tum lætum, tum triſte: tum liberum, tum anguſtum eſt. Atqui ad hæc omnia componendus orator, & loco publico priuatóne, celebri an ſecreto, aliena ciuitate an tua, in caſtris denique an foro dicas, intereſt plurimum, ac ſuã quicque formam, & proprium quendã modũ eloquentiæ poſcit. Cum etiã in cæteris actibus vitæ non idem in foro, curia, cãpo, theatro, domi, facere conueniat: & pleraq; quę natura nõ ſunt reprehendenda, atq; adeo interim ſunt neceſſaria, alibi q̃ mos permiſerit, turpia habeantur. [Illud iam diximus, quanto plus nitoris & cultus demonſtratiuæ materiæ, vt ad delectationẽ audientium compoſitæ, quàm quæ ſunt in actu & contentione, ſuaſoriæ iudicialéſque permittant. [Hoc adhuc adijciendum, aliquas etiam quæ ſunt egregiæ dicendi virtutes, quo minus deceant, effici conditione cauſarum. An quiſquam tulerit rerũ in diſcrimine capitis, præcipue qui apud victorẽ & principẽ pro ſe ipſe dicat, frequenti tranſlatione, fictis aut repetitis ex vetuſtate verbis, cõpoſitione quæ ſit maximè à vulgari vſu remota, decurrentibus periodis, q̃lætiſſimis locis ſententiiſq; dicentem? Non perdant hæc omnia neceſſarium periclitanti ſolicitudinis colorem, petendúmque etiã innocentibus miſeri cordiæ auxilium? Commoueatur ne quiſquam eius fortuna,

Apud quem dicas.

Tẽporis obſeruatio.

Lib. 8. ca. 3.

Decorum ex cauſæ conditione.

quem tumidũ, ac ſui iactantem, & ambitioſum inſtitorem eloquentiæ in ancipiti ſorte videat? non, imò oderit reũ verba aucupantem, & anxium de fama ingenij, & cui eſſe diſerto vacet. Quod mirè M. Cælius in defenſione cauſæ, qua reus de vi fuit, cõprehendiſſe mihi videtur. Ne cui veſtrũ atque etiã omnium, qui ad rẽ agendam adſunt, mens aut vultus moleſtior, aut vox immoderatior aliqua, aut denique quod nimiũ eſt, iactanctior geſtus fuiſſe videatur. Atqui ſunt quædam actiones in ſatiſfactione, deprecatione, confeſſione poſitæ: ſententioliſne flendũ erit? Epiphonemata aut enthymemata exorabunt? nõ quicquid meris adijcietur affectibus, omnes eorũ diluet vires, & miſerationem ſecuritate laxabit? Age ſi de morte filij ſui, vel iniuria (quæ morte ſit grauior) dicendum patri fuerit, aut in narrando gratiam illam expoſitionis, quæ continget ex ſermone puro atque dilucido, quæret, breuiter ac ſignificanter ordinem rei protuliſſe contentus, aut argumenta diducet in digitos, & propoſitionum ac partitionum captabit lepôrem? & vt plerumque in hoc genere moris eſt, intentione omni remiſſa loquetur? Quò fugerit interim dolor ille? vbi lachrymæ ſubſtiterint? vnde ſe in mediũ tã ſecura obſeruatio artiũ miſerit? Nõ ab exordio vſq; ad vltimã vocem continuus quidam gemitus: & idẽ triſtitiæ vultus ſeruabitur: ſi quidem volet dolorem ſuum etiã in audientes tranſfundere? quem ſi vſquam remiſerit, in animũ iudicantiũ non reducet. Quod præcipuè declamãtibus (neque enim me pœnitet ad hoc quoq; opus meum, & curam ſuſceptorum ſemel adoleſcentiũ reſpicere) cuſtodiendũ eſt, quòd plures in ſchola finguntur affectus, quos non vt aduocati, ſed vt paſſi ſubimus. Cum etiam hoc genus ſimulari litium ſoleat, cum ius mortis à Senatu quidam, vel ob aliquam magnam infelicitatem, vel etiam pœnitentiã petunt. in quibus non ſolum cantare, quod vitium perſuaſit, aut laſciuire, ſed ne argumenta ri quidem niſi mixtis, & quidem ita, vt in ipſa probatione magis emineant, affectibus decet. Nam qui intermittere in agẽdo dolorẽ poteſt, videtur poſſe etiã deponere. Neſcio tamẽ an huius (de quo loquimur) decoris cuſtodia maximè circa eos, contra quos dicimus, examinanda ſit. Nam ſine dubio in omnibus ſtatim accuſationibus hoc agendum eſt, ne ad eas libenter deſcendiſſe videamur. Ideóque mihi illud Caſſij Seueri nõ

mediocriter displicet, Dij boni viuo: & quo me viuere iuuet, Asprenatem reum video. Non enim iusta ex causa vel necessaria videri potest postulasse eum, sed quadã accusandi voluptate. ¶ Præter hoc tamen quod est commune, propriam moderationem quædam causæ desiderant. Quapropter & qui curationem bonorum patris postulabit, doleat eius valetudine, & quãlibet grauia filio pater obiecturus miserrimam sibi ostẽdat esse hanc ipsam necessitatem: nec hoc paucis modo verbis, sed toto colore actionis, vt id eum non dicere modo, sed etiam vere dicere appareat. Nec causandi pupillo sic tutor irascatur vnquam, vt non remaneant amoris vestigia, & sacra quædam patris eius memoria. Iam quo modo cõtra abdicantem patrem, querẽtem vxorem, agi causam oporteret, in libro (vt arbitror) septimo dixi. Quando etiam aduocati voce vti deceret, quartus liber, in quo procœmij præcepta sunt, cõtinet. Esse & in verbis quod deceat, aut turpe sit, nemini dubium est. ¶ Vnum iã igitur huic loco, quod est sanè summæ difficultatis, adijciendũ videtur, quibus modis ea quæ sunt natura parum speciosa, quæque non dicere, si vtrum libet esset liberum, maluissemus, non tamen sint indecora dicentibus. Quid asperiorem habere frontem potest, aut quid aures hominum magis respuunt, quàm cum est filio filiisve aduocatis in matrem perorandum? Aliquando tamen necesse est, vt in causa Cluentij Habiti. Sed non semper illa via, qua contra Sasiam Cicero vsus est: non quia nõ ille optime, sed quia plurimũ refert, qua in re, & quomodo lædat. Itaque illa cum filij caput palàm impugnaret, fortiter fuit repellenda. Duo tamen quæ sola superant, diuinè Cicero seruauit. Primum, ne obliuiscereturreuerentiæ quæ parentibus debetur: deinde vt repetitis altius causis, diligentissimè ostenderet, quàm id quod erat in matrem dicturus non oporteret modo fieri, sed etiam necesse esset. Primáque hęc expositio fuit quanquam ad pręsentem quæstionem nihil pertinebat adeo in causa difficili atque perplexa, nihil prius intuendum credidit quàm quid deceret. Fecit itaque nomen parentis non filio inuidiosum, sed ipsi in quam dicebatur. [Potest tamen aliquando mater & in re leuiore, aut minus infesta contra filium stare, tũ lenior atq; summissior decebit oratio. Nam & satisfaciẽdo, aut nostram minuemus inuidiam: aut etiam in diuersum eã transf

Quomodoque natura indecora sunt, tractanda, quod totũ in personis est spectandum.

ferem⁹:& ſi grauiter dolere filiũ palã erit, credetur abeſſe ab eo culpa, fiétq; vltro miſerabilis. [Auertere quoq; in alios crimen decet, vt fraude aliquorũ concita credatur:& omnia nos paſſuros, nihil aſpere dicturos, teſtandũ, vt etiã ſi quid non poſſum⁹ conuitiari, nolle videamur. [Etiam ſi quid obijciendũ erit officium eſt patroni, vt id filio inuito, ſed fide cogente facere credatur. Ita poterit vterque laudari. Quod de matre dixi, de vtro que parente accipiendũ eſt. Nam inter patres etiã filióſque, cũ interueniſſet emancipatio, litigatũ ſcio. In alijs quoque propinquitatibus cuſtodiendũ eſt, vt inuiti & neceſſario, & parce iudicemur dixiſſe, magis autẽ aut minus, vt cuique perſonæ debetur reuerentia. [Eadẽ pro libertis aduerſus patronos obſeruantia:& vt ſemel plura cõplectar, nunquã decebit ſic aduerſus tales agere perſonas, quo modo contra nos agi ab hominibus conditionis eiuſdẽ, iniquo animo tuliſſemus. [Præſtatur hoc aliquando etiã dignitatib⁹, vt libertatis noſtræ ratio reddatur, ne quis nos aut petulantes in legendis ijs, aut etiã ambitioſos putet. Itaq; Cicero quanquã erat in Cottã grauiſſimè dicturus, neque aliter agi P. Oppij cauſa poterat, longa tamen præfatione excuſauit neceſſitatẽ. [Aliquando etiã inferioribus, prẽcipuéq; adoleſcẽtulis parcere, aut mederi decet. Vtitur hac moderatione Cicero pro Cælio contra Atracium, vt eũ non inimicè corripere, ſed penè patriè monere videatur. Nã & iuuenis, & nobilis, & non iniuſto dolore venerat ad accuſandum. [Sed in ijs quidem in quibus vel iudici, vel etiã aſſiſtentibus ratio noſtræ moderationis probari debet, minor eſt labor: illic plus difficultatis, vbi ipſos contra quos dicimus, veremur offendere. Duæ ſimul huiuſmodi perſonæ Ciceroni pro Murena dicenti obſtiterunt, M. Catonis, Seruiíq; Sulpitij: q̃ decenter tamen Sulpitio cum omnes conceſſiſſet virtutes, ſcientiam petẽdi Conſulatus ademit? Quid enim aliud eſſet quo ſe victũ homo nobilis, & iuris antiſtes magis ferret? Vt verò rationem defenſiõis ſuæ reddit, cum ſe ſtuduiſſe petitioni Sulpitij cõtra honorem Murenæ, nõ idem debere accuſationi cõtra caput, diceret? Quàm molli autem articulo tractauit Catonem? Cuius naturã ſummè admiratus, nõ ipſius vitio, ſed Stoicæ ſectæ, quibuſdã in rebus factã duriorẽ videri volebat? Vt inter eos nõ forenſem cõtentionẽ, ſed ſtudioſam diſputationẽ crederes incidiſſe. [Hæc eſt profe-

Perſonæ contra quas dicitur.

cto ratio,& certissimũ præceptorũ genus,illius viri obseruatio, vt cum aliquid detrahere salua gratia velis, cõcedas alia omia, in hoc solo vel minus peritũ,q̃ in cæteris,adiecta(si poterit fieri)etiam causa curita sit : vel paulò pertinaciorẽ, vel credulũ, vel iratum,vel impulsum ab alijs. Hoc illis cõmune remediũ est,si ĩ tota actiõe æqualiter appareat nõ honor modo,sed etiã charitas,præterea causa sit nobis iusta sic dicẽdi:neq; id moderatè tantum faciamus,sed etiã necessario.[Diuersum ab hoc sed facilius,cum hominum aut alioqui turpium,aut nobis inuisorum,quædã facta laudãda sunt.Decet enim rẽ ipsam probare in qualicunq; persona.Dixit Cicero pro Gabinio, & P. Vatinio inimicissimis antea sibi hoĩbus,& in quos oratiões etiã scripserat.Verùm causa iusta fit fatẽda,nõ se de ingenij fama,sed de fide esse solicitũ.Difficilior ei ratio in iudicio Cluẽtiano fuit, cum Scamãdrum necesse haberet dicere nocentem,cuius egerat causam.Verùm illud elegantissimè,cum eorum,à quib⁹ ipse perductus esset,preces,tum etiam adolescẽtiam suam excusat,detracturus alioqui plus authoritatis, si in causa præsertim suspecta,se eum esse,qui temerè nocentes reos susciperet,fateretur.[Apud iudicem verò,quòd aut propter alienum cõmodum in causa quam susceperimus,aut suum,vt persuadendi ardua ratio,ita dicendi expeditissima.Fiducia enim iustitiæ eius, non causæ,nihil nos timere simulabimus.Ipse erit gloria inflãdus,vt tanto clarior futura sit fides ac religio in pronunciando, quãtò minus vel offensæ,vel vtilitati suæ indulserit.[Hoc modo & apud eos à quibus appellatum erit (si fortè ad eosdem remittentur)adijcienda ratio,vel necessitatis alicuius,si id cause cædit,vel erroris,vel suspicionis.Tutissimum ergo pœnitentię confessio,& satisfactio culpæ, perducendúsq; omni modo iudex ad iræ pudorem.Accidit etiam nonnunq̃ vt eandem causam de qua pronunciauit,cognoscat iterũ:tũ illud quidẽ cõmune,apud aliũ nos iudicẽ disputaturos de illi⁹ sentẽtia nõ fuisse. Neq; enim emendari ab alio quàm ab ipso fas esse.Cæterum ex causa vt quæq; permittet,aut ignorata quædam,aut defuisse testes,aut(quod timidissimè,& si nihil aliud planè fuerit,dicẽdũ est)patronos nõ satisfeciſſe. Succurret etiã si apd̃ alios iudices agetur,vt in secũda assertione,aut in Centũuiralib⁹ iudicijs duplicib⁹,parte victa:decẽti⁹ erit quoties cõtigerit seruare iudicũ

Persona inimici aut hominis parũ honesti, si quod factum eius laudandũ sit.

Iudicis persona.

pudorem, de qua re latius in probationũ loco dictum eſt. [Poteſt euenire, vt in alijs reprehendenda ſint, quę ipſi fecerimus: vt obijcit Tubero Ligario, q̃ in Africa fuerit. Et ambitus quidam damnati, recuperandæ dignitatis gratia: reos eiuſdem criminis detulerunt, vt in ſcholis luxuriantem patrem luxurioſ⁹ iuuenis ipſe accuſat. Id quî decenter fieri poſſit equidem non inuenio, niſi aliquid reperiatur, quod interſit, perſona, ætas, tẽpus, cauſa, locus, animus. Tubero iuuenem ſe patri hæſiſſe, illũ à Senatu miſſum non ad bellum, ſed ad frumentum coẽmendum ait, vt primum licuerit à partibus receſſiſſe. Ligarium & perſeueraſſe, & non pro Cn. Pompeio, inter quẽ & Cæſarem dignitatis fuerit contentio, cum ſaluam vterq; remp. vellet, ſed pro Iuba atq; Afris inimiciſſimis po. Ro. ſtetiſſe. Cæterum vel facillimum eſt ibi alienam culpam accuſare, vbi fateris tuã. Verùm id iam iudicis eſt, non actoris. Quòd ſi nulla cõtingit excuſatio, ſola colorem habet pœnitentia. Poteſt enim videri ſatis emendatus, qui in odium eorum in quib⁹ errauerat, ipſe cõuerſus eſt. Sunt enim quidam, qui hoc natura ipſa rei non indecens faciunt, vt cum pater ex meretrice natum, q̃ amet meretricem in matrimonium, abdicat. Scholaſtica materia, ſed nõ quæ non poſſit accidere. Hic igitur multa non deformiter dicet, quòd omniũ ſit votum parentũ, vt honeſtiores quàm ſint ipſi, liberos habeant. Nã & filia nata, meretrix eam mater pudicam eſſe voluiſſet. Vel q̃ humilior ipſe fuerit (licet enim hoc dicere) vel q̃ non habuerit patrem qui moneret: quin eo min⁹ faciendum filio fuiſſe, ne renouaret dom⁹ pudorẽ, & exprobraret patri nuptias, matri prioris vitæ neceſſitatem, ne deniq; legem quandam ſuis quoq; ſubinde liberis daret: & credibilis erit etiã propria quædam in illa meretrice turpitudo, quam nunc hic pater ferre non poſſit. alia prætereo. Neq; enim nũc declamam⁹, ſed oſtendimus non nunquam poſſe ipſis incommodis dicentẽ bene vti. [Illic maior æſtus, vbi quis pudenda queritur, vt ſtuprum præcipue in maribus, aut os prophanatum. Non dico ſi loquatur ipſe (nã quid aliud ei q̃ gemitus & fletus & execratio vitæ conueniat? vt iudex intelligat potius dolorẽ illum, quàm audiat) ſed patrono quoq; per ſimiles affectus eundum erit, quia hoc iniuriæ genus verecundius ineſt paſſis q̃ auſis. [Mollienda eſt in pleriſque alio colore aſperitas orationis, vt Cicero de pro-

Reprehendẽdi ratio in aliis, quæ ipſe feceris.

Quomodo pudenda ſignificãda, aut quę aſpera ſunt, mollienda.

ſcriptorum libris fecit, Quid enim crudelius quàm homines honeſtis parẽtibus ac maiorib⁹ natos à repub. ſummoueri? Ita que durum id eſſe ſummus ille tractandorum animorum artifex confitetur: ſed ita legibus Syllæ cohęrere ſtatum ciuitatis affirmat, vt ijs ſolutis ſtare ipſa nõ poſſit. Aſſecutus itaq; eſt, vt aliquid eorum quoq; cauſa videretur facere, contra quos diceret. [Illud etiam in iocis monui, quàm turpis eſſet fortunæ inſectatio, & ne in totos ordines, aut gentes, aut populos petulantia incurreret. Sed interim fides patrocinij cogit quædã de vniuerſo genere aliquorum hominum dicere, vel libertinorũ, vel militum, vel publicanorum, vel ſimiliter aliorũ: in quibus omnibus cõmune remediũ eſt, vt ea quæ lædunt, non libenter tractare videaris: nec in omnia impetũ facias, ſed in id quod expugnadum eſt: & reprehendens, alia laude compenſes. Si milites cupidos dicas eſſe, non mirum: q̃ periculorum ac ſanguinis maiora ſibi deberi prędmia putẽt: eoſdẽ petulãtes, & hoc fieri quòd bellis magis q̃ paci aſſueuerint. Libertinis detrahenda eſt authoritas: licet ijs teſtimonium reddere induſtriæ, per quã exierint de ſeruitute. [Quod ad nationes exteras pertinet, Cicero variè detracturus Græcis teſtibus fidem, doctrinã ijs concedit ac literas, ſeq; eius gentis amatorem fuiſſe profitetur. Sardos cõtemnit, Allobrogas vt hoſtes inſectatur: quorum nihil tunc cũ diceretur, parum aptum aut remotũ à cura decoris fuit. [Verborum etiam moderatione detrahi ſolet, ſi qua eſt rei inuidia, ſi aſperum dicas nimium ſeuerum, iniuſtum perſuaſione labi, pertinacem vltra modum tenacem eſſe propoſiti, plerumq; velut ipſos coneris ratione vincere, quod eſt molliſſimum. [Indecorum eſt ſuper hæc omne nimium: ideóque etiam quod natura rei ſatis aptum eſt, niſi modo quoq; temperetur, gratiam perdit. Cuius rei obſeruatio iudicio magis quodam ſentiri, quàm præceptis tradi poteſt, quantum ſatis ſit, & quantum recipiant aures. Non habet hæc res menſuram, & quaſi põdus, quia vt in cibis alia alijs magis cõplent. [Adijciendũ etiam breuiter videtur, q̃ feré dicendi virtutes diuerſiſſimæ, non ſolũ ſuos amatores habeant, ſed ab eiſdem ſæpe laudentur. Nam Cicero quodam loco ſcribit id eſſe optimum, quod cum te facile credideris conſequi imitatione, non poſſis. Alio verò, non ſe id egiſſe, vt ita diceret quomodo ſe quilibet poſſe cõfideret, ſed quomo-

Odioſa fortunę inſectatio

Indecorum quicquid nimium eſt.

In Orat.

do nemo quod poteſt pugnare inter ſe videri. verùm vtrumq; ac meritò laudatur. Cauſa enim modóque diſtat: quia ſimplicitas illa, & velut ſecuritas inaffectatæ oratiõis, mirè tenues cauſas decet. Maioribus illud admirabile dicendi genus magis cõuenit. in vtroq; eminet Cicero, ex quibus alterum imperiti ſe poſſe conſequi credent, neutrum qui intelligunt.

¶ De memoria. Cap. II.

Memoriæ cõmendatio.

MEmoriam quidam naturę modo eſſe munus exiſtimauerunt, éſtque in ea non dubiè plurimum, ſed ipſa excolendo, ſicut alia omnia, augetur: & totꝰ de quo diximus, adhuc inanis eſt labor, niſi cęteræ partes hoc velut ſpiritu continentur. Nam & omnis diſciplina memoria conſtat, fruſtráq; docemur, ſi quicquid audimus, præterfluat, & exemplorum, legum, reſponſorum, dictorum, benéque factorum, quæ velut quaſdam copias, quibus abundare, quáſque in promptu ſemper habere debet orator, eadem illa vis repræſentat. Neque immerito theſaurus hic eloquentię dicitur. Sed non firmè tantum continere, verùm etiam cito percipere, multa acturos oportet: nec quæ ſcripſeris modo iterata lectione complecti: ſed in cogitatis quoque rerum ac verborum contextum ſequi, & quæ ſint ab aduerſa parte dicta meminiſſe, neque vtique ea quo dicta ſunt ordine refutare, ſed opportunis locis ponere. Quid extemporalis oratio? non alio mihi videtur mentis vigore conſtare. Nam dum alia dicimus, quæ dicturi ſumus intuenda ſunt: Ita cũ ſemper cogitatio vltra id quod eſt, longius quærit, quicquid interim reperit, quodammodo apud memoriam deponit, quod illa quaſi quædam media manus acceptũ ab inuentione tradit elocutioni. [Non arbitror autem mihi in hoc

Vis memorię.

immorandum, quid ſit quod memoriam faciat, quanq̃ pleriq; imprimi quædam veſtigia noſtro animo, quæ velut in ceris annulorum ſigna ſeruentur, exiſtimant. Neq; ero tã credulus, vt quaſi habitu tardiorẽ firmioremq; memoriã fieri putẽ. Eiꝰ autẽ quod ad animũ pertinet, magis admirêre naturã, ſubito res vetuſtas tanto ex interuallo repetitis reddere ſe & offerre, nec tãtum requirentibus, ſed etiã ſponte interim, nec vigilantibus, ſed etiã quiete cõpoſitis magis: eóq; illa quoq; animalia quæ carere intellectu videmus, meminerunt & agnoſcunt & quamlibet lõgo itinere diducta ad aſſuetas ſibi ſedes reuertũtur. Quid?

non hæc varietas mira eſt, excidere proxima, vetera inhærere: heſternorũ immemores, acta pueritiæ recordari? Quid? q̃ quædam requiſita ſe occultant, & eadẽ forte ſuccurrũt: nec manet ſemp̃ memoria, ſed aliquando etiã redit? Neſciretur tamẽ quãta vis eſſet eius, quanta diuinitas illa, niſi hoc lumẽ orandi extuliſſet: nõ enim rerũ modo ſed etiam verborũ ordinem præſtat: nec ea pauca contexit, ſed durat propè in infinitũ, & in longiſſimis actionibus prius audiẽdi patiẽtia, q̃ memoriæ fides deficit. Quod & ipſum argumentũ eſt, ſubeſſe artẽ aliquã, iuuaríq; ratione naturã, cum idẽ docti facere illud, indocti & inexercitati nõ poſſimus: quanquã inuenio apud Platonem obſtare memoriæ, vſum literarũ: videlicet q̃ illa quæ ſcriptis repoſuimus, velut cuſtodire deſinimus, & ipſa ſecuritate dimittimus. Nec dubium eſt, quin plurimũ in hac parte valeat mentis intentio, & velut acies luminum à proſpectu rerũ quas intuetur, non auerſa. Vnde accidit, vt quæ per plures dies ſcribimus ediſcẽdi cauſa, cogitatione ipſa contineat. [Artem autẽ memoriæ primus oſtendiſſe dicitur Simonides: cuius vulgata fabula eſt, cum pugili coronato carmẽ, quale componi victoribus ſolet, mercede pacta ſcripſiſſet, abnegata ei pecunię pars eſt, quòd de more poẽtis frequentiſſimo digreſſus in laudes Caſtoris & Pollucis exierat: quapropter partem ab ijs petere, quorum facta celebraſſet, iubebatur: & perſoluerunt, vt traditum eſt. Nã cum eſſet grande conuiuium in honorem eiuſdem victoriæ, atq; adhibitus ei cœnæ Simonides, nũcio eſt excitus, quòd eũ duo iuuenes equis aduecti deſiderare maiorẽ in modũ dicebantur. Et illos quidẽ non inuenit, fuiſſe tamen gratos erga ſe exitu comperit. Nãvix eo limen egreſſo, tricliniũ illud ſupra conuiuas corruit, atq; ita contudit, vt non ora modo oppreſſorum, ſed membra etiã omnia requirentes ad ſepulturam propinqui, nulla nota poſſent diſcernere. Tum Simonides dicitur, memor ordinis quo quiſq; diſcubuerat, corpora ſuis reddidiſſe. Eſt autem magna inter authores diſſenſio, Glauco ne Caryſtio, an Leocrati, an Agatharcho, an Scopæ ſcriptũ ſit id carmen: & Pharſali fuerit hæc domus, vt ipſe quodam loco ſignificare Simonides videtur, atque Apollodorus, & Eratoſthenes, & Euphorion, & Lariſſeus Eurypilus tradiderunt: an Cranone, vt Apollas Callimachus, quẽ ſecutus Cicero hanc famam latius fudit. Scopam nobilem

Simonides artificioſæ memoriæ inuentor.

De orat. 2.

Thessalum perisse in eo conuiuio constat, adijcitur sororis filiꝰ: putant & ortos plerosque ab illo Scopa, qui maior ætate fuerit: quanquam mihi totum de Tyndaridis fabulosũ videtur. Neq; omnino huius rei meminit vsquã poëta ipse, profecto non taciturus de tanta sua gloria. Ex hoc Simonidis facto notatũ videtur iuuari memoriam signatis animo sedibus, idque credere suo quisq; experimento. Nam cum in loca aliqua post tempus reuersi sumus, non ipsa agnoscimus tantum, sed etiam quæ in ijs fecerimus reminiscimur, personæq; subeunt, nõnunquam tacitæ quoq; cogitationes in mentem reuertuntur. ¶ Nata est igitur, vt in pleriſq;, ars ab experimento. Loca discũt, vt quàm maxime spatiosa, multa varietate signata, domum forte magnam, & in multos diductam recessus. In ea quicquid nobile est animo diligenter affigitur, vt sine cunctatione ac mora partes eius omnis cogitatio possit percurrere. Et primus hic labor est, non hærere in occursu. Plus enim quàm firma debet esse memoria, quæ aliam memoriam adiuuet. [Tũ quæ scripserunt, vel cogitatione complectuntur, & alio signo quo moneãtur notant: quod esse vel ex re tota potest, vt de nauigatiõe, militia: vel ex verbo aliquo. Nam etiam excidentes, vniꝰ admonitione verbi in memoriam reponũtur. Sit autem signum nauigationis, vt anchora: militiæ, vt aliquid ex armis. Hæc ita digerunt, primum locum vestibulo quasi assignant, secundũ atrio, tum impluuia circumeũt, nec cubiculis modo aut exedris, sed stratis etiam similibúsq; per ordinem cõmittunt. [Hoc facto cum est repetenda memoria, incipiunt ab initio loca hæc recẽsere, & quod cuiq; crediderunt, reposcunt, & eorũ imagine admonentur, vt quamlibet multa sint, quorum meminisse oporteat, fiant singula connexa quodam choro, ne errent coniũgentes prioribus sequentia solo ediscendi labore. Quod de domo dixi, & in operibꝰ publicis, & in itinere longo, vt vrbium ambitu, & picturis fieri potest. Etiam fingere sibi has imagines licet. ¶ Opus est ergo locis, quæ vel finguntur, vel sumuntur imaginibus, vel simulacris, quæ vtiq; fingenda sunt. Imagines notæ sunt, quibus ea quæ ediscenda sunt notamus: vt quomodo Cicero dicit, locis pro cæra, simulacris pro literis vtamur. Illud quoque ad verbum ponere optimum fuerit. Locis est vtendum multis, illustribus, explicatis, modicis interuallis: imagini-

Ars memoriæ cõfirmandæ.

Loca & imagines.

bus autem agentibus, acribus, insignitísque, quæ occurrere, celeritérq; percutere animũ possint. [Quo magis miror quomodo Metrodorus in xij. signis per quæ Sol meat, trecenos & sexagenos inuenerit locos. Vanitas nimirũ fuit atque iactatio circa memoriam suã potius arte q̃ natura gloriantis. ¶ Equidem hęc ad quædam prodesse non negauerim, vt si rerum nomina multa per ordinem audita reddenda sint. Námq; in ijs quæ didicerunt, locis reponũt res illas, mensam (vt hoc vtar) in vestibulo, in atrio puluinũ, & sic cætera. deinde relegentes, inueniunt vbi posuerint. Et forsitan in hoc sunt adiuti, qui auctione dimissa, quid cuiq; vendidissent testibus argentariorum tabulis reddiderunt. Quod præstitisse Hortensium dicunt. ¶ Minus idẽ proderit in ediscendis, quæ orationis perpetuæ erunt. Nã & sensus non eãdem imaginem quam res habent, cum alterum fingendũ sit, & horum tamen vtrũque commonet. Sed sermonis alicuius habitu verborum contextus, eadẽ arte quo modo cõprehendetur? Mitto q̃ quędã nullis simulacris significari possunt, vt certæ cõiunctiones. Habeamus enim sanè, vt qui notis scribunt, certas imagines omnium, & loca scilicet infinita, per quę verba, quæ sunt in quinq; cõtra Verrẽ secundæ actionis libris, explicentur, vt meminerimus etiã omniũ quasi depositorũ, nõ ne impediri quidem eorũ quæ dicit decursum necesse est dupli ci memoriæ cura? Nã quomodo poterũt copulata fluere, si propter singula verba ad singulas formas respiciendũ erit? Quare & Carneades & Sceptius (de quo modo dixi) Metrodorus, quos Cicero dicit vsos hac exercitatione, sibi habeant sua: nos simpliciora tradamus. ¶ Si longior cõplectenda memoria fuerit oratio, proderit per partes ediscere (laborat enim maxime onere) & hæ partes nõ sint perexiguæ, alioqui nimis multæ erũt, & eã distinguẽt atq; cõcident. Nec vtiq; certũ imperauerim modũ, sed maxime vt quisq; finietur locus. Ni forte tã sit numerosꝰ, vt ipse quoq; diuidi debeat. Dãdi sũt certi quidã termini vt cõtextũ verborũ (qui est difficillimꝰ) cõtinuet crebra meditatio, partes deinceps ipsas repetitus ordo cõiungat. [Non est inutile quo facilius hæreant, aliquas apponere notas, quarũ recordatio commoneat, & quasi excitet memoriã. Nemo enim ferè tã infelix, vt quod cuiq; loco signum destinauerit, nesciat: vt si erit tardus ad hoc, eo quoq; adhuc remedio vtatur, vt ipsæ excitẽt

Artificiũ prę scriptũ quatenus vtile. Nã id improbat in perpetua oratione ediscenda.

De orat. 2. Quæ ratio memoriæ placeat Fabio.

notæ. Hinc eſt ex illa arte nõ inutile attendere ſigna ad eos qui exciderunt ſenſus, anchoram (vt ſupra poſui) ſi de naue dicendum eſſet: ſpiculum, ſi de prælio. Multum enim ſigna faciunt, & ex alia memoria venit alia, vt cum tranſlatus annulus vel alligatus commoneat nos cur id fecerimus. [Hæc magis adhuc aſtringunt, quæ memoriã ab aliquo ſimili tranſferunt ad id qđ continendũ eſt, vt in nominibus, ſi Fabius forte ſit tenẽdus, referamus ad illum cunctatorẽ, qui excidere nõ poteſt, aut ad aliquẽ amicũ, qui idẽ vocetur: qđ eſt facili⁹ in Apris & in Vrſis, & Naſone aut Criſpo, vt id memoriæ affigatur, vnde ſunt nomina. [Origo quoq; aliquando declinatorũ tenendi magis cauſa eſt: vt in Cicerone, Verrio, Aurelio, ſi debet inſeri. [Illud neminem nõ iuuabit, ijſdem quibus ſcripſerit cæris ediſcere. Sequitur enim veſtigijs quibuſdam memoriã, & velut oculis intuetur nõ paginas modo, ſed verſ⁹ prope ipſos, qui tũ dicit ſimilis legẽti. Iã verò ſi litura aut adiectio aliqua aut mutatio interueniat, ſigna ſunt quædã quæ intuentes errare nõ poſſumus. [Eſt ratio, vt illi de qua primũ locutus ſum arti nõ diſſimilis, ita (ſi quid me experimenta docuerũt) & expeditior & potẽtior, ediſcere tacitè. Nã id quoq; eſt, quod tum erat optimũ, ſi nõ ſubirent velut ocioſum animũ plerunq; aliæ cogitationes, propter quas excitandus eſt voce, vt duplici motu iuuetur memoria, dicendi & audiendi. Sed hæc vox ſit modica, & magis murmur. Qui aũt legente alio ediſcit, in parte tardatur, q̃ acrior eſt oculorum, q̃ auriũ ſenſus: in parte iuuari poteſt, q̃ cũ ſemel aut bis audierit, continuo illi memoriã ſuã experiri licet, & cũ legente cõtendere. [Nã & alioqui id maximè faciendũ eſt, vt nos ſubinde tentemus, quia cõtinua lectio & quæ magis & quæ minus hærent, æqualiter tranſit. In experiẽdo teneáſne, & maior intẽtio eſt, & nihil ſuperua cui tẽporis perit, quo etiã quæ tenemus repeti ſolent, ita ſola quæ exciderũt retractãtur, vt crebra reiteratione firmẽtur: quanq̃ ſolent hoc ipſo maxime hærere, q̃ exciderunt. Illud ediſcendo ſcribendóq; cõmune eſt vtriq; plurimum cõferre bonam valetudinẽ, digeſtum cibum, animũ cogitationibus alijs liberũ. [Verùm etiam in ijs quæ ſcripſim⁹, cõplectendis multum valent, & in ijs quæ cogitamus cõtinendis propè ſolæ, excepta quæ potiſſima eſt, exercitatione, diuiſio & cõpoſitio. Nã qui rectè diuiſerit, nũq̃ poterit in rerũ ordine er-

rare. Certa ſunt enim nõ ſolũ in digerẽdis quæſtionib⁹, ſed etiã in exequendis, ſi modo rectè dicimus, prima, ac ſecũda, & deinceps: cohærétq; omnis rerũ copulatio, vt ei nihil nec ſubtrahi ſine manifeſto intellectu, nec inſeri poſſit. An verò Scæuola in luſu duodecim ſcruporũ, cũ prior calculũ promouiſſet, eſſétq; victus, dum rus tendit, repetito totius certaminis ordine, quo dato erraſſet, recordatus redijt ad eũ, quicum luſerat, íſq; ita factum eſſe confeſſus eſt. Minus idẽ ordo valebit in oratione, præſertim tot⁹ noſtro arbitrio cõſtitutus, cũ tantũ ille valeat alternus? [Etiã quæ benè cõpoſita erũt, memoriã ſerie ſua ducent. Nã ſicut facilius verſus ediſcimus q̃ proſam orationẽ, ita proſã iunctã quàm diſſolutã. Sic contingit, vt etiã quę ex tempore vi debãtur effuſa, ad verbum repetita reddãtur, quod meæ quoq; mediocritatẽ memoriæ ſequebatur, quãdo interuẽtus aliquorum, qui hunc honorẽ mererẽtur, iterare declamationis partẽ coegiſſet. Nec eſt mendacio locus, ſaluis qui interfuerunt. [Siquis tamẽ vnã maximámq; à me artẽ memoriæ quærat, exercitatio eſt, & labor multa ediſcere, multa cogitare, & (ſi fieri poteſt) quotidie, potẽtiſſimũ eſt. Nihil æquè vel augetur cura, vel negligẽtia intercidit. Quare & pueri ſtatim, vt præcepi, q̃plurima ediſcãt, & quæcũq; ætas operã iuuãdæ ſtudio memoriæ dabit, deuoret initio tædium illud & ſcripta & lecta ſæpius reuoluendi, & quaſi eundẽ cibũ remandendi. Quod ipſum hoc fieri poteſt leuius, ſi pauca primũ, & quæ tædium nõ afferãt, cœperimus ediſcere, tũ quotidie adijcere ſingulos verſus, quorũ acceſſio labori ſenſum incrementi nõ afferat, in ſummã ad infinitũ vſq; perueniat, & poetica prius tum oratorũ, nouiſſimè etiã ſolutiora numeris, & magis ab vſu dicẽdi remota, qualia ſunt iuriſconſultorũ. Difficiliora enim debent eſſe quæ exercẽt, quo ſit leuius ipſum illud in quod exercent, vt athletæ ponderibus plũbeis aſſuefaciunt man⁹ quibus vacuis & nudis in certamine vtẽdũ eſt. [Nõ omittã etiã quòd quotidianis experimẽtis deprehẽditur, minime fidelẽ eſſe paulo tardioribus ingenijs recẽtem memoriam. Mirum dictu eſt, nec in promptu ratio, quantum nox interpoſita afferat firmitatis, ſiue requieſcit labor ille, cuius ſibi ipſa fatigatio obſtabat, ſiue maturatur ac coquitur, ſeu firmiſſima eius pars eſt recordatio quæ ſtatim referri nõ poterant, cõtexuntur poſtero die: confirmátq; memoriam idem

Summa vis in ediſcẽdo, exercendaq; memoria.

illud tempus, quod esse in causa solet obliuionis. Etiã illa præue lox ferè citò effluit, & velut præsenti officio functa nihil in posterũ debeat, tanquã dimissa discedit. Nec est mirũ magis hęre re animo, quæ diutius affixa sint. ¶ Ex hac ingeniorum diuersi tate nata dubitatio est, an ad verbum sit ediscendũ dicturis, an vim modo rerum atq; ordinem complecti satis sit, de quo sine dubio non potest in vniuersum pronunciari. Nam si memoria suffragatur, tempus non desit, nulla me velim syllaba effugiat, alioqui etiam scribere sit superuacuum. Idq; præcipuè à pueris obtinendum, atq; in hanc consuetudinem memoria exercitatione redigenda, ne nobis discamus ignoscere. Ideóq; admoneri, & ad libellũ respicere vitiosum, q̃ libertatem negligentiæ facit: nec quisq̃ se parum tenere iudicat, quod ne sibi excidat nõ timet. Inde interruptus actionis impetus, & resistẽs ac salebrosa oratio, & qui dicit ediscẽdi similis, etiam omnem bene scriptorum gratiam perdit, vel hoc ipso q̃ scripsisse se confitetur. Memoria autem facit & prompti ingenij famam, vt illa quæ dicimus nõ domo attulisse, sed ibi protinus sumpsisse videamur, quod oratori & ipsi causæ plurimũ confert. Nam & magis miratur, & minus timet iudex, quæ non putat aduersus se præparata. Ideóq; in actionib⁹ inter præcipua seruandũ est, vt quædã etiam quæ optime iunximus, velut soluta enunciemus, & cogitantibus nonnunq̃, & dubitantibus similes quærere videamur, quæ attulimus. Ergo quid sit optimũ, neminem fugit. [Si vero aut memoria natura durior erit, aut non suffragabitur tempus, etiã inutile erit ad omnia se verba alligare, cũ obliuio vnius eorum cuiuslibet, aut deformẽ hęsitationem, aut etiã silentiũ inducat. Tutiúsq; multo cõprehensis animo rebus ipsis, libertatẽ sibi eloquendi relinquere. Nã & inuitus perdit quisque id quod elegerat verbum, nec facile reponit aliud dũ id quod scripserat, quærit. Sed ne hoc quidẽ infirmæ memorię remediũ est, nisi in ijs q̃ sibi facultatẽ aliquã dicendi ex tẽpore parauerũt. [Quŏd si cui vtrumq; defuerit, huic omittere omnino totũ actionum laborem, ac si quid in literis valet ad scribendũ potius suadebo conuertere. Sed hæc rara infelicitas erit. ¶ Cęterum quantũ natura studióq; valeat memoria, vel Themistocles testis, quem vnum intra annũ optime locutũ esse Persice cõstat: vel Mithridates, cui duas & viginti linguas, quot nationibus imperauit,

Quatenus ediscendũ.

Exempla memoriæ.

traditur notas fuisse: vel Crassus ille diues: qui cũ Asiæ pręesset, quinq; Greci sermonis differẽtias sic tenuit, vt qua quisq; apud eum lingua postulasset, eadẽ ius sibi redditũ ferret: vel Cyrus, quem omnium militum tenuisse creditum est nomina. Quin semel auditos quãlibet multos versus protinus dicitur reddidisse Theodectes. Dicebantur etiam esse nũc qui facerent, sed mihi nunq̃ vt ipse interessem contigit: habenda tamen fides est vel in hoc, vt qui crediderit, & speret.

De pronunciatione. Cap. III.

Pronunciatio sive Actio.

PRonunciatio à plerisque actio dicitur, sed prius nomen à voce, sequens à gestu videtur accipere. Namque actionem Cicero aliàs quasi sermonem, aliàs eloquentiã quãdam corporis dicit. Idem tamẽ duas eius partes facit, quæ sunt eædem pronũciationis, vocem atq; motum. Quapropter vtraque appellatione indifferenter vti licet. Habet autem res ipsa miram quandam in orationibus vim ac potestatem. Nec enim tam refert qualia sint, quæ intra nosmetipsos composuimus, q̃ quo modo efferantur. Nam ita quisq; vt audit, mouetur. Quare nec probatio vlla quæ aliquo modo venit ab oratore, tam firma est, vt non perdat vires suas nisi adiuuetur assẽueratione dicentis. Affectus omnes languescãt necesse est, nisi voce, vultu, totius propè habitu corporis inardescant. Nam cũ hæc omnia fecerimus, felices tamen si nostrũ illum ignem iudex cõceperit, nedum eũ supini securiq; moueamus, & ipse nostra oscitatione soluatur. Documẽto sunt vel scenici actores, qui & optimis poẽtarum tantum adijciunt gratiæ, vt nos infinitè magis eadem illa audita quàm lecta delectẽt, & vilissimis etiam quibusdam impetrent aures, vt quibus nullus est in bibliothecis locus, sit etiam frequens in theatris. Quòd si in rebus quas fictas esse scimus, & inanes, tantum pronunciatio potest, vt iram, lachrymas, solicitudinem afferat, quanto plus valeat necesse est vbi & credimus? Equidem vel mediocrem orationem cõmendatam viribus actionis affirmauerim plus habiturã esse momẽti, quàm optimam eadem illa destitutam. Siquidem & Demosthenes quid esset in toto genere dicẽdi summũ, interrogatus, pronũciationi palmã dedit, eidémq; secũdũ ac tertiũ locũ, donec ab eo quæri desierit: vt eam videri possit nõ præcipuã, sed solam iudicasse. ideóq; ipse tam diligenter apud Andronicum

Pronunciationis commendatio.

hypocriten ſtuduit, vt admirantibus eius orationem Rhodijs, nō immerito Aeſchines dixiſſe videatur, Quid ſi ipſum audiſſetis? Et M. Cicero vnam in dicēdo actionem dominari putat. Hac Cn. Lentulum plus opinionis conſecutum, quàm eloquētia tradit. Eadem C. Gracchum in deflenda fratris nece totius Po. Ro. lachrymas concitaſſe. Antonium & Craſſum multum valuiſſe, plurimum verò Q. Hortenſium: cuius rei fides eſt, q̄ eius ſcripta tantum intra famam ſunt, qui diu princeps oratorum, aliquando æmulus Ciceronis exiſtimatus eſt, nouiſſimè quoad vixit ſecundus, vt appareat placuiſſe aliquid eo dicente, quod legentes non inuenimus. Et hercle cum valeant multum verba per ſe, & vox propriam vim adijciat rebus, & geſtus motúſq; ſignificet aliquid, profecto perfectum quiddam fieri, cū omnia coierint, neceſſe eſt. [Sunt tamē qui rudē illam, & qualē impetus cuiuſq; animi tulit, actionē iudicent fortiorē, & ſolam viris dignam: ſed non alij ferè, quàm qui etiam in dicendo curam, & artem, & nitorem, & quicquid ſtudio paratur, vt affectata, & parum naturalia ſolent improbare, vel qui verborum atque ipſius etiam ſoni ruſticitate, vt L. Cottam dicit Cicero feciſſe, imitationem antiquitatis affectant. Verùm illi perſuaſione ſua fruantur, qui hominibus vt ſint oratores, ſatis putant naſci: noſtro labori dent veniam, qui nihil credim⁹ eſſe perfectū, niſi vbi natura cura iuuetur. In hoc igitur non contumaciter conſentio, primas partes eſſe naturæ. Nam certe bene pronunciare non poterit, cui aut in ſcriptis memoria, aut in ijs quæ ſubito dicenda erunt, facilitas prompta defuerit, nec ſi inemēdabilia oris incommoda obſtabūt. Corporis etiā poteſt eſſe aliqua tanta deformitas, vt nulla arte vincatur. Sed ne vox quidē niſi liberalis, actionem habere optimam poteſt. Bona enim firmáque, vt volumus, vti licet: mala vel imbecilla & inhibet multa, vt inſurgere, exclamare: & aliqua cogit, vt ſummittere, deflectere, & raucas fauces ac latus fatigatum deformi cantico reficere. Sed nos de eo nūc loquamur, cui non fruſtra præcipitur.

Improbatio erroris quorūdam.

Pronunciatio in voce & geſtu.

¶ Cum ſit autem omnis actio, vt dixi, in duas diuiſa partes, vocem geſtúmq;: quorū alter oculos, altera aures mouet, per quos duos ſenſus omnes ad animum penetrant affectus, prius eſt de voce dicere, cui etiam geſtus accommodatur. ¶ In ea prima obſeruatio eſt, qualem habeas: ſecunda quo modo vtaris. [Natu-

ra vocis ſpectatur quantitate & qualitate. Quantitas eſt ſimpli cior. In ſumma enim grandis aut exigua eſt: ſed inter has extremitates mediæ ſunt ſpecies: & ab ima ad ſummam, ac retrò, multi ſunt gradus. Qualitas magis varia. Nã eſt & candida, & fuſca, & plena, & exilis, & lenis, & aſpera, & contracta, & fuſa, & dura, & flexibilis, & clara, & obtuſa. Spiritus etiã longior breuiórq;. [Nec cauſas cur quicque eorũ accidat, perſequi propoſito operi neceſſarium eſt: eorum ne ſit differentia in quibus aura illa concipitur, an eorum per quæ velut organa meat, an ipſi propria natura, an prout mouetur, lateris pectoriſve firmitas, an capitis plus adiuuet. Nã opus eſt omnibus, ſicut non oris modo ſuauitate, ſed nariũ quoq;, per quas quod ſupereſt vocis egreditur. Dulcis tamen eſſe debet non exprobrans ſonus. ¶ Vtendi voce multiplex ratio. Nam præter illam differentiã, quæ eſt tripertita, acutæ, grauis, flexæ, tum intentis, tũ remiſſis, tũ elatis, tum inferioribus modis opus eſt, ſpatijs quoq; lentioribus aut citatioribus: ſed ijſipſis media interiacent multa: & vt facies, quanquã ex pauciſſimis conſtat, infinitam habet differentiam, ita vox, etſi paucas quæ nominari poſſent, continet ſpecies, propria cuiq; eſt, & non hæc minus auribus, quàm oculis illa dignoſcitur. [Augentur autẽ ſicut omnia, ita vocis quoq; bona, cura: & negligentia minuũtur. Sed cura nõ eadẽ oratoribꝰ, quæ phonaſcis, conuenit: tamen multa ſunt vtriſq; cõmunia, firmitas corporis, ne ad ſpadonum, & mulierũ, & ægrorum exilitatem vox noſtra tenuetur: quod ambulatio, vnctio, veneris abſtinentia, facilis ciborũ digeſtio, id eſt frugalitas, præſtat. Prẽterea vt ſint fauces integræ, id eſt molles ac lenes, quarũ vitio & frangitur, & obſcuratur, & exaſperatur, & ſcinditur vox. Nã vt tibiæ eodem ſpiritu accepto alium clauſis, alium apertis foraminibus, alium non ſatis purgatæ, aliũ quaſſæ ſonũ reddunt: ita fauces tumentes ſtrangulant vocem, obtuſæ obſcurant, raſæ exaſperãt, conuulſæ fractis ſunt organis ſimiles. Finditur etiã ſpiritus obiectu aliquo, ſicut lapillo tenues aquæ, & quarum fluxus etiam ſi vltra paulũ coit, aliquid tamen caui relinquit poſt idipſum quod offenderat. Humor quoq; vocẽ vt nimius impedit, ita conſumptus deſtituit. Nam vt fatigatio corpora, non ad præſens modo tempus, ſed etiam in futurum afficit. Sed vt cõmuniter & phonaſcis, & oratoribus neceſſaria eſt exercitatio,

Vox in natura & vſu ſpectanda.

Vſus vocis.

Vox quomodo curanda.

qua omnia conualeſcunt, ita curæ non idem genus. Nam neq; certa tempora ad ſpatiandum dari poſſunt tot ciuilibus officijs occupato, nec præparare ab imis ſonis vocem ad ſummos, nec ſemper à contentione cõcedere licet: cum pluribus iudicijs ſæpe dicendum ſit. Ne ciborum quidẽ eſt eadem obſeruatio. Nõ enim tam molli teneráq; voce, quàm forti ac durabili op⁹ eſt. Cum illi omnes etiam altiſſimos ſonos leniant cantu oris, nobis pleraq; aſperè ſint cõcitatéq; dicenda, & vigilandæ noctes, & fuligo lucubrationum bibenda, & in ſudata veſte durãdum. Quare vocem delicijs non molliamus, nec imbuamur ea conſuetudine, quę duratura nõ ſit: ſed exercitatio eius talis ſit, qualis vſus: nec ſilẽtio ſubſidat, ſed firmetur cõſuetudine, qua difficultas omnis leuatur. ¶ Ediſcere aũt quo exercearis, erit optimum (nam ex tẽpore dicenti auccatur cura vocis ille, qui ex rebus ipſis cõcipitur, affectus) & ediſcere q̃ maximè varia quæ & clamorem, & diſputationem, & ſermonẽ, & flexus habeant, vt ſimul in omnia paremur. Hoc ſatis eſt, alioqui nitida illa, & curata vox inſolitũ laborẽ recuſabit, vt aſſueta gymnaſijs, & oleo corpora, quãlibet ſint ĩ ſuis certaminib⁹ ſpecioſa atq; robuſta, ſi militare iter, faſcéſq;, & vigilias imperes, deficiãt, & quærãt vnctores ſuos, nudúmq; ſudorẽ. Illa tamẽ in hoc opere præcipi quis ferat? vitandos ſoles atq; ventos, & nubila etiam ac ſiccitates? Ita ſi dicendũ in ſole, aut vẽtoſo, humido, calidóve die fuerit, reos deſeremus? Nam crudũ quidem, aut ſaturum, aut ebrium, aut eiecto modo vomitu, quæ cauẽda quidam monẽt, declamare neminem, qui ſit mentis compos, puto. Illud nõ ſine cauſa eſt ab omnibus præceptum, vt parcatur maximè voci in illo à pueritia in adoleſcentiã trãſitu, quia naturaliter impeditur: non, vt arbitror, propter calorem, quod quidã putauerũt (nam eſt maior in alijs) ſed propter humorem potius. Nã hoc ætas illa turgeſcit. Itaque nares etiam, ac pectus eo tempore tument, atque omnia velut germinant, eóque tenera & iniuriæ obnoxia. ¶ Sed vt ad propoſitũ redeã, iam confirmatæ conſtitutæque vocis genus exercitationis optimum duco, quod eſt operi ſimillimum, dicere quotidie ſicut agimus. Namque hoc modo non vox tãtum confirmatur & latus, ſed etiam corporis decens & accommodatus orationi motus componitur. Non alia eſt autem ratio pronunciationis, quàm ipſius orationis.

Exercitatio vocis.

Vox ad orationem accõmodanda, vt ſit emẽdata, diſucida, ornata, apta.

[Nã vt illa emendata, dilucida, ornata, apta, esse debet, ita hæc quoque emendata erit, id est, vitio carebit, si fuerit os facile, ex planatũ, iucũdũ, vrbanũ, id est, in quo nulla neq; rusticitas, neque peregrinitas resonet. Non enim sine causa dicitur barbarũ Græcúmve. Nã sonis homines, vt æra tinnitu dignoscimus. Ita fiet illud quod Ennius probat, cum dicit suauiloquenti ore Cethegum fuisse: non quod Cicero in ijs reprehendit, quos ait latrare, non agere. Sunt enim multa vitia, de quibus dixi, cum in quadam primi libri parte puerorũ ora formarem, opportunius ratus in ea ætate facere illorum mentionem in qua emendari possunt. Itaque si ipsa vox primum fuerit (vt sic dicã) sana, nullum eorum de quibus nunc dixi, patietur incommodũ: deinde non subsurda, rudis, immanis, dura, rigida, varia, præpinguis, aut tenuis, inanis, acerba, pusilla, mollis, effœminata: Spiritus, nec breuis, nec parum durabilis, nec in receptu difficilis. *Dilucida pronunciatio.*

¶ Dilucida verò erit pronunciatio primum, si verba tota exegerit, quorum pars deuorari, pars destitui solet, plerisque extremas syllabas non proferentibus, dum priorum sono indulgent. Vt autem est necessaria verborum explanatio, ita omnes cõputare, & velut annumerare literas molestũ, & odiosum. Nam & vocales frequentissimè coeunt, & cosonantium quædam in sequente vocali dissimulantur. vtriusq; exemplum posuimus, Multum ille & terris. Vitatur etiam durior inter se cõgressus, vnde pellexit, & collegit, & quæ alio loco dicta sunt. Ideóque laudatur in Catullo suauis appellatio literarum. [Secũdum est, vt sit oratio distincta, id est vt qui dicit, & incipiat vbi oportet, & desinat. Obseruandum etiam quo loco sustinendus, & quasi suspendẽdus sermo sit, qd Græci ὑποδιαστολὴν, vel ὑποστιγμὴν, vel ὑποσιγμὴν vocant, quo deponendus. Suspenditur, Arma, virúmque cano, quia illud virum, ad sequentia pertinet, vt sit, virum Troiæ qui primus ab oris, & hić iterum. Nã etiamsi aliud est vnde venit, q̃ quò venit, non distinguendum tamen, quia vtrumque eodem verbo continetur, venit. tertio Italiam, quia interiectio est, Fato profugus, & continuum sermonem qui faciebat, Italiam, Lauináq;, diuidit: ob eandémq; causam, quarto profugus, deinde Lauináq; venit Littora, vbi iã erit distinctio, quia inde alius incipit sensus. Sed in ipsis etiã distinctionibus tempus, aliàs breuius, aliàs lõgius dabimus. In-

tereſt enim ſermonẽ finiat, an ſenſum. Itaq; illam diſtinctionẽ Littora, protinus altero ſpiritus initio inſequar, cũ illuc venero, Atq; altæ mœnia Romæ, deponam & morabor, & nouũ rurſus exordiũ faciã. Sũt aliquãdo & ſine reſpiratione quędam moræ etiã in periodis: vt in illa, In cœtu verò Populi Romani, negotiũ publicũ gerens, magiſter equitũ, & cętera, multa habẽt mẽbra. Sẽſus enim ſunt alij atq; alij: aliquãdo ſub vnã circũductionẽ: & ſicut vna circũductio eſt, ita paulum morãdũ in ijs interuallis: nõ interrũpẽdus eſt cõtextus: & ecõtrario ſpiritũ interim recipere ſine intellectu morę neceſſe eſt: quo loco quaſi ripiẽdus eſt, alioqui ſi inſcite recipiatur, nõ minus afferat obſcuritatis, q̃ vitioſa diſtinctio. Virt⁹ autẽ diſtinguẽdi fortaſſe ſit par ua, ſine qua tamẽ eſſe nulla alia in agendo poteſt.

Ornata pronunciatio.

¶ Ornata eſt pronũciatio, cui ſuffragatur vox facilis, magna, beata, bona, & flexibilis, firma, dulcis, durabilis, clara, pura, ſecãs aera, & auribus ſedẽs. Eſt enim quædã ad auditũ accõmodata, nõ magnitudine, ſed proprietate ad hoc velut tractabilis, vtiq; habens omnes in ſe, qui deſiderantur, ſonos intẽtionéſq;, & toto (vt aiũt) organo inſtructa: cui aderit lateris firmitas, ſpiritus cũ ſpatio pertinax, tũ labori nõ facile ceſſurus. Neq; grauiſſimus autẽ in muſica ſonus, nec acutiſſimus orationibus conuenit. Nã & hic parum clarus, nimiúmq; plenus nullũ afferre animis motũ poteſt: & ille prætenuis & immodicæ claritatis, cũ eſt vltra verũ, tum neq; pronũciatione flecti, nec diutius ferre intentionẽ poteſt. Nã vox, vt nerui, quo remiſſior, hoc & grauior & planior: quo tenſior, hoc tenuis & acuta magis eſt. Sic ima vim non habet, ſumma rũpi periclitatur. Medijs igitur vtendũ ſonis: ijque, cum augenda intentio eſt, excitandi: cum ſummittenda, ſunt tẽperãdi.

Pronunciatio tenẽda æquabiliter, ac prorerũ & verborũ natura varianda.

¶ Nã prima eſt obſeruatio rectè pronũciãdi, æqualitas, ne ſermo ſubſultet íparib⁹ ſpatijs ac ſonis, miſcẽs lõga breuibus, grauia acutis, elata ſummiſſis, & inęqualitate horum omniũ ſicut pedum, claudicet ſermo. [Secũda varietas eſt, quæ ſolũ eſt pronũciatio. Ac ne quis pugnare inter ſe putet æqualitatẽ & varietatem, cum illi virtuti contrarium ſit vitium inæqualitas, huic qui dicitur μονοειδὴς, quaſi quidam vnus aſpectus. Ars porrò variandi cum gratiam præbet, ac renouat aures, tum dicentem ipſa laboris mutatione reficit, vt ſtandi, ambulandi, ſedendi, iacendi vices ſunt, nihílque eorum pati vnum diu poſſu-

mus.[Illud vero maximum(sed id paulò post tractabimus)& secundum rationem rerum de quibus dicimus, animorúmq; habitus conformanda vox est, ne ab oratione discordet. Vitemus igitur illam quæ Græcè μονοτονία vocatur, vna quædã spiritus ac soni intentio,non solum ne dicamus omnia clamosè, quod insanum est:aut intra loquendi modum, quod motu caret:aut submisso murmure,quo etiam debilitatur omnis intẽtio:sed vt in ijsdem partibus,ijsdémque affectibus, sint tamen quædam non ita magnæ vocis declinationes,prout aut verborum dignitas,aut sententiarum natura,au depositio, aut inceptio,aut trãsitus postulabit,vt qui singulis pinxerũt coloribus, alia tamẽ eminentiora,alia reductiora fecerũt,sine quo ne mẽbris quidẽ suas lineas dedissent. Proponamus enim nobis illud Ciceronis in oratione nobilissima pro Milone principium,nónne ad singulas penè distinctiones, quamuis in eadem facie, tamen quasi vultus mutãdus est? Etsi vereor Iudices, ne turpe sit pro fortissimo viro dicere incipientem, timere. Etiam si est toto proposito contractum atque submissum, quia & exordium est,& soliciti exordium,tamen fuerit necesse est aliquid pleni? & erectius,dũ dicit,Pro fortissimo viro dicere,quàm, Etsi vereor,&, Turpe sit,&, Timere.Iam secunda respiratio increscat oportet,& naturali quodam conatu, quo minus pauidè dicimus quæ sequuntur, & quo magnitudo animi Milonis ostenditur. Miniméq; deceat,cum T.Annius ipse magis de reipublicæ salute quàm de sua perturbetur. Deinde quasi obiurgatio sui est, Me ad eius causam parẽ animi magnitudinem afferre nõ posse. Tum inuidiosiora, Tamen hæc noui iudicij noua forma terret oculos.Illa verò iã penè apertis (vt aiũt) tibijs, Quia quocunq; inciderũt,veterẽ consuetudinẽ fori,& pristinũ morẽ iudiciorũ requirũt.Nã sequens latum etiã atq; effusum est. Nõ enim corona cõsessus vester cinct? est,vt solebat.Quod notaui, vt appareret non solum in membris causæ, sed etiã in articulis esse aliquam pronunciandi varietatem:sine qua nihil,nec minus,nec maius est.[Vox autẽ vltra vires vrgẽda nõ est.Nã & suffocata sæpe,& maiore nisu minus clara est,& interim elisa in illum sonum erumpit, cui Græci κλωσμὸν nomen ab immaturo gallorum cantu dederunt. Nec volubilitate nimia confundenda quæ dicimus,qua & distinctio perit & affectus, & nõnunquam

etiam verba aliqua ſui parte fraudantur. Cui contrarium eſt vitium nimiæ tarditatis. Nam & difficultatem inueniendi fatetur, & ſegnitia ſoluit animos, & in quo eſt aliquid, temporibus præfinitis aquam perdit. [Promptum ſit os, non præceps: moderatum, non lentũ. [Spiritus quoque nec crebro receptus cõcidat ſententiam, nec eo vſque trahatur, donec deficiat. Nam & deformis eſt cõſumpti illius ſonus, & reſpiratio ſub aqua diu preſſi ſimilis, & receptus longior, & non oportunus, vt qui fiat non vbi volumus, ſed vbi neceſſe eſt. Quare longiorem dicturis periodum colligendus eſt ſpiritus: ita tamen, vt id neq; diu, neq; cum ſono faciamus, neque omnino vt manifeſtum ſit: reliquis partibus optime inter iuncturas ſermonis reuocabitur. Exercendus autem eſt, vt ſit q̃ longiſſimus: quod Demoſthenes vt efficeret, ſcandens in aduerſum continuabat quàm poſſet plurimos verſus. Idẽ quo facilius verba ore libero exprimeret, calculos lingua voluens dicere domi ſolebat. Eſt interim & longus, & plenus, & clarus ſatis, ſpiritus: non tamen ſatis firmę intentionis, ideóq; tremulus: vt corpora quæ aſpectu integra, neruis parum ſuſtinentur: id Græci βράγχον vocant. Sũt qui ſpiritum cum ſtridore per raritatem dentium non recipiunt, ſed reſorbent. Sunt qui crebro anhelitu, & introrſum etiam clare ſonante, imitentur iumenta onere & iugo laborantia. Quod affectant quoq; tanquam inuẽtionis copia vrgeantur, maiórque vis eloquentiæ ingruat, q̃ quæ emitti faucibus poſſit. [Eſt alijs concurſus oris, & cum verbis ſuis colluctatio. [Iã tuſſire, & expuere crebro, & ab imo pulmone pituitam trochleis adducere, & oris humore proximos ſpargere, & maiorem partem ſpiritus in loquendo per nares effundere, etiam ſi non vtiq; vocis ſunt vitia, quia tamẽ propter vocem accidunt, potiſſimum huic loco ſubijciantur. [Sed quodcũque ex ijs vitium magis tulerim, quàm quo nũc maxime laboratur in cauſis omnibus ſcholiſq;, cantandi: quod inutilius ſit an fœdius, neſcio. Quid enim minus oratori conuenit, quàm modulatio ſcenica, & nonnunquã ebriorum, aut comeſſantium licentiæ ſimilis? Quid verò mouendis affectibus contrarium magis, quàm cum dolẽdum, iraſcendum, indignandum, commiſerandum ſit, non ſolum ab ijs affectibus, in quos inducendus eſt iudex, recedere, ſed ipſam fori ſanctitatem, ludorum talarium licentia ſoluere? Nam Ci-

De ora. 1.

cero illos ex Lycia & Caria rhetores penè cantare in epilogis dixit. Nos etiam cantãdi ſeueriorem paulo modum exceſſimus. Quiſquam ne, nõ dico de homicidio, ſacrilegio, parricidio, ſed de calculis certe atque rationibus: quiſquam denique (vt ſemel finiam) in lite cantat? Quod ſi omnino recipiendum eſt, nihil cauſæ eſt cur non illam vocis modulationem fidibus ac tibijs, imò mehercule, quod eſt huic deformitati propius, cymbalis adiuuemus. Facimus tamen hæc libenter. Nam nec cuiquã ſunt iniucunda quæ cantant ipſi, & laboris in hoc, quàm in agẽdo minus eſt. Et ſunt quidam qui ſecundum alia vitę vitia, etiã hac vbique audiendi quod aures mulceat, voluptate ducantur. Quid ergo? non & Cicero dicit eſſe aliquem in oratione cantũ obſcuriorem? Et hoc quodam naturali vitio venit. Oſtendã nõ multo poſt, vbi & quatenus recipiendus ſit hic flexus, & cantus quidem, ſed (quod pleriq; intelligere nolunt) obſcurior. ¶ Iam enim tempus eſt dicendi quæ ſit apta pronunciatio, quæ certè ea eſt, quæ ijs de quibus dicimus, accommodatur: quod quidẽ maxima ex parte præſtant ipſi motus animorum, ſonátq; vox vt feritur. Sed cum ſint alij veri affectus, alij ficti & imitati: veri naturaliter erumpunt, vt dolentium, iraſcentium, indignantium, ſed carent arte, ideóq; non ſunt diſciplinæ traditione formandi: contrà qui effinguntur imitatione, artem habẽt: ſed hi carent natura, ideóq; in ijs primum eſt bene affici, & concipere imagines rerum, & tanquã veris moueri: ſic velut media vox, quem habitum à nobis acceperit, hunc iudicum animis dabit. Eſt enim mentis index, & velut exemplar, ac totidem quot illa mutationes habet. Itaque lætis in rebus plena, ſimplex, & ipſa quodam modo hilaris fluit: at in certamine erecta totis viribꝰ, & velut omnibus neruis intẽditur. Atrox in ira & aſpera ac dẽſa, & reſpiratione crebra. Neque enim poteſt eſſe longus ſpiritꝰ, cum immoderatè effunditur. Paulùm in inuidia facienda lentior, quia non ferè ad hanc niſi inferiores confugiunt: at in blãdiendo, fatendo, ſatiſfaciendo, rogando, lenis & ſubmiſſa. Suadentium, & monentium, & pollicentium & conſolantium grauis, in metu & verecundia contracta, adhortationibus fortis, diſputationibus teres, miſeratione flexa & flebilis, & cõſultò quaſi obſcurior: at in egreſſionibus fuſa & ſecuræ claritatis, in expoſitione ac ſermonibus recta, & inter acutum ſonum & grauem

Pronunciatio apta.

media. Attollitur autem cõcitatis affectibus, compoſitis deſcẽdit, pro vtriuſq; rei modo altius vel inferius. ¶ Quid autẽ quiſque in dicẽdo poſtulet locus, paulum differam, vt de geſtu pri⁹ dicam, qui & ipſi voci conſentit, & animo cum ea ſimul paret.

De geſtu pronunciationis.

Is quantum habeat in oratore momenti: ſatis vel ex eo patet, quòd pleraque etiam citra verba ſignificat. Quippe non manus ſolum, ſed nutus etiam declarant noſtram voluntatem, & in mutis pro ſermone ſunt, & ſalutatio frequenter ſine voce intelligitur atque afficit, & ex vultu ingreſſúque perſpicitur habitus animorum, & animalium quoq; ſermone carentium ira, lætitia, adulatio, & oculis, & quibuſdam alijs corporis ſignis deprehẽditur. Nec mirum ſi iſta, quę tamen in aliquo poſita ſunt motu, tantum in animis valent, cum pictura tacens opus, & habitus ſemper eiuſdem, ſic in intimos penetret affectus, vt ipſam vim dicendi nonnunquam ſuperare videatur. Contra ſi geſtus ac vultus ab oratione diſſentiant, triſtia dicamus hilares, affirmemus aliqua renuentes: non authoritas modo verbis, ſed etiã fides deſit. Decor quoq; à geſtu atque à motu venit. Ideóq; Demoſthenes grãdè quoddam ſpeculum intuens cõponere actionem ſolebat. Adeo quãuis fulgor ille ſiniſtras imagines reddat, ſuis demum oculis credidit, quod efficeret. [Præcipuum verò

Caput.

in actione ſicut in corpore ipſo, caput eſt, cum ad ipſum de quo dixi decorem, tum etiam ad ſignficationem decoris illa ſunt, vt ſit primo rectum & ſecundum naturam. Nam & deiecto humilitas, & ſupino arrogantia, & in latus inclinato languor, & præduro ac rigente barbaria quædam mentis oſtenditur: Tum accipiat aptos ex ipſa actione motus, vt cum geſtu cõcordet, & manibus ac lateribus obſequatur. Aſpectus enim ſemper eodẽ vertitur quò geſtus, exceptis quæ aut dãnare, aut non concedere, aut à nobis remouere oportebit, vt idem illud vultu videamur auerſari, manu repellere. Dij talem terris auertite peſtem. Haud equidem tali me dignor honore. Significat verò plurimis modis. Nam præter annuẽdi, renuẽdi, confirmandíq; motus, ſunt & verecũdiæ, & dubitationis, & admirationis & indignationis, noti & cõmunes omnibus. Solo tamẽ eo facere geſtũ ſcenici quoque doctores vitioſum putauerunt. Etiã frequens eius nutus non caret vitio, adeo iactare id, & comas excutientẽ

Vultus.

rotare phanaticum eſt. [Dominatur autem maximè vultus.

Hoc ſupplices, hoc minaces, hoc blandi, hoc triſtes, hoc hilares, hoc erecti, hoc ſubmiſſi ſumus, hoc pendent homines, hũc intuentur, hunc ſpectãt etiã anteq̃ dicamus, hoc quoſdã amam⁹, hoc odimus, hoc plurima intelligimus: hic eſt ſæpè pro omnib⁹ verbis. Itaq; in ijs quæ ad ſcenã cõponuntur fabulis, artifices pronunciandi à perſonis quoque affectus mutuantur, vt ſit Niobe in tragœdia triſtis, atrox Medea, attonitus Aiax, truculentus Hercules. In comœdijs verò præter aliã obſeruationẽ, qua ſerui, lenones, paraſiti, ruſtici, milites, vetulæ, meretriculæ, ãcillæ, ſenes auſteri ac mites, iuuenes ſeueri ac luxurioſi, matronæ, puellæ, inter ſe diſcernũtur: Pater ille cuius præcipuæ partes ſunt, quia interim concitatus, interim lenis eſt, altero erecto, altero compoſito eſt ſupercilio: atque id oſtendere maximè Latinis actoribus moris eſt, quod cum ijs quas agunt partibus congruat. [Sed in ipſo vultu plurimũ valent oculi, per quos maximè animus emanat, vt citra motũ quoque, & hilaritate enitescant, & triſtitia quoddam nubilum ducãt. Quinetiam lachrymas ijs natura mentis indices dedit, quę aut erumpunt dolore, aut lætitia manant. Motu verò intenti, remiſſi, ſuperbi, torui, mites, aſperi fiunt, quæ vt actus popoſcerit, fingentur. Rigidi verò & extenti, aut languidi & torpentes, aut ſtupentes, aut laſciui & mobiles, aut natantes, & quadam voluptate ſuffuſi, aut limi, & (vt ſic dicam) venerei, aut poſcentes aliquid pollicentésve nonnunquam eſſe debebunt. Nam opertos compreſſóſve eos in dicendo, quis niſi planè rudis & ſtultus habeat? Et ad hæc omnia exprimenda in palpebris etiã & in genis eſt quoddã deſeruiens ijs miniſterium. Multum & ſupercilijs agitur. Nam & oculos formant aliquatenus, & fronti imperant. His contrahitur, attollitur, demittitur, vt nulla res in ea plus valeat. Sanguis ille, qui mentis habitu mouetur, & cum infirma verecundia cutem accipit, effunditur in ruborem, cum metu refugit, abit omnis, & pallore frigeſcit, tẽperatus mediũ quoddã ſerenũ efficit. Vitiũ in ſupercilijs, ſi aut immota ſunt omnino, aut nimiũ mobilia, aut inæqualitate (vt modo de perſona comica dixeram) diſſident, aut contra id quod dicimus finguntur. Etenim contractis triſtitia, diductis hilaritas, remiſſis pudor oſtenditur. Annuendi quoque renuendíve ratione demittuntur aut alleuantur. [Naribus labríſque non ferè

Oculi.

Palpebræ.

Genæ.

Supercilia.

Nares & labra.

quicqũam decenter oſtendimus, tametſi deriſus, contémptûs, faſtidium ſignificari ſolet. Nam & corrugare nares (vt Horatius ait) & inflare, & mouere, & digito inquietare, & impulſu ſubito ſpiritum excutere, & diducere ſæpius, & plana manu reſupinare, indecorum eſt, cum emunctio etiam frequentior non ſine cauſa reprehendatur. Labra & porriguntur male, & ſcindũtur & aſtringuntur, & diducuntur, & dentes nudant, & in latus ac penè ad aurẽ trahũtur, & velut quodam faſtidio replicantur, & pendent, & vocem tantum altera parte dimittunt. Lambere quoque ea & mordere deforme eſt, cum etiam in efferendis verbis, modicus eſſe eorum debeat motus. Ore enim magis q̃ labris loquendum eſt. [Ceruicem erectam oportet eſſe, non rigidam aut ſupinam. Collum diuerſa quidem, ſed pari deformitate contrahitur & tenditur, ſed tenſo ſubeſt & labor, tenuatúrque vox ac fatigatur. Affixum pectori mẽtum minus claram, & quaſi latiorem preſſo gutture facit. Humerorum raro decens alleuatio atq; contractio eſt. Breuiatur enim ceruix, & geſtum quendam humilem atque ſeruilem, & quaſi fraudulentum facit, cum ſe in habitũ adulationis, admirationis, metus, fingunt.

Ceruix, & collum, & humeri.

Brachium.

[Brachij moderata proiectio remiſſis humeris atque explicantibus ſe in proferenda manu digitis, continuos & decurrẽtes locos maximè decet. At cum ſpecioſius quid vberiúſq; dicendũ eſt, vt illud, Saxa atque ſolitudines voci reſpondent, expatiatur in latus, & ipſa quodãmodo in ſe cum geſtu fundit oratio. [Manus verò ſine quibus trũca eſſet actio ac debilis, vix dici poteſt, quot motus habeant, cum penè ipſam verborum copiam perſequantur. Nam cęteræ partes loquentem adiuuant, hæ (propè eſt vt dicam) ipſæ loquuntur. An non ijs poſcimus? pollicemur? vocamus? dimittimus? minamur? ſupplicamus? abominamur? timemus? interrogamus? negamus? gaudium, triſtitiam, dubitationem, confeſſionem, pœnitentiam, modum, copiam, numerum, tempus, oſtendimus? Non eædem concitant? ſupplicant? inhibent? probant? admirantur? verecundantur? non in demonſtrãdis locis atque perſonis aduerbiorum atque pronominum obtinent vicem? vt in tanta per omnes gentes nationéſque linguæ diuerſitate hic mihi omnium hominum cõmunis ſermo videatur. [Et ij quidẽ de quibus ſum locutus, cũ ipſis vocibus naturaliter exeũt geſtus, alij ſunt qui res imitatione ſignificãt,

Manus.

Imitatio geſticularis vitioſa.

vt si ægrum tentantis venas medici similitudine, aut citharœdũ formatis ad modũ percutientis neruos manibus ostendas. quod est genus quãlõgissimè in actione fugiendũ Abesse enim plurimũ à saltatore debet orator, vt sit gest⁹ ad sensus magis q̃ ad verba accõmodatus: qd̃ etiã histrionibus paulò grauiorib⁹ facere moris fuit. Ergo vt ad se manum referre cũ de se ipso loquatur, & in eum quẽ demõstret intendere, & aliqua his similia permiserim, ita non effingere status quosdã, & quicquid dicet, ostẽdere. Neque id in manibus solum, sed in omni gestu ac voce seruandum est. Non enim aut in illa periodo, Stetit soleatus prætor Populi Romani, inclinatio incumbentis in mulierculam Verris effingenda est: aut in illa, Cædebatur in medio fo Act. 7.
ro Messalæ, motus laterum, qualis esse ad verbera solet torquendus: aut vox qualis dolore exprimitur, eruenda. Cum mihi comœdi quoque pessime facere videantur, qui etiam si iuuenem agant, cũ tamen in expositione, aut senis sermo, vt in Hydriæ prologo: aut mulieris, vt in Georgo, incidit, tremula vel effœmi nata voce pronunciãt. Adeo in illis quoq; est aliqua vitiosa imi tatio, quorum ars omnis cõstat imitatione. [Est autem gestus Digiti.
ille maxime cõmunis, quo medius digitus in pollicem contrahitur explicitis tribus, & principijs vtilis, cum leni in vtramq; partem motu modice prolatus, simul capite atque humeris sensim ad id quo manus feratur obsecundantibus: & in narrando certus, sed tum paulo productior, & in exprobrando, & in arguendo acer atque instans. Longius enim partibus ijs & liberius exeritur. Vitiosè vero idem sinistrum quasi humerum petens in latus agi solet, q̃q̃ adhuc peius aliqui transuersum brachium proferunt, & cubito pronunciant. Duo quoque medij sub pollicem veniunt, & est hic adhuc priore gestus instantior, principio & narrationi non accommodatus. At cum tres contracti pollice premuntur, tum digitus ille, quo vsum optime Crassum Cicero dicit, explicari solet. Is in exprobrando & indicando (vnde Index Crassi.
ei nomẽ est) valet: & alleuata ac spectãte numerũ manu paulũ inclinatus affirmat. Versus in terram & quasi pronus vrget: aliquando pro humero est. Idem summo articulo vtrinq; leuiter apprehenso, duobus modice curuatis, minus tamen minimo, aptus ad disputandũ est. Acrius tamen argumẽtari vidẽtur, qui medium articulum potius tenẽt, tãto contractioribus vltimis

digitis, quãto priores deſcenderunt. Eſt & ille verecundæ actioni aptiſſimus, quo quatuor primis leuiter in ſummũ coeuntib⁹ digitis, nõ procul ab ore aut pectore fertur ad nos manus, & deinde prona ac paululũ plata laxatur. Hoc modo cœpiſſe Demoſthenẽ credo in illo pro Cteſiphõte timido ſummiſſóq; principio: ſic formatã Ciceronis manũ, cum diceret, Si quíd eſt in me ingenij Iudices, quod ſentio q̃ ſit exiguum. Eadẽ aliquatenus liberius deorſum ſpectãtibus digitis colligitur in os, & fuſius paulo in diuerſa reſoluitur, vt quodam modo ſermonẽ ipſum proferre videatur. Binos interim digitos diſtinguimus, ſed non inſerto pollice, paulum tamen inferioribus intra ſpectãtibus, ſed ne illis quidem tenſis qui ſupra ſunt. Duo interim palmã circa ima pollicis premunt, ipſe prioribus ad medios articulos iungitur: interim quartus obliquè reponitur, interim quatuor remiſſis magis q̃ tenſis, pollice intus inclinato, habilem in latus demonſtrando aut diſtinguendo quæ dicimus manum facimus, cum ſupina in ſiniſtrum latus, prona in alterum fertur. Sunt & illi breues geſtus, cum manus leuiter pandata, qualis vouentiũ eſt, paruis interuallis, & ſubaſſentiẽtib⁹ humeris mouetur, maximè apta parcè & quaſi timidè loquẽtibus. Eſt admirationi cõueniẽs ille geſtus, quo manus modice ſupinata, ac per ſingulos à minimo collecta digitos redeũte flexu ſimul explicatur atq; conuertitur. Nec vno modo interrogãtes geſtum cõponimus, plerũq; tamen vertẽtes manũ, vtcũque cõpoſita eſt. Pollici proximus digitus, mediúmq; cõtingens qua dexter eſt, vnguẽ pollici ſummo ſuo iungẽs, remiſſis cæteris, eſt & approbãtibus, & narrantibus, & diſtinguentibus decorus. Cui nõ diſſimilis, ſed cõpreſſis tribus digitis, quo nunc Græci plurimum vtũtur etiã vtraq; manu, quoties enthymemata ſua geſtu velut cornu tundũt cæſim. Manus lenior promittit & aſſentatur, citatior hortatur, interim laudat. Eſt & ille vrgens orationem geſtus vulgaris magis q̃ ex arte, qui cõtrahit alterno celeríq; motu, & explicat manũ. Eſt & illa caua, & rara, & ſupra humeri altitudinem elata cum quodam motu velut hortatrix manus à peregrinis ſcholis iam propè recepta. Tremula ſcenica eſt. Digitos, cum ſummi coierunt, ad os referre, cur quibuſdam diſplicuerit, neſcio. Nã id & leuiter admirantes, & interim ſubita indignatione velut paueſcẽtes & deprecantes, facimus. Quin compreſſam etiam

Pro Archia.

manum in ſignũ pœnitentiæ vel iræ, pectori admouemus, vbi vox vel inter dentes expreſſa non dedecet. Quid nunc agam? quid faciam? Auerſo pollice demonſtrare aliquid, receptũ magis puto, quàm oratori decorũ. Sed cum omnis motus ſex partes habeat, ſeptimúſq; ſit ille q̃ in ſe redit orbis, vitioſa eſt vna circumuerſio, reliqui ante nos, & dextra lęuáq;, & ſurſum & deorſum aliquid oſtẽdunt, in poſteriora geſtus nõ dirigitur. Interim tamẽ velut reijci ſolẽt. Optime autẽ manus à ſiniſtra parte incipit, in dextra deponitur, ſed vt deponere nõ vt ferire videatur: quãquã & in fine interim cadit, vt cito tamẽ redeat, & nõnunquam reſilit, vel negãtibus nobis, vel admirãtibus. Hic veteres artifices illud rectè adiecerũt, vt manus cum ſenſu & inciperet, & deponeret. Alioqui enim aut ante vocẽ erit geſtus, aut poſt vocẽ, quod eſt vtrũq; deforme. In illo lapſi nimia ſubtilitate ſunt, quòd interuallum motus tria verba eſſe voluerũt, quod nec obſeruatur, nec fieri poteſt, ſed illi quaſi menſuram tarditatis celeritatíſque aliquam eſſe voluerunt, nec immeritò, ne aut diu ocioſa eſſet manus, aut (quod multi faciũt) actionem continuo motu conciderent. Aliud eſt quod & fit frequẽtius, & magis fallit. Sunt quædam latentes ſermonis percuſſiones, & quaſi aliqui pedes, ad quos plurimorum geſtus cadit, vt ſit vnus motus, Nouum crimen: alter, C. Cæſar: tertius, Et ante hanc diem: quartus, Inauditum: deinde, Propinquus meus: &, Ad te Quintus Tubero detulit. Vnde id quoque fluit vitiũ, vt iuuenes cum ſcribunt, geſtu præmodulati cogitationem ſic componant, quomodo caſura manus ſit. Inde & illud vitium, vt geſtus qui in fine dexter eſſe debet, in ſiniſtram frequenter deſinat. Melius illud cum ſint in ſermone omni breuia quædã membra, ad quæ ſi neceſſe ſit, recipere ſpiritum liceat, ad hæc geſtum diſponere: vtputa, Nouum crimen C. Cæſar, habet per ſe finem quendam ſuum, quia ſequitur coniunctio: deinde, Et ante hanc diem inauditum, ſatis circunſcriptum eſt. Ad hæc commodanda manus eſt, idque dum eruperit prima & compoſita actio. At vbi iam calor eam cõcitauerit, etiam geſtus cum ipſa orationis celeritate crebreſcet. Alijs locis citata, alijs preſſa conueniet pronunciatio. Illa tranſcurrimus, congerimus, feſtinamus: hac inſtamus, inculcam⁹, infigim⁹. Plus autẽ effect⁹ habent lentiora. Ideóq; Roſcius citatior, Aeſopus grauior fuit:

q̃ ille comœdias, hic tragœdias egit. Eadem motus quoq; obſeruatio eſt. Itaq; in fabulis iuuenum, ſenum, militum, matronarum grauior ingreſſus eſt: ſerui, ancillæ, paraſiti, piſcatores, citatius mouentur. Tolli autem manum artifices ſupra oculos, demitti infra pectus vetãt: adeo à capite eã petere, aut ad imũ vẽ trẽ deducere vitioſum habetur. At ſiniſtrã intra humerũ promouere, vltra non decet. Sed cum auerſantes in læuam partẽ velut propellemus manum, ſiniſter humerus proferendus, vt cum capite ad dextrã ferente conſentiat. ¶ Manus ſiniſtra nũquam ſola recte geſtum facit, dextræ ſe frequenter accommodat, ſiue in digitos argumenta digerimus, ſiue auerſis in ſiniſtrum palmis abominamur, ſiue obijcimus aduerſas, ſiue in latus vtrũq; diſtendimus, ſiue ſatisfacientes, aut ſupplicantes. Diuerſi ſunt autem ij geſtus, ſiue ſummittimus, ſiue adorantes attollim⁹, ſiue aliqua demõſtrationi, aut inuocationi portẽdim⁹, Vos albani tumuli atq; luci aut Gracchanũ illud, Quò me miſer cõferã? quò vertã? in capitoliũ ne? at fratris ſanguine redundat. an domũ? matrem ne vt miſeram lamẽtantémq; videam & abiectam? Plus enim affectus in ijs iunctæ exhibẽt manus. In rebus paruis, triſtibus, mitibus, breues: magnis, lætis, atrocibus, extenſiores ſunt. [Vitia quoque earum ſubijcienda ſunt, quæ quidẽ accidere etiam exercitatis actoribus ſolent. Nam geſtũ poculum poſcentis, aut verbera minantis, aut numerum quingentorũ pollice flexo efficientis, quæ ſunt à quibuſdã ſcriptoribus notata, ne in ruſticis quidẽ vidi. At vt brachio exerto intro ſpiciatur latus, vt manum alius vltra ſinũ proferre nõ audeat, alius in quantum patet longitudo protẽdat, aut ad tectum erigat, aut repetito vltra læuũ humerũ geſtu ita in tergum flagellet, vt conſiſtere poſt eum parum tutum ſit, aut ſiniſtrum ducat orbem, aut temerè ſparſa manu in proximos offendat, aut cubitum vtrunque in diuerſum latus ventilet, ſæpè ſcio euenire. Solet eſſe & pigra, & trepida, & ſecanti ſimilis, interim vncis etiam digitis, aut à capite deijciatur, aut eadẽ manus ſupinata in ſuperiora iactetur. Fit & ille habitus, qui eſſe in ſtatuis pacificator ſolet, qui inclinato in humerũ dextrũ capite, brachio ab aure prætẽſo, manũ infeſto pollice extẽdit: q̃ quidẽ maximè placet ijs, q̃ ſe dicere ſublata manu iactãt. Adijcias licet eos q̃ ſẽ tẽtias vibratis digitis iaculãtur, aut manu ſublata denũciant,

Siniſtra manus.

De orat. 3.

Vitia manuũ.

aut (quod per ſe interim recipiendum eſt) quoties aliquid ipſis placuit, in vngues eriguntur. ſed vitioſum id faciunt, aut digito quanto plurimum poſſunt erecto, aut etiã duobus, aut vtraque manu ad modum aliquid portantiũ compoſita. [His accedunt vitia non naturæ, ſed trepidationis, cum ore cõcurrẽte rixari, ſi memoria fefellerit, aut cogitatio non ſuffragetur, quaſi faucib⁹ aliquid obſtiterit inſonare, in aduerſum tergere nares, obambulare ſermone imperfecto, reſiſtere ſubito, & laudẽ poſcere ſilẽtio, quę omnia perſequi propè infinitum eſt. Sua enim cuiq; ſunt vitia. Pectus ac venter ne proijciãtur, obſeruãdum. Pandunt enim poſteriora, & eſt odioſa omnis ſupinitas. Latera cũ geſtu conſentiant. Facit enim aliquid & totius corporis motus, adeo vt Cicero plus illo agi, q̃ manibus ipſis putet. Ita enim dicit in oratore, Nullæ argutiæ digitorũ, non ad numerũ articulus cadens, trunco magis toto ſe ipſe moderans, & virili laterũ flexione. Femur ferire, quod Athenis primus feciſſe creditur Cleon, & vſitatum eſt, & indignantes decet, & excitat auditorẽ. Idque in Callidio Cicero deſiderat. Non frons, inquit, percuſſa, non femur, pedũ (quod nimiũ eſt) nulla ſupploſio: q̃q̃ (ſi licet) de fronte diſſentio. Nã etiã complodere manus ſcenicum eſt, & pectus cædere. Illud quoq; raro decebit, caua manu ſummis digitis pectus appetere, ſiquando noſmetipſos alloquimur, cohortantes, obiurgantes, miſerantes. quod ſiquando fiet, togã quoque inde remouere nõ decebit. [In pedibus obſeruãtur ſtatus & inceſſus. Prolato dextero ſtare, & eandẽ manum ac pedẽ proferre, deforme eſt. In dextrũ incumbere interim datur, ſed æquo pectore, qui tamen comicus magis q̃ oratorius geſtus eſt. Malè etiam in ſiniſtrũ pedem inſiſtentium dexter aut attollitur, aut ſummis digitis ſuſpenditur. Varicare ſupra modum, & in ſtando deformè eſt, & accedente motu propè obſcœnũ. Procurſio opportuna, breuis, moderata, rara: conuenit etiã & ãbulatio quædã propter immodicas laudationum moras: quanquã Cicero rarum inceſſum, neque ita longũ probat. Diſcurſare vero & quod Domitius Apher de Sura Manilio dixit ſatagere, ineptiſſimũ. Vrbanéq; Flauius Virginius interrogauit de quodã ſuo ãtiſophiſte, quot millia paſſuũ declamaſſet. Pręcipi & illud ſcio, ne ãbulãtes auertamur à iudicibus, ſed ſint obliq; pedes ad conciliũ nobis reſpicientibus. Id fieri iudicijs priuatis non po-

Aſia vitia.

De cla. ora.

De pedum geſtu.

De ora. 1.

teſt. Verum & breuiora ſint ſpatia, nec auerſi diu ſimus, interim tamen recedere ſenſim datur. Quidam & reſiliunt, quod eſt planè ridiculum. Pedis ſupploſio vt loco eſt opportuna (vt
De ora. 3. ait Cicero) in contentionibus, aut incipiendis, aut finiendis, ita crebra & inepti eſt hominis, & deſinit iudicem in ſe conuertere. Eſt & illa indecora in dextrum ac læuum latus vacillatio alternis pedibus inſiſtentium. Longiſſimè fugienda mollis actio,
De cla. ora. qualem in Tityo Cicero dixit fuiſſe. Vnde & ſaltationis quoddam genus Tityus eſt appellatum. Reprehendenda eſt & illa frequens, & concitata in vtramq; partẽ nutatio, quam in Curione patre irriſit & Iunius, quærens quis è lintre loqueretur, & Sicinius. Nam cum aſſidente collega qui erat propter valetudinem & deligatus, & pluribus medicamentis propter dolorẽ artuum delibutus, multum ſe Curio ex more iactaſſet, Nunq̃, inquit, Octaui collegæ tuo gratiã referes: qui niſi fuiſſet iſtic, hodie te muſcæ comediſſent. Iactãtur & humeri, quod vitiũ Demoſthenes ita dicitur emendaſſe, vt cum in anguſto quodã pulpito ſtãs diceret, haſta humero dependens immineret, vt ſi calore dicẽdi vitare id excidiſſet, offenſatione illa cõmoneretur. Ambulantẽ loqui ita demũ oportet, ſi in cauſis publicis, in quibus ſunt multi iudices, quod dicimus, quaſi ſingulis inculcare peculiariter velimus. Illud verò refellendũ, q̃ quidã reiecta in humerum toga, cũm dextera ſinum vſque ad lumbos reduxerunt, vt ſiniſtra geſtũ faciẽtes ſpatientur & fabulentur, cũ etiã læuã reſtringere prolata longius dextra ſit odioſum. Vnde moneor vt ne id quidem tranſeam ineptiſſimè fieri, cũ inter moras laudationũ, aut in aurẽ alicuius loquuntur, aut cum ſodalibus iocantur, aut nonnunquam ad librarios ſuos ita reſpiciunt, vt ſportulam dictare videantur. Inclinari ad iudicem cum doceas, vtique ſi id de quo loquaris, ſit obſcurius, decet. Incumberè aduocato aduerſis ſubſellijs ſedenti, contumelioſum eſt. Reclinari etiam ad ſuos, & manibus ſuſtineri, niſi planè iuſta fatigatio eſt, delicatũ, ſicut palàm moneri excidentis, aut legere. Nam in his omnibus & vis illa dicendi ſoluitur, & frigeſcit affectus, & iudex parum ſibi præſtari reuerentiæ credit. Tranſire in diuerſa ſubſellia parũ verecundũ eſt. Nam & Caſſius Seuerus vrbanè aduerſus hoc facientes, lineã popoſcit. Et ſi aliquando concitatè itur, nunquam non frigidè reditur. ¶ Multa ex ijs

quæ præcipimus mutari neceſſe eſt ab ijs qui dicunt apud tribu nalia. Nam & vultus erectior, vt eum apud quẽ dicitur ſpectet: & geſtus, vt ad eundẽ tendens elatior ſit, neceſſe eſt, & alia quæ occurrere etiã me tacente omnibus poſſunt. Itémq; ab ijs qui ſedentes agunt. Nam & ferè fit hoc in rebus minoribus: & ijdẽ impetus actionis eſſe non poſſunt, & quædam vitia fiunt neceſſaria. Nam & dexter pes à læua iudicis ſedentis proferendus eſt, & ex altera parte multis geſtus neceſſe eſt in ſiniſtrum eant, vt ad iudicẽ ſpectent. Equidẽ pleroſq; & ad ſingulas clauſulas ſententiarum video aſſurgentes ſibi, & nonnullos ſubinde aliquid etiam ſpatiantes: quod an deceat ipſi viderint, cũ id faciunt, nõ ſedentes agunt. Bibere, aut etiam eſſe inter agendũ, quod multis moris fuit, & eſt quibuſdam, ab oratore meo procul abſit. Nam ſi quis aliter dicendi onera perferre non poſſit, nõ ita miſerum eſt non agere, potiũſq; multo, quàm & operis & hominum contemptũ fateri. *Quid ſedentes deceat.*

¶ Cultus non eſt proprius oratoris aliquis, ſed magis in oratore conſpicitur. Quare ſit (vt in omnib⁹ honeſtis debet eſſe) ſplẽdidus & virilis. Nã & toga, & calceus, & capillus, tam nimia cura, q̃ negligẽtia ſunt reprehendenda. Eſt aliquid in amictu, quod ipſum aliquatenus temporum conditione mutatũ eſt. Nã veteribus nulli ſinus, pquàm breues poſt illos fuerũt. Itaque & geſtu neceſſe eſt vſus eſſe in principijs eos alio, quorum brachium ſicut Græcorum, veſte continebatur. Sed nos de præſentibus loquimur. *De cultu oratoris.*

[Cui laticlauio iuſ nõ erit, ita cingatur, vt tunicæ prioribus oris infra genua paulum, poſterioribus ad medios poplites vſq; perueniant. Nam infra mulierum eſt, ſupra centurionũ. Vt purpuræ rectè deſcendant, leuis cura eſt. Notatur interim negligentia. Latum habentium clauũ modus eſt, vt ſit paulum cinctis ſummiſſior. *Cinctura.*

[Ipſam togã rotundã eſſe, & aptè cæſam velim. Aliter enim multis modis fiet enormis. Pars eius prior medijs cruribus optimè terminatur, poſterior eadẽ portione altius q̃ cinctura. Sinus decentiſſimus, ſi aliquãto ſupra imã toga fuerit, nunq̃ certe ſit inferior. Ille qui ſub humero dextro ad ſiniſtrũ obliquè ducitur, velut balteus, nec ſtrãgulet, nec fluat. Pars togę quę poſtea imponitur, ſit inferior: nã ita & ſedet melius, & cõtinetur. Subducẽda etiã pars aliqua tunicę, ne ad lacertũ in actu redeat, tũ ſin⁹ inijciẽdus humero, cuius extremã orã reieciſſe non dedecet. Operiri autẽ humerũ *Togæ habitus*

cum toto iugulo non oportet. Alioqui amictu fiet anguſtus: & dignitatem, quæ eſt in latitudine pectoris, perdet. Siniſtrũ brachium eo vſque alleuandũ eſt, vt quaſi normalẽ illũ angulum faciat, ſuper quod ora ex toga duplex æqualiter ſedeat. Manus non impleatur annulis, præcipuè medios articulos non tranſeuntibus: cuius erit habitus optimus, alleuato pollice, & digitis leuiter inflexis, niſi ſi libellum tenebit, quod non vtique captãdũ eſt. Videtur enim fateri memoriæ diffidentiam, & ad multos geſtus eſt impedimẽto. Togã veteres ad calceos vſq; demittebãt, vt Græci palliũ. Idq; vt fiat, qui de geſtu ſcripſerunt circa tẽpora illa, Plotius Nigidiúſq; præcipiũt. Quo magis miror Plinij Secundi docti hominis, & in hoc vtiq; libro penè etiã nimiũ curioſi, perſuaſionem, qui ſolitum id facere Ciceronem velandarum varicum gratia tradit, cũ hoc amictus genus in ſtatuis eorũ quoq;, qui poſt Ciceronẽ fuerunt, appareat. Palliolũ ſicut faſcias quibus crura veſtiuntur, & focalia, & aurium ligamenta ſola excuſare poteſt valetudo. ¶ Sed hęc amictus obſeruatio, dũ incipimus, procedẽte verò actu iã penè ab initio narrationis ſinus ab humero recte velut ſpontè dilabitur, & cum ad argumẽta ac locos ventum eſt, reijcere à ſiniſtro togã, deijcere etiam, ſi hæreat, ſinum conueniat. Lænã à faucibus ac ſummo pectore abducere licet. Ardent enim iam omnia, & vt vox vehemẽtior ac magis varia eſt, ſic amictus quoq; habet actum quendã velut præliantẽ. Itaq; vt læuam inuoluere toga, & incingi, penè furioſum eſt, ſinũ verò in dextrũ humerũ ab imo reijcere, ſolutũ ac delicatũ eſt, fiúntq; adhuc peius aliqua: ita cur laxiorẽ ſinũ ſiniſtro brachio non ſubijciamus? Habet enim acre quiddam atque expeditum, & calori concitationíque non inhabile. Cum verò magna pars eſt exhauſta orationis, vtique afflante fortuna penè omnia decent, ſudor ipſe, & fatigatio, & negligentior amictus, & ſoluta ac velut labens vndique toga. Quo magis miror hanc quoque ſuccurriſſe Plinio curam, vt ita ſudario frontem ſiccari iuberet, ne comæ turbarentur, quas componi poſt paulum, ſicut dignum erat, grauiter & ſeuerè vetuit. Mihi verò illæ quoque turbatæ præ ſe ferre aliquid affectus, & ipſa obliuione curæ huius commẽdari videntur. At ſi incipientibus ac paulum progreſſis decidat toga, non reponere eam prorſum negligentis aut pigri, aut quo modo debeat amiciri neſcientis eſt.

Quis in amictu geſtus adhibendus.

¶ Hæc ſunt vel illuſtramenta pronunciationis, vel vitia, quib⁹ ppoſitis multa cogitare debet orator. Primũ quid, apud quos, quibus præſentibus ſit acturus. Nam vt dicere alia alijs, & apud alios magis conceſſum eſt, ſic etiam facere. Neq; eadem in voce, geſtu, inceſſu, apud principem, Senatum, populũ, magiſtratum, priuato, publico iudicio, poſtulatione, actione ſimiliter decent. Quam differẽtiam ſubijcere ſibi quiſq;, qui animum intenderit, poteſt, tũ qua de re dicat, & efficere quid velit. ¶ Rei quadruplex obſeruatio eſt. Vna in tota cauſa. Sunt enim triſtes, hilares: ſolicitæ, ſecurę: grandes, puſillæ: vt vix vnquam ita ſolicitari partibus earum debeamus, vt non ſummæ meminerimus. Altera quæ eſt in differẽtia partiũ, vt in procœmio, narratione, argumẽtatione, epilogo: Tertia in ſententijs ipſis, in quibus ſecundum res & actus variantur omnia. Quarta in verbis, quorum vt eſt vitioſa, ſi efficere omnia velimus, imitatio: ita quibuſdam niſi ſua natura redditur, vis omnis aufertur. Igitur in laudationibus (niſi ſi funebres erunt) gratiarum actione, exhortatione, ſimilibú ſq;, læta & magnifica, & ſublimis eſt actio. Funebres conciones, conſolationes, plerunq; cauſæ reorum, triſtes ac ſubmiſſæ. In Senatu conſeruanda authoritas apud populum dignitas, in priuatis modus. De partibus cauſę, & ſentẽtijs, & verbis, quia ſunt multiplicia, pluribus dicendum. ¶ Tria autem prętare debet pronunciatio: cõciliet, perſuadeat, moueat: quibus natura cohæret, vt etiam delectet. Conciliatio ferè aut cõmendatione morum, qui neſcio quo modo ex voce etiam atque actione, perlucent, aut orationis ſuauitate conſtat. [Perſuadendi vis aſſeueratione, quæ interim plus ipſis probationibus valet. An iſta (inquit Callidio Cicero) ſi vera eſſent, ſic à te dicerentur? &, Tantum abeſt vt inflammares noſtros animos, ſomnũ iſto loco vix tenebamus. Fiducia igitur appareat, & conſtantia, vtiq; ſi authoritas ſubeſt. [Mouendi autem ratio etiã aut in repræſentandis eſt, aut imitandis affectibus. Ergo cũ iudex in priuatis, aut præco in publicis dicere de cauſa iuſſerit, leuiter conſurgendum: tum cõponenda toga, vel (ſi neceſſe erit) etiam ex integro inijcienda, duntaxat in iudicijs (Apud principem enim & magiſtratus ac tribunalia non licebit) paulum eſt cõmorandum, vt & amictus ſit decentior, & protinus aliquid ſpatij ad cogitandum. Etiam cum ad iudicem nos conuerteri-

Pronunciatio ad rẽ & affectũ dicẽdorũ accõmodãda.

Res quadruplex.

Affectus cõciliandi, perſuadendi, mouendi.

mus,& consultus permiserit dicere,non protinus est erumpendum,sed danda breuis cogitationi mora. Mirè enim auditurũ dicturi cura delectat,& iudex se ipse cõponit. Hoc præcepit Homerus Vlyssis exemplo,quẽ stetisse oculis in terram defixis,immotóq; sceptro,priusquam illam eloquentiæ procellã effunderet,dicit. In hac cunctatione sunt quædã non indecentes(vt appellant scenici)moræ,caput mulcere,manũ intueri,infringere articulos,simulare conatũ,suspiratione solicitudinẽ fateri,aut quod quenq; magis decet:eóq; diutius si iudex nondũ intendit animũ. Status quidẽ sit rectus: æqui & diducti paulũ pedes, vel procedens minimo sinister:genua recta,sic tamen vt non extẽ dãtur. Humeri remissi,vultus seuerus,nõ mœstus, nec stupẽs, nec languidus:brachia à latere modicè remota, manꝰ sinistra, qualem supra demonstraui:dextra cũ iam incipiendũ erit, paulum prolata vltra sinũ,gestu q̃ modestissimo, velut expectans quãdo incipiendũ sit. Vitiosa enim sunt illa,intueri lacunaria, perfricare faciẽ,& quasi improbã facere,tendere cõfidẽtia vultum,aut quo sit magis toruus, superciliũ astringere, capillos à fronte cõtra naturã retro agere,vt sit horror ille terribilis,tũ id quod Græci frequẽtissime faciũt,crebro digitorũ labrorũmque motu cõmentari,clare excreare,pedẽ alterũ lõgè proferre, partẽ togæ sinistra tenere,stare diductũ,vel rigidũ,vel supinũ, vel incuruum,vel humeris,vt luctaturi solent,ad occipitiũ ductis.

Isiad. 3.

De partibus causę ad quas pronunciatio est accommodanda.

¶ Procœmio frequẽtissimè lenis cõuenit pronũciatio. Nihil est enim ad conciliandũ gratius verecundia:nõ tamẽ semper. Nec enim vno modo dicuntur exordia,vt docui. Plerumq; tamẽ & vox tẽperata,ac gestus modestus,& sedens humero toga, & laterum lenis in vtrãq; partẽ motus,eodem spectantibus oculis, decebit. [Narratio magis prolatam manum, amictũ recidẽtẽ, gestum distinctum,vocẽ sermoni proximam,& tamẽ apertiorem,sonum simplicem frequentissimè postulabit,in his dunta xat, Quintus igitur Ligarius cum esset adhuc nulla belli suspicio:&, A. Cluentius Habitus pater huiusce. Aliud in eadem poscent affectus vel cõcitati, Nubit genero socrus: vel flebiles, Cõstituitur in foro Laodiceæ spectaculum acerbũ & miserũ toti Asiæ prouincię. [Maximè varia & multiplex actio est ꝓbationum. Nã & proponere,partiri,interrogare, sermoni sunt proxima,& cõtradictionem sumere. Nã ea quoq; diuersa propositio

est. Sed hæc tamen aliquando irridentes, aliquando imitantes pronunciamus. Argumentatio plerumque agilior, & acrior, & instantior, cõsentientẽ orationi postulat etiã gestum, id est fortem celeritatem. Instandũ quibusdã in partibus, & densanda oratio. [Egressiones ferè lenes, & dulces, & remissæ, raptus Proserpinæ, Siciliæ descriptio, Cnæi Pompeij laus. Neq; enim mirum, minus habere contentionis ea quæ sunt extra quæstionẽ. Mollior nõnunq̃ cum reprehensione diuersæ partis imitatio. Videor videre alios intrantes, alios autẽ exeuntes, quosdã ex vi no vacillantes. Vbi non dissidens à voce permittitur gestus. at quoq; in vtranq; partem tenera quædã, sed intra manꝰ tamen, & sine motu, laterũ translatio. [Accendẽdi iudicis plures sunt gradus. Summus ille, & quo nullus est in oratore acutior, Suscepto bello, Cęsar, gesto etiam iã ex parte magna. Prædixit enim, Quantum potero voce cõtendã, vt populus hæc Romanus exaudiat, Paulum inferior, & habens aliquid etiam iucunditatis, Quid enim tuus ille Tubero in acie Pharsalica gladius agebat? Plenius adhuc & lentius, ideóq; dulcius, In cœtu verò populi Romani, negociũ publicum gerens. Producenda omnia, trahẽdæq; tum vocales, aperiendæq; sunt fauces. Pleniore tamẽ hæc canali fluũt, Vos Albani tumuli atq; luci. Nã cantici quiddam habent, sensimq; resupina sunt, Saxa atq; solitudines voce respondent. Tales sunt illę inclinationes vocis, quas inuicem Demosthenes atq; Aeschines exprobrant, nõ ideo improbãdę. Cũ enim vterq; alteri obijciat, palàm est vtrumq; feciſſe. Nã neq; ille per Marathonis, & Platearum, & Salaminis propugnatores recto sono iurauit, nec hic Thebas sermone defleuit. Est his diuersa vox, & penè extra organum, cui Græci nomen amaritudinis dederunt, supra modũ ac penè naturã vocis humanæ acerba, Quin cõpescitis vocẽ istam indicẽ stultitiæ, testem prauitatis? Sed id quod excedere modum dixi, in illa parte prima est, Quin cõpescitis. [Epilogus, si enumerationẽ rerũ habet, desiderat quandam concisorum cõtinuationem: si ad concitandos iudices est accommodatus, aliquid ex ijs quæ suprà dixi: si placandos, inclinatam quandam lenitatẽ: si misericordia cõmouendos, flexum vocis & flebilem suauitatem, qua præcipuè frangũtur animi, quæq; est maxime naturalis. Nã etiã orbos viduásq; videas in ipsis funeribus canoro quodam modo proclamantes.

Hic etiam fuſca illa vox,qualem Cicero fuiſſe in Antonio dicit,mire faciet.habet enim in ſe quod imitemur.Duplex eſt tamen miſeratio,altera cum inuidia,qualis modo dicta de damnatione Philodami: altera cum deprecatione demiſſior. Quare etiam ſi eſt in illis quoq; cantus obſcurior: In cœtu verò populi Romani.Non enim hæc rixantis modo dixit:&,Vos Albani tumuli.Neq; enim quaſi inclamaret aut deteſtaretur locut⁹ eſt,tamen infinita magis illa flexa & circunducta ſunt, Me miſerum,&,me infelicem:&,Quid reſpõdebo liberis meis?&,Reuocare tu me in patriam potuiſti Milo per hos,ego te in eadem patria per eoſdem retinere non potero?Et cum bona C.Rabirij vno ſeſtertio addicit,O meum miſerũ acerbúmq; præconiũ.Illa quoq; mirè facit in peroratione velut deficientis dolore & fatigatione confeſſio,vt pro eodẽ Milone,Sed finis ſit.Neq; enim præ lachrymis iam loqui poſſum. Quæ ſimilem verbis habere debent etiam pronunciationem. Poſſunt videri alia quoq; huius partis atque officij, reos excitare, pueros attollere, propinquos producere,veſtes laniare, ſed ſuo loco dicta ſunt. Et quia in partibus cauſæ etiam alijs eſt varietas,ſatis appareat accommodandam ſententijs ipſis pronunciationem, ſicut oſtẽdim⁹.

Lib.7. Quomodo ad verba accommodanda pronũciatio.

¶Sed verbis quoq;,quod nouiſſimè dixeram,non ſemper,ſed aliquando.An non hæc miſellus,& pauperculus, ſubmiſſa atq; contracta:fortis,& vehemens,& latro,erecta & concitata voce dicenda ſunt? Accedit enim vis & proprietas rebus tali aſtipulatione,quæ niſi adſit,aliud vox,aliud animus oſtendat. Quid? q̃ eademverba mutata pronunciatione indicant,affirmãt,exprobrant,negant,mirantur,indignantur,interrogant,irridẽt,eleuant? Aliter enim dicitur, Tu mihi quodcunque hoc regni.&, Cantando tu illum? Et,tu ne ille Aeneas?& Méque timoris Argue tu Drance.Et ne morer,intra ſe quiſque vel hoc, vel aliud quod volet, per omnes affectus verſet,verum eſſe quod dicimus ſciet.

Aliud alios decere in agẽdo.

¶Verùm iam ijs adijciendum eſt, cum præcipuè in actione ſpectetur decorum,ſæpe aliud alios decere.Eſt enim latens quædam in hoc ratio,& inenarrabilis, & vt vere hoc dictum eſt,caput eſſe artis decere quod facias:ita id nec ſine arte eſt,nec totum arte tradi poteſt.In quibuſdam virtutes non habent gratiam,in quibus vitia ipſa delectant. Maximos actores comœdiarum Demetrium & Stratoclem placere diuerſis vir

tutibus vidimus. Sed illud min⁹ mirum, quòd alter deos, & iuuenes, & bonos patres seruósque, & matronas, & graues anus optimè: alter acres senes, calidos seruos, parasitos, lenones, & omnia agitatiora melius. Fuit enim natura diuersa. Nam vox quoque Demetrij iucundior, illius acrior erat. Annotandæ magis proprietates, quæ transferri non poterant, manus iactare, & dulces exclamationes theatri causa producere, & ingrediendo ventum concipere veste, & nonnunquam dextro latere facere gestus, quod neminem alium præter Demetrium decuit. Namque in hæc omnia, statura & mira specie adiuuabatur. Illum cursus & agilitas, & vel parum conueniens personæ risus, quem non ignarus rationis populo dabat, & contracta etiam ceruicula. Quicquid horum alter feciſſet fœdiſſimũ videretur. Quare norit se quisque, nec tantum ex cõmunibus præceptis, sed etiam ex natura sua capiat consilium formandæ actionis. Neque illud tamen est nefas, vt aliquem vel omnia vel plura deceant. ¶ Huius quoque loci clausula sit eadem necesse est quæ cæterorum est, regnare maximè modum. Non enim comœdum esse, sed oratorem volo. Quare, nec in gestu persequemur omnes argutias, nec in loquendo distinctionibus, temporibus, effictionibus molestè vtemur: vt si sit in scena dicendum, Quid igitur faciam? non eam? ne nunc quidem Cum accersor vltro? an potius ita me comparem, Non perpeti meretricum contumelias? Hic enim dubitatione moras, vocis flexus, varias manus, diuersos nutus actor adhibebit. Aliud oratio sapit, nec vult nimium esse condita. Actione enim constat, non imitatione. Quare non immerito reprehenditur pronunciatio vultuosa, & gesticulationibus molesta, & vocis mutationibus resultans. Nec inutiliter ex Græcis veteres trãstulerunt, quod ab his sumptum Lenas Popilius posuit, esse hanc inocciosam actionem. Optimè igitur idem, qui omnia, Cicero præceperat, quæ supra ex Oratore posui. Quibus similia in Bruto de Marco Antonio dicit. Sed iam recepta est actio paulò agitatior etiam, & exigitur, & quibusdam partibus conuenit: ita tamen temperanda, ne dum actoris captamus elegantiam, perdamus viri boni & grauis authoritatem.

Modus adhibendus.

M. FABII QVINTILIANI DE institutione oratoria, Liber XII.

Proœmium.



Entum est ad partem operis destinati longe grauissimam. Cuius equidem onus, si tãtum opinione prima concipere potuissem, quanto me premi ferens sentio, maturius consuluissem vires meas. Sed initia pudor omittendi quæ promiseram tenuit: mox quãquam per singulas quoque partes labor crescceret, ne perderem quæ iam effecta erant, per omnes difficultates animo me sustentaui. Quare nunc quoq;, licet maiori quàm vnquam mole premar, tamen prospicienti finem mihi constitutum est vel deficere potius, quàm desperare. Fefellit autem quòd initium à paruis ceperamus, mox velut aura solicitante prouecti longius, dum tantum nota illa, & plerisq; artiũ scriptoribus tractata præcipimus, nec adhuc à littore procul videbamur, & multos circa velut ijsdem se ventis credere ausos habebamus. Iam cum eloquẽdi rationem nouissimè repertam, pauciss imísq; tentatam ingressi sumus, rarus qui iam procul à portu recessisset, reperiebatur. Postquam verò nobis ille, quem instituebamus orator, à dicẽdi magistris dimissus, aut suo iam impetu fertur, aut maiora sibi auxilia ex ipsis sapientiæ penetralibus petit, quàm in altum simus ablati, sentire cœpim⁹. Nũc cœlum vndiq;, & vndiq; pontus. Vnum modo in illa immensa vastitate cernere videmur M. Tullum, qui tamen ipse, quãuis tanta atq; ita instructa naue hoc mare ingressus, cõtrahit vela, inhibétq; remos, & de ipso demũ genere dicẽdi, quo sit vsurus perfectus orator, satis habet dicere. At nostra temeritas, etiã mores ei conabitur dare, & assignabit officia. Ita nec antecedẽtem consequi possumus, & longius eũdum est, vt res feret. Probabilis tamen cupiditas honestorum, & tutioris audaciæ est tentare, quibus paratior venia est.

¶ Non posse oratorem esse nisi virum bonum. Cap. I.

SIt ergo nobis orator, quem instituimus, is qui à M. Catone finitur, vir bonus dicendi peritus. Verùm id quod ille posuit prius, & ipsa natura potius ac mai⁹ est, vtiq; vir bo-

nus. Id non eò tantum quòd si vis illa dicendi malitiam instru xerit, nihil sit publicis priuatísq; rebus pernicioſius eloquentia: nósq; ipſi qui pro virili parte conferre aliquid ad facultatẽ dicẽ di conati ſumus, peſſimè mereamur de rebus humanis, ſi latro-ni cõparemus hæc arma, non militi. Quid de nobis loquor? Re-rum ipſa natura in eo quod præcipue indulſiſſe homini vide-tur, quóq; nos à cæteris animalib⁹ ſeparaſſe, nõ parens, ſed no-uerca fuerit, ſi facultatem dicendi ſociam ſcelerum, aduerſam innocentiæ, hoſtem veritatis inuenit. Mutos enim naſci, & egere omni ratione ſatius fuiſſet, q̃ prouidentiæ munera in mu tuam pernicieẽ conuertere. Longius tendit hoc iudiciũ meum. Neq; enim tantum id dico, eum qui ſit orator, virum bonum eſſe oportere, ſed ne futurum quidem oratorem niſi virum bo-num. Nam certe, neq; intelligentiam conceſſeris ijs, qui propo-ſita honeſtorum ac turpium via, peiorem ſequi malint: neque prudentiam, qui in grauiſſimas frequẽter legum, ſemper verò malæ cõſcientię pœnas à ſemetipſis improuiſo rerũ exitu indu cantur. Quòd ſi neminem malum eſſe niſi ſtultũ eundem, nõ modò à ſapientibus dicitur, ſed vulgo quoq; ſemper eſt credi-tum, certe non fiet vnquã ſtultus orator. Adde q̃ ne ſtudio qui dem operis pulcherrimi vacare mens, niſi omnibus vitijs libe-ra, poteſt. Primum q̃ in eodem pectore nullum eſt honeſtorũ turpiúmq; conſortium: & cogitare optima ſimul & deterrima, non magis eſt vnius animi, quàm eiuſdem hominis bonũ eſſe ac malum. Tum illa quoque ex cauſa, q̃ mentem tantæ rei in-tẽtam vacare omnibus alijs etiam culpa carentibus curis opor-tet. Ita demum enim libera', ac tota, nulla diſtringente, atque aliò ducente cauſa, ſpectabit id ſolũ ad quod accingitur. Quòd ſi corporum nimia cura, & ſolicitior rei familiaris diligentia, & venandi voluptas, & dati ſpectaculis dies, multum ſtudijs au-ferunt (huic enim rei perit tempus quodcunque alteri datur) quid putamus facturas cupiditatem, auaritiam, inuidiam? qua-rum impotentiſſimæ cogitationes ſomnos etiam ipſos, & illa per quietem viſa perturbant. Nihil eſt enim tam occupatum, tam multiforme, tot ac tam varijs affectibus conciſum atque laceratum, quàm mala mens. Nam & cum inſidiatur, ſpe, cu-ris, labore diſtringitur: & cum ſceleris cõpos fuerit, ſolicitudi-ne, pœnitentia, pœnarum omnium expectatione torquetur.

Quis inter hæc literis, aut vlli bonæ arti cultus? non hercle magis quàm frugibus in terra ſentibus ac rubis occupata. Age, non ad perferendos ſtudiorum labores neceſſaria frugalitas? Quid ergo ex libidine ac luxuria ſpei? Non præcipuè acuit ad cupiditatem literarum amor laudis? Num igitur malis eſſe laudem curæ putamus? Iam hoc quis non videt, maximam partem orationis in tractatu æqui boníque conſiſtere? Dicet ne de ijs ſecundum debitam rerum dignitatem malus atque iniquus? Deniq; vt maximam partem quæſtionis eximam, demus id quod nullo modo fieri poteſt, idē ingenij, ſtudij, doctrinæ, peſſimo, atq; optimo viro, vter melior dicetur orator? nimirum qui homo quoq; melior. Non igitur vnquam malus idem homo, & perfectus orator. Nō enim perfectum quicquam, quo melius eſt aliud. Sed ne more Socraticorum nobiſmetipſis reſponſum finxiſſe videamur, ſi ſit aliquis adeo contra veritatem obſtinatus, vt audeat dicere eodem ingenio, ſtudio, doctrina præditum nihilo deteriorem futurum oratorem malum virū quàm bonum, conuincamus huius quoq; amentiam. Nam hoc certe nemo dubitabit, omnem oratorē id agere, vt iudici quæ propoſita fuerint, vera, & honeſta videantur. Vtrum hoc igitur facilius bonus vir perſuadebit, an malus? Bonus quidem, & dicet ſæpius vera atq; honeſta. Sed etiam ſi quando aliquo ductꝰ officio (quod accidere, vt mox docebimus, poteſt) falſò hæc affirmare conabitur, maiore cū fide neceſſe eſt audiatur. At malis hominibus ex contemptu opinionis, & ignorantia recti, non nunquam excidit ipſa ſimulatio. Inde immodeſtè proponunt, ſine pudore affirmant. Sequitur in ijs quæ certum eſt effici nō poſſe, deformis pertinacia & irritus labor. Nam ſicut in vita, ita in cauſis quoq; ſpes improbas habent. Frequenter autem accidit, vt ijs etiam vera dicentibus fides deſit, videatúrq; talis aduocatus malæ cauſæ argumentum. ¶ Nunc de ijs dicendū eſt, quæ mihi quaſi conſpiratione quadam vulgi reclamari videntur. Orator ergo Demoſthenes non fuit? Atqui malum virum accepimus. Non Cicero? atqui huius quoq; mores multi reprehenderunt. Quid agam? magna reſponſi inuidia ſubeunda, mitigandæ ſunt prius aures. Mihi enim nec Demoſthenes tā graui morum dignus videtur inuidia, vt omnia, quæ in eum ab inimicis congeſta ſunt credā, cum & pulcherrima eius in repub.

De Cicerone & demoſthene.

consilia,& finem vitæ clarum legam.Nec Marco Tullio defuis se video in vlla parte ciuis optimi voluntatem testimonio est actus nobilissimè Consulatus:integerrime ꝓuincia administra ta,& repudiatus Vigintiuiratus,& ciuilibus bellis,quæ in ætate eius grauissima inciderunt,neq; spe, neq; metu declinatus animus quo minus optimis,id est,reipub.se iungeret. Parum fortis videtur quibusdam,quibus optime respondit ipse, Nõ se timidum in suscipiendis,sed in prouidendis periculis:quod probauit morte quoque ipsa, quã præstantissimo suscepit animo. Quòd si defuit ijs viris summa virtus,sic quęrẽtibus an oratores fuerint, respondebo, quo modo Stoici, si interrogentur an sapiens Zeno,an Cleantes,an Chrysippus,ipsi respondeant magnos quidem illos ac venerabiles, non tamen id quod natura hominis summũ habebat consecutos. Nam & Pythagoras nõ sapientem se,vt qui ante eum fuerũt, sed studiosum sapientiæ vocari voluit.Ego tamen secundum cõmunem loquendi consuetudinẽ sępe dixi,dicámq; perfectũ oratorem esse Ciceronẽ, vt amicos & bonos viros,& prudẽtissimos dicimus vulgo, quorum nihil nisi perfectè sapienti datur.Sed cũ proprie,& ad legẽ ipsam veritatis loquendum erit,eum quærã oratorem quẽ & il le quærebat.Quanq̃ enim stetisse eum in fastigio eloquentiæ fateor,ac vix quid adijci potuerit inuenio, fortasse inuẽtur⁹ quid adhuc abscissurum putem fuisse. Nam ferè sic docti iudicauerunt,plurimum in eo virtutũ,nonnihil fuisse vitiorũ; & se ipse multa ex illa iuuenili abundantia coercuisse testatur,tamẽ quãdo nec sapientis sibi nomen minimè sui cõtemptor asseruit, & melius dicere certe data lõgiore vita, ætate ad se componendũ seueriore potuisset, nõ maligne crediderim defuisse ei summã illam,ad quam nemo propi⁹ accessit. Et licebat si aliud sentirẽ, fortius id liberiús q; defendere. An verò M. Antonius neminẽ à se visum eloquentem,quod tanto minus erat,professus est,ip se etiam M. Tullius quærit adhuc eum,& tantum imaginatur ac fingit : ego non audeam dicere aliquid in hac quæ supereſt ęternitate inueniri posse eo quod fuerit,perfectius? Trãseo illos qui Ciceroni ac Demostheni ne in eloquentia quidem satis tribuunt:quanquam neq; ipsi Ciceroni Demosthenes satis videatur esse perfect⁹: quẽ dormitare interim dicit:nec Cicero Bruto Caluóq;,qui certe compositionem illius etiam apud ipsum

reprehendunt: nec Asinio vtriq;, qui vitia orationis eius etiam inimicè pluribus in locis insequuntur. Cõcedamus sanè (quod minime natura patitur) repertum esse aliquem malũ virũ sum me disertum, nihilo tamen minus oratorem eum negabo. Nã nec omnibus qui fuerint manu prompti, viri fortis nomen con cesserim, quia sine virtute intelligi non potest fortitudo. An ei qui ad defendendas causas aduocatur, non est opus fide, quam nec cupiditas corrũpat, nec gratia auertat, nec metus frangat: sed proditorem, transfugam, præuaricatorẽ, donabimus oratoris illo sacro nomine? Quòd si mediocribus etiam patronis cõuenit hæc, quæ vulgo dicitur bonitas, cur nõ orator ille qui nõdum fuit, sed potest esse, tam sit moribus q̃ dicẽdi virtute perfectus? Nõ enim forensem quandam instituimus operã, nec mercenariam vocem, nec (vt asperioribus verbis parcamus) inutilem sanè litium aduocatum, quem deniq; causidicum vulgo vocant: sed virum cum ingenij natura prẽstantem, tũ verò tot pulcherrimas artes penitus mente cõplexum, datum tandem rebus humanis, qualem nulla antea vetustas cognouerit, singularẽ perfectũmq; vndiq;, optima sentientẽ, optiméq; dicentẽ. In hoc quota pars erit, q̃ aut innocentes tuebitur, aut improborum scelera cõpescet, aut in pecuniarijs quæstionibus veritati cõtra calumniã aderit? Summus ille quidẽ in ijs quoq; operib⁹ fuerit, sed in maioribus clarius elucebit, cum regẽda Senat⁹ cõsilia, & popularis error ad meliora ducẽdus. An nõ talẽ quendã videtur finxisse Virgilius, quẽ in seditione vulgi iam faces & saxa iaculantis, moderatorẽ dedit animi? Tum pietate grauem ac meritis si forte virũ quẽ Conspexêre, silent, arrectíq; auribus adstant. Habemus igitur ante omnia virũ bonum: post hæc adiecit dicendi peritũ, Ille regit dictis animos & pectora mulcet. Quid? nõ in bellis quoq; idẽ ille vir, quẽ instituimus si sit ad prælium miles cohortandus, ex medijs sapientiæ præceptis orationẽ trahet? Nã quomodo pugnã ineuntib⁹ tot simul metus, laboris, doloris, postremo mortis ipsi⁹ exciderint, nisi in eorum locũ pietas, & fortitudo, & honesti præsens imago successerit? Quæ certe melius persuadebit alijs, qui prius persuaserit sibi. Prodit enim sẽ, quamlibet custodiatur simulatio, nec vnq̃ tanta fuerit eloquẽdi facultas, vt nõ titubet ac hæreat, quoties ab animo verba dissentiunt. Vir autẽ malus, aliud dicat necesse

est q̃ sentiat. Bonos nunq̃ honestus sermo deficiet, nũquã rerũ optimarũ (nam ijdẽ etiam prudentes erunt) inuentio: quę etiã si lenocinijs destituta sit, satis tamen natura sua ornatur, nec quicq̃ non disertè, quod honestè dicitur. Quare iuuentus, imò omnis ætas (neq; enim rectæ voluntati serũ tempus est vllũ) totis mẽtibus huc tẽdamus, in hoc elaboremus: forsan & cõsummare cõtingat. Nam si natura nõ prohibet, & esse virum bonũ, & esse dicendi peritum, cur non aliquis etiam vnus vtrũq; consequi possit? cur autẽ non se quisq; speret fore illum aliquẽ? ad quod si vires ingenij non suffecerint, tamen ad quem vsq; modum processerimus, meliores erimus ex vtroq;. Hoc certe prorsus eximatur animo, rerũ pulcherrimam eloquentiam cum vitijs mentis posse misceri. Facultas dicẽdi, si in malos incidit, & ipsa iudicanda est malum, peiores enim illos facit, quibus cõtigit. ¶ Videor mihi audire quosdã (nec enim deerunt vnq̃ qui diserti esse q̃ boni malint) illa dicentes, Quid ergo tantum artis est in eloquentia? cur tu de coloribus, & difficilium causarũ defensione, nonnihil etiã de confesso loquutus es, nisi aliquando vis & facultas dicendi expugnat ipsam veritatẽ? Bonꝰ enim vir non agit nisi bonas causas, eas porrò etiã sine doctrina satis per se tuetur veritas ipsa. Quibus ego, cũ de meo primũ opere respondero, etiam pro boni viri officio, siquãdo eum ad defensionẽ nocentiũ ratio duxerit, satisfaciã. Pertractare enim quo modo aut pro falsis, aut etiã pro iniustis aliquãdo dicatur, nõ est inutile, vel propter hoc solum, vt ea facilius & deprehendamꝰ & refellamus, quẽadmodũ remedia melius ădhibebit, cui nota quæ nocent, fuerint. Neq; enim Academici cum in vtrãq; disserunt partẽ, nõ secundũ alteram viuunt. Neq; Carneades ille, qui Romæ audiente Censorio Catone, non minoribus viribus cõtra iustitiã dicitur disseruisse, q̃ pridie ꝓ iustitia dixerat, iniustus ipse vir fuit. Verũ & virtus quid sit, aduersa ei malitia detegit, & æquitas fit ex iniqui contemplatione manifestior, & plurima contrarijs probantur. Debent ergo oratori sic esse aduersariorum nota consilia, vt hostiũ Imperatori. Verũ & illud quod prima propositione durũ videtur, potest afferre ratio, vt vir bonus in defensione causæ velit auferre aliquãdo iudici veritatẽ. Quod si quis à me proponi mirabitur (quanquã nõ est hęc mea proprie sententia, sed eorũ quos grauissimos sapiẽtię magistros

Occurrit obiectioni, & soluit.

ætas vetus credidit) ſic iudicet, pleraq; eſſe quæ nõ tam factis q̃ cauſis eorum vel honeſta fiant, vel turpia. Nã ſi hominẽ occidere ſæpe virtus, liberos necare nõnunq̃ pulcherrimũ eſt, aſperiora quædã adhuc dictu, ſi cõmunis vtilitas exegerit, facere cõceditur: ne hoc quidẽ nudum eſt intuendũ, qualẽ cauſam vir bonus, ſed etiã quare, & qua mẽte defendat. Ac primũ concedãt mihi omnes oportet, quod Stoicorum quoq; aſperrimi confitẽtur, facturum aliquãdo bonũ virũ, vt mendacium dicat, & quidem nonnunquam leuioribus cauſis, vt in pueris ęgrotantibus vtilitatis eorũ gratia multa fingimus, multa non facturi promittimus, nedum ſi ab homine occidendo graſſator auertendus ſit, aut hoſtis pro ſalute patriæ fallendus, vt hoc quod aliàs in ſeruis quoq; reprehẽdendũ eſt, ſit aliàs in ipſo ſapiente laudãdum. Id ſi conſtiterit, multa iã video poſſe euenire, propter quę orator bene ſuſcipiat tale cauſæ gen⁹, quale remota ratione honeſta nõ ſuſcepiſſet. Nec hoc dico, quia ſeueriores ſequi placet leges pro patre, fratre, amico, periclitantib⁹, tametſi nõ mediocris hęſitatio eſt, hinc iuſtitiæ propoſita imagine, inde pietatis, nihil dubij relinquamus. Sit aliquis inſidiatus tyranno, atq; ob id reus, vtrúmne ſaluũ eũ nolet is qui à nobis finitur orator? an ſi tuẽdum ſuſceperit, non tã falſis defendet, q̃ qui apud iudices malam cauſam tuetur? Quid ſi quædam benefacta dãnaturus eſt iudex, niſi ea non eſſe facta conuicerimus, non vel hoc modo ſeruabit orator, non innocentem modò, ſed etiam laudabilem ciuem? Quid ſi quædã iuſta natura, ſed conditione temporum inutilia ciuitati ſciemus: nónne vtemur arte dicẽdi bona quidem, ſed malis artibus ſimillima? Ad hoc nemo dubitabit, quin ſi nocentes mutari in bonã mẽtem aliquo modo poſſint, ſicut poſſe interdum conceditur, ſaluos eſſe eos magis è repub. ſit quàm puniri. Si liqueat igitur oratori futurum bonum virũ, cui vera obijcientur, non id aget, vt ſaluus ſit? Da nunc vt crimine manifeſto prematur dux bon⁹, & ſine quo vincere honeſte ciuitas nõ poſſit, nónne ei communis vtilitas oratorẽ aduocabit? Certe Fabricius Cornelium Rufinum, alioqui & malum ciuem, & ſibi inimicum, tamen quia vtilẽ ſciebat ducẽ, imminente bello palàm Conſulem ſuffragio ſuo fecit: atque id admirantibus quibuſdã reſpondit, à ciue ſe ſpoliari male, q̃ ab hoſte vænire. Ita ſi hic fuiſſet orator, nõ defendiſſet eundẽ Rufinum

vel manifesti peculatus reũ? Multa dici possent similia, sed vel vnũ ex ijs quodlibet sufficit. Nõ enim hoc agimus, vt istud illi, quẽ formamus, viro sit sæpè faciendum, sed vt si talis coëgerit ratio, sit tamen vera finitio, oratorẽ esse virũ bonũ dicendi peritum. Præcipere verò ac discere quomodo etiã probatione difficilia tractentur, necesse est. Nã frequenter etiã optimæ causæ similes sunt malis, & innocens reus multis verisimilibus premitur. Quo fit, vt eadẽ actionis ratione defendendus sit, quasi nocẽs esset. Iã innumerabilia sũt bonis causis malisq; cõmunia, testes, literæ, suspiciones, opiniones. Nõ aliter autẽ verisimilia q̃ vera & confirmantur, & refelluntur. Quapropter vt res feret, flectetur oratio manente honesta voluntate.

¶ Cognoscenda esse oratori quibus mores formẽtur. Cap. II.

Virtutis ratio, vt honeste viuere possimus cognoscenda.

QVando igitur orator est vir bonus, is autem citra virtutem intelligi non potest, virtus etiã si quosdam impet⁹ à natura sumit, tamen perficienda doctrina est: mores ante omnia oratori studijs erũt excolẽdi, atq; omnis honesti iustíq; disciplina pertractanda, sine qua nemo nec vir bonus esse, nec dicendi peritus potest: nisi forte accedamus ijs, qui natura cõstare mores, & nihil adiuuari disciplina putãt. Scilicet vt ea quidem, quæ manu fiunt, atq; eorũ contemptissima cõfiteantur egere doctoribus, virtutem verò, qua nihil homini quo ad deos immortales propi⁹ accederet, datũ est, obuiã & illaboratam tantũ quia nati sumus habeamus. Abstinẽs erit, qui quid sit abstinentia ignorarit? Et fortis, qui metus doloris, mortis, superstitionis, nulla ratione purgauerit? Et iustus, qui æqui boniq; tractatum, qui leges, quæ natura sunt omnibus data, quæq; proprie populis & gentibus cõstitutæ, non eruditiore aliquo sermone tractauerit? O q̃ istud parum putant, quibus tã facile videtur.

Philosophiæ cognitio oratori necessaria.

¶ Sed hoc transeo, de quo neminem, qui literas vel primis (vt aiunt) labris degustarit, dubitaturum puto, ad illud sequens reuertar, ne dicẽdi quidem satis peritum fore, qui non & naturæ vim omnem penitus perspexerit, & mores præceptis ac ratione formarit. Neq; enim frustra in tertio de Oratore libro, L. Crassus cũcta quæ de æquo, iusto, vero, bono, déq; ijs quæ sunt contrà posita dicuntur, propria esse oratoris affirmat: ac philosophos cum ea dicendi viribus tuentur, vti rhetorum armis, nõ suis. Idẽ tamen confitetur ea iam esse à philoso-

phia petenda, videlicet quia magis hæc illi videtur in posſeſſione earum rerum fuiſſe. Hinc etiam illud eſt, quod Cicero pluribus libris & epiſtolis teſtatur, dicendi facultatem ex intimis ſapientiæ fontibus fluere: ideóq; aliquandiu præceptores eoſdem fuiſſe morum atque dicendi. Quapropter hæc exhortatio mea non eò pertinet, vt eſſe oratorem philoſophum velim, quando non alia vitæ ſecta longius à ciuilibus officijs, atq; ab omni munere oratoris receſſit. Nã quis philoſophorũ aut in iudicijs frequens, aut clarus in concionibus fuit? Quis denique in ipſa, quam maximè plerique eorũ vitandam præcipiunt, reipub. adminiſtratione verſatus? Atqui ego illum quem inſtituo, Romanum quendam velim eſſe ſapiẽtem, qui non ſecretis diſputationibus, ſed rerum experimentis atque operibus vere ciuilẽ virum exhibeat. Sed quia deſerta ab ijs qui ſe ad eloquentiam contulerunt, ſtudia ſapientię, non iam in actu ſuo atque in hac fori luce verſantur, ſed in porticus & gymnaſia primum, mox in conuentus ſcholarum receſſerunt: id quod eſt oratori neceſſarium, nec à dicendi præceptoribus traditur, ab ijs petere nimirum neceſſe eſt, apud quos remanſit: euoluendi penitus authores, qui de virtute præcipiunt, vt oratoris vita cum ſcientia diuinarum rerum ſit humanarúmque coniuncta. Quæ ipſæ quã to maiores ac pulchriores viderentur, ſi illas ij docerent, qui etiam eloqui præſtantiſſimè poſſent? Vtinámq; ſit temp⁹ vnq̃, quo perfectus aliquis (qualem optam⁹) orator hãc partẽ ſuperbo nomine & vitijs quorundã bona ei⁹ corrumpentiũ inuiſam vẽdicet ſibi, ac velut rebus repetitis in corpus eloquẽtiæ adducat. [Quæ quidem cum ſit in tres diuiſa partes, naturalẽ, moralem, rationalem, quæ tandem nõ eſt cum oratoris opere cõiuncta? Nam vt ordinem retrò agamus, de vltima illa quæ tota verſatur in verbis, nemo dubitauerit, ſi & proprietates vocis cuiuſq; noſſe, & ambigua aperire, & perplexa diſcernere, & de falſis iudicare, & colligere ac reſoluere quæ velis, oratoris eſt: quanq̃ ea nõ tã eſt minutè atq; conciſè in actionibus vtendũ, q̃ in diſputationibus: quia non docere modo, ſed mouere etiã ac delectare audientes debet orator, ad quod impetu quoq; & viribus ac decore eſt opus: vt vis amniũ maior eſt altis ripis, multóq; gurgitis tractu fluentium, quàm tenuis aquæ, & obiectu lapillorum reſultantis. Et vt palæſtrici doctores illos quos nu-

Philoſophis rationalis, mortalis, naturalis.

meros vocant, nõ idcirco diſcentibus tradunt, vt his omnibus ij qui didicerunt, in ipſo luctandi certamine vtãtur: plus enim pondere, & firmitate, & ſpiritu agitur: ſed vt ſubſit copia illa, ex qua vnum aut alterũ, cuius ſe occaſio dederit efficiant. Ita hæc pars dialectica, ſiue illã dicere malimus diſputatricem, vt eſt vtilis ſæpe, & finitionibus, & cõprehenſionibus, & ſeparãdis quæ ſunt differentia, & reſoluenda ambiguitate, & diſtinguendo, diuidendo, illiciendo, implicando: ita ſi totum ſibi vendicauerit in foro certamen, obſtabit melioribus, & ſectas ad tenuitatem ſuam vires ipſa ſubtilitate cõſumet. Itaq; reperias quoſdã in diſputãdo mirè callidos, cũ ab illa vera cauillatione diſceſſerint, non magis ſufficere in aliquo grauiore actu, quàm parua quædam animalia, quæ in anguſtijs mobilia, in campo deprehẽduntur. [Iam quidẽ pars illa moralis quæ dicitur Ethice, certè tota oratori eſt accõmodata. Nã in tanta cauſarũ (vt ſuperioribus libris diximus) varietate, cum alia cõiectura quærãtur, alia finitionibus cõcludantur, alia iure ſummoueantur, vel tranſferantur, alia corrigantur, vel ipſa inter ſe cõcurrant, vel in diuerſum ambiguitate ducantur, nulla ferè dici poteſt, cuius nõ parte in aliqua tractatus æqui & boni reperiantur. Pleraſq; verò eſſe quis neſcit, quę totę ĩ ſola qualitate cõſiſtãt? In cõſilijs verò, quæ ratio ſuadẽdi eſt ab honeſti quæſtione ſepoſita? Quid etiã pars tertia, quę laudãdi ac vituperandi officijs cõtinetur? Nẽpe in tractatu recti prauíq; verſatur. An de iuſtitia, fortitudine, abſtinentia, tẽperantia, pietate, nõ plurima dicet orator? Sed ille vir bonus, qui hæc nõ vocibus tantũ ſibi nota, atq; nominibus aurium tenus in vſum linguæ perceperit, ſed qui virtutes ipſas mente cõplexus, ita ſentiet, nec in cogitando ita laborabit, ſed quod ſciet, verè dicet. Cũ aũt ſit omnis generalis quęſtio ſpecialí potentior, quia vniuerſali partes cõtinentur, nõ vtiq; accedit parti quod vniuerſum eſt: profectò nemo dubitabit generales quęſtiones in illo maximè ſtudiorum more verſatas. Iam verò cum ſint multa proprijs breuibuſq; comprehenſionibus finienda, vnde etiam ſtatus cauſarum dicitur finitiuus, nónne ad id quoque inſtrui ab ijs qui plus in hoc ſtudij dederunt, oportet? Quid? nõ quæſtio iuris omnis, aut verborũ ꝓprietate, aut æqui diſputatione, aut voluntatis coniectura continetur? quorum pars ad rationalem, pars ad moralem tractatũ redundat.

Ergo natura permixta est omnibus istis oratio, quæ quidē oratio est verè. Nam ignara quidem huiusce doctrinæ loquacitas erret necesse est, vt quæ vel nullos, vel falsos duces habeat. [Pars verò naturalis cum ad exercitationem dicendi tanto cæteris vberior, quanto maiore spiritu de diuinis rebus quàm humanis loquendum est, tum illam etiam moralem, sine qua nulla esse (vt docuimus) oratio potest, totam complectitur. Nam si regitur prouidentia mundus, administranda certe bonis viris erit respub. Si diuina nostris animis origo, tendēdum ad virtutem, nec voluptatibus terreni corporis seruiendum. An hoc non frequenter tractabit orator? Iam de Augurum respōsis, religionéque omni, de quibus maxima sæpe in Senatu cōsilia versata sunt, non erit ei differendum? Si quidem (vt nobis placet) futurus est vir idem ciuilis. Quæ deniq; intelligi saltem potest eloquentia hominis optima nescientis? Hæc si ratione manifesta non essent, exemplis tamen crederemus. Siquidem & Periclem (cuius eloquentiæ etiam si nulla ad nos monimenta venerunt, vim tamen quādam incredibilem cum historici, tum etiam liberrimū genus hominum comici veteres tradūt) Anaxagoræ Physici cōstat auditorem fuisse: & Demosthenē principem omnium Græciæ oratorem dedisse operam Platoni. Nam M. Tullius non tantum se debere scholis rhetorū, quantū Academię spatijs frequenter ipse testat⁹ est. Neq; se tanta in eo vnq̄ fudisset vbertas, si ingenium suum cōsepto fori, non ipsius rerū naturæ finibus terminasset. ¶ Verùm ex hoc alia mihi quæstio exoritur, quæ secta conferre plurimum eloquentiæ possit, quā-quam ea non inter multos potest esse contentio. Nam Epicurus in primis nos à se ipse dimittit, qui fugere omnem disciplinā nauigatione quā uelocissima iubet. Neque verò Aristipp⁹ summum in voluptate corporis bonum ponens, ad hunc nos laborem adhortetur. Pyrrho quidem quas habere in hoc opere partes potest, cui iudices esse apud quos verba faciat, & reum pro quo loquatur, & Senatum in quo sit dicenda sententia, non liquebit? Academiam quidam vtilissimam credunt, quòd mos in vtramque partem differendi ad exercitationem forensium causarum proxime accedat. Adijciunt loco probationis, quòd ea præstantissimos in eloquentia viros ediderit. Peripatetici studio quoque se quodam oratorio iactant.

Oratori non vna aliqua secta, sed optima quæq; amplectenda.

Nã theſes dicere exercitationis gratia ferè ab ijs eſt inſtitutũ. Stoici ſicut copiam nitorémque eloquentiæ ferè præceptorib⁹ ſuis defuiſſe concedãt neceſſe eſt, ita nullos aut probare acrius, aut concludere ſubtilius contendũt. Sed hæc inter ipſos, qui velut ſacramento rogati, vel etiam ſuperſtitione conſtricti, nefas ducunt à ſuſcepta ſemel perſuaſione diſcedere. Oratori verò nihil eſt neceſſe in cuiuſquã iurare leges. Maius enim eſt opus atque præſtantius ad quod ipſe tendit, & cuius eſt velut candidatus: ſiquidem eſt futurus tum vitæ, tum etiã eloquentiæ laude perfectus. Quare in exemplum bene dicendi facundiſſimũ quẽque proponet ſibi ad imitandum, moribus verò formandis q̃honeſtiſſima præcepta, rectiſſimámq; ad virtutem viam deliget. Exercitatione quidem vtetur omni, ſed tamen erit plurimus in maximis quibuſque ac natura pulcherrimis. Nã quæ poteſt materia reperiri ad grauiter copioſéq; dicendum magis abundans quàm de virtute, de rep. de prouidentia, de origine animorum, de amicitia? Hæc ſunt quibus mens pariter atq; oratio inſurgant, quæ vere bona, quid mitiget metus, coerceat cupiditates, eximat nos opinionibus vulgi, animúmque exiſtimet cœleſtẽ. Neq; ea ſolũ quę talibus diſciplinis cõtinentur, ſed magis etiã quæ tradita antiquitus, dicta ac facta præclarè, & noſſe, & animo ſemper agitare conueniet. Quæ profecto nuſquã plura maioráq;, quàm in noſtræ ciuitatis monimentis reperiẽtur. An fortitudinem, fidem, iuſtitiam, cõtinentiam, frugalitatẽ, contemptum doloris ac mortis, melius alij docebunt quàm Fabricij, Curij, Reguli, Decij, Mutij, aliíq; innumerabiles? Quantũ enim Græci præceptis valent, tantũ Romani (quod eſt maius) exemplis. Tãtúmq; non cognatis id è rebus admoneri, qui non modo proximũ tẽpus lucémq; præſentẽ intueri ſatis credat, ſed omnem poſteritatis memoriam, ſpatiũ vitæ honeſtæ, & curriculum laudis exiſtimet. Hinc mihi ille iuſtitiæ hauſtus bibat, hinc ſumptam libertatem in cauſis atque conſilijs præſtet. Neq; erit perfectus orator, niſi qui honeſte dicere & ſciet, & audebit.

¶ Neceſſariam iuris ciuilis oratori ſcientiam. Cap. III.

IVris quoque ciuilis neceſſaria huic viro ſcientia eſt, & morum ac religionũ eius reipub. quã capeſſet. Nam qualis eſſe ſuaſor in conſilijs publicis priuatíſve poterit, tot rerum

quibus præcipuè ciuitas continetur, ignarus? Quo autẽ modo patronũ ſe cauſarum non falſo dixerit, qui quod eſt in cauſis potentiſſimũ, ſit ab altero petiturus, penè non diſſimilis ijs qui poetarum ſcripta pronunciant? Nam quodãmodo mandata perferet, & ea quæ ſibi à iudice credi poſtulaturus eſt, aliena fide dicet, & ipſe litigantium auxiliator egebit auxilio. Quod vt fieri nonnunquam minore incommodo poſſit, cum domi præcepta & compoſita, & cætera quæ in cauſa ſunt, in diſcendo cognita ad iudicẽ perferet, quid fiet in ijs quæſtionibus quæ ſubito inter ipſas actiones naſci ſolent? non deformiter reſpectet, & inter ſubſellia minores aduocatos interroget? Poteſt autem ſatis diligenter accipere, quæ tũ audiet cũ ei dicenda ſunt? aut fortiter affirmare, aut ingenue pro ſuis dicere? Poſſit in actionibus, quid fiet in altercatione, vbi occurrendũ continuo, nec libera ad diſcendũ mora eſt? Quid ſi forte peritus iuris ille nõ aderit? quid ſi quis non ſatis in ea re doctus, falſum aliquid ſubiecerit? Hoc enim eſt maximũ ignorantiæ malũ, quòd credit eum ſcire qui moneat. Neque ego ſum noſtri moris ignarus, oblitúſve eorũ qui velut ad arculas ſedent, & tela agentibus ſubminiſtrant: neque idẽ Græcos quoque neſcio factitaſſe, vnde nomẽ ijs Pragmaticorũ datum eſt. Sed loquor de oratore, qui non clamorẽ modo ſuũ cauſis, ſed omnia quæ profutura ſunt debet. Itaque eum nec inutilem ſi ad horã forte conſtiterit, neque in teſtationibus faciendis eſſe imperitũ velim. quis enim potius præparabit ea, quæ cũ aget eſſe in cauſa velit? Niſi forte Imperatorem quis idoneũ credit in prælijs quidem ſtrenuum & fortẽ, & omniũ quæ pugna poſcit artificẽ, ſed neque delectus agere, nec copias contrahere, atque inſtruere, nec proſpicere commeatus, nec locũ capere caſtris ſcientem: prius eſt enim certe parare bella quàm gerere. Atqui ſimillimus huic ſit aduocatus, ſi plura quæ ad vincendum valent, alijs reliquerit. Cum præſertim hoc quod eſt maxime neceſſariũ nõ tã ſit arduum q̃ procul intuentibus fortaſſe videatur. Nãque omne ius quod eſt certũ, aut ſcripto, aut moribꝰ cõſtat. Dubiũ æquitatis regula examinãdũ eſt. Quæ ſcripta ſunt, aut poſita in more ciuitatis, nullã habent difficultatẽ, cognitionis enim ſunt non inuẽtionis: at quæ conſultorũ reſponſis explicantur, aut in verborũ interpretatione ſunt poſita, aut in recti prauíque diſcrimine. Vim cuiuſq; vocis in-

Pragmatici.

telligere, aut cõmune prudentiũ eſt, aut propriũ oratoris, æquitas optimo cuique notiſſima eſt. Nos porrò & bonum virũ, & prudentẽ in primis oratorẽ putamus, qui cũ ſe ad id quod eſt optimum natura direxerit, non magnopere cõmouebitur, ſi quis ab eo conſultus diſſentiet, cũ ipſis illis diuerſas inter ſe opiniones tueri conceſſum ſit. Sed etiam ſi noſſe quid quiſque ſenſerit volet, lectione opus eſt, qua nihil eſt in ſtudijs minus laboriosum. Quòd ſi plerique deſperata facultate agendi ad diſcendũ ius declinauerunt, q̃ id ſcire facile eſt oratori, quod diſcunt qui ſua quoq; confeſſione oratores eſſe non poſſunt? Verum & M. Cato cum in dicendo præſtantiſſimus, tum iuris fuit idem peritiſſimus. Et Scæuolæ Seruióq; Sulpitio conceſſa eſt etiã facundiæ virtus. Et M. Tullius non modo inter agendũ nunquã eſt deſtitutus ſcientia iuris, ſed etiã cõponere aliqua de eo cœperat, vt àppareat poſſe oratorẽ non diſcendo tantũ iuri vacare, ſed etiam docendo. Verùm ea quæ de moribus excolendis ſtudióq; iuris præcipimus, ne quis eo credat reprehendenda, q̃p multos cognouimus, qui tædio laboris quẽ ferre tẽdentibus ad eloquẽtiam neceſſe eſt, cõfugerint ad hæc diuerticula deſidiæ: quorũ alij ſe ad albũ ac rubricas trãſtulerũt, & formularij, vel (vt Cicero ait) legulei quidã eſſe maluerunt, tanq̃ vtiliora eligentes ea, quorum ſolam facilitatem ſequebantur: alij pigritiæ arrogantioris qui ſubito fronte cõficta immiſſáq; barba, veluti deſpexiſſent oratoria præcepta, paulũ aliquid ſederunt in ſcholis philoſophorum, vt deinde in publico triſtes, domi diſſoluti, captarẽt authoritatem contẽptu cæterorũ. Philoſophia enim ſimulari poteſt, eloquentia non poteſt. *Formularij.*

¶ Neceſſariã oratori cognitionem hiſtoriarũ. Cap. IIII.

IN primis verò abundare debet orator exemplorũ copia, cum veterum, tũ etiã nouorũ: adeo vt non ea modo quę conſcripta ſunt hiſtorijs, aut ſermonibus velut per manus tradita, quęq; quotidie aguntur, debeat noſſe, verùm ne ea quidem quæ ſunt à clarioribus poetis ficta, negligere. Nam illa quidem priora, aut teſtimoniorum, aut etiam iudicatorum obtinent locum. Sed hæc quoque aut vetuſtatis fide tuta ſunt, aut ab hominibus magnis præceptorum loco ficta creduntur. Sciat ergo quamplurima, vnde etiam ſenibus authoritas maior eſt, quòd plura noſſe & vidiſſe credunt: quod Homerus

frequẽtissimè testatur. Sed non est expectanda vltima ætas, cũ studia præstent, vt quantum ad cognitionem pertinet rerum, etiam præteritis seculis vixisse videamur.

¶ Quæ sint oratoris instrumenta. Cap. V.

HAec sunt quæ me redditurum promiserã instrumẽta, nõ artis (vt quidã putauerunt) sed ipsius oratoris. Hęc arma habere ad manũ, horũ scientia debet esse succinctus accedente verborum figurarúmq; facili copia, & inuentionis ratione, & disponendi vsu, memoriæ firmitate, & actionis gratia. [Sed plurimum ex ijs valet animi pręstantia, quam nec metus frangat, nec acclamatio terreat, nec audientium authoritas vltra debitã reuerentiam tardet. Nã vt abominanda sunt contraria ijs vitia, confidentiæ, temeritatis, improbitatis, arrogantiæ: ita citra cõstantiã, fiduciã, fortitudinẽ, nihil ars, nihil studiũ nihil ꝓfectus ipse profuerit, vt si des arma timidis & imbellibus. [Inuitus me hercle dico (quoniã & aliter accipi potest) ipsam verecundiã, vitiũ quidẽ, sed amabile, & quæ virtutes facillime generet: esse interim aduersam, multísq; in causa fuisse vt bona ingenij studiiq; in lucẽ non prolata, situ quodã secreti consumerentur. Sciat autẽ, si quis hæc forte mĩnus adhuc peritus distinguendi vim cuiusq; verbi, legat, nõ probitatẽ à me reprehẽdi, sed verecundiã, quæ est timor quidã reducens animũ ab ijs quæ facienda sunt. Inde confusio, & cœpti pœnitentia, & subitũ silẽtiũ. Quis porrò dubitet vitijs ascribere affectum propter quẽ facere honestè pudet? Neq; ego rursus nolo eum qui sit dicturus, & solicitũ surgere, & colorẽ mutare, & periculũ intelligere, quæ si non accident, etiã simulanda erunt: sed intellectus hic sit operis, nõ metus, moueamúrq; non concidamus. Optima est autem emendatio verecundiæ, fiducia: & quamlibet imbecilla frons magna conscientia sustinetur. [Sunt & naturalia (vt suprà dixi) quæ tamen & cura iuuantur, instrumenta, vox latus, decor: quæ quidẽ tantum valent, vt frequenter famã ingenij faciant. Habuit oratores ætas nostra copiosiores, sed cum diceret eminere inter æquales Trachalus videbatur, ea corporis sublimitas erat, is ardor oculorum, frontis authoritas, gestus præstantia, vox quidem, nõ vt Cicero desiderat, penè tragœdorum, sed super omnes, quos ego quidem audierim, tragœdos. Certe cum in Basilica Iulia diceret primo tribunali, quatuor au

Verecundia interim aduersa oratori.

tem iudicia vt moris est cogerẽtur, atq; omnia clamoribus re-
merent, & auditum eum, & intellectum, & quod agentibus cæ
teris contumelioſum fuit, laudatum quoq; ex quatuor tribuna
libus memini. Sed hoc votum est, & rara felicitas: quæ si nõ ad-
sit, sanè sufficiat ab ijs quibus quis dicit, audiri. Talis esse de-
bet orator, & hæc scire.

¶ Quod sit incipiendi causas agere tempus. Cap. VI.

AGendi autem initium sine dubio secundum vires cu-
iusq; sumendum est: neque ego annos definiam, cum
Demosthenem puerum admodum actiones populares
habuisse manifestum sit: Caluus, Cæsar, Pollio multum ante
Quæstoriã omnes ætatem grauissima iudicia susceperint: Præ-
textatos egisse quosdam sit traditum, Cæsar Augustus duode-
cim natus annos auiam pro rostris laudauerit. Modus mihi vi-
detur quidam tenẽdus, vt neq; præpropere distringatur imma
tura frons, & quicquid est illud adhuc acerbum, proferatur. Nã
inde & contemptus operis nascitur, & fundamenta iaciuntur
impudentiæ, & (quod est vbique pernicioſissimum) præuenit vi
res fiducia. Nec rursus differendum est tyrociniũ in senectutẽ.
Nam quotidie metus crescit, maiũsq; fit semper quod ausuri
sumus, & dum deliberamus quando incipiendum sit, incipere
iam serum est. Quare fructum studiorum viridẽ, & adhuc dul-
cem promi decet, dum & venia, & spes est, & paratus fauor, &
audere non dedecet: & si quid desit operi, supplet ætas: & siqua
dicta sunt iuueniliter, pro indole accipiuntur: vt totus ille Cice- De orat.
ronis pro Sexto Roscio locus, Quid enim tam commune q̃ spi perf.
ritus viuis, terra mortuis, mare fluctuãtibus, littus eiectis? Quę
cum sex & viginti natus annos summis audientium clamori-
bus dixerit, deferbuisse tempore, & annis liquata iã senior idẽ
fatetur. Et hercle quantumlibet secreta studia contulerint, est
tamen proprius quidam fori profectus: alia lux, alia veri discri-
minis facies: plúsq; si separes, vsus sine doctrina, q̃ citra vsum
doctrina valeat. Ideóque nonnulli senes in schola facti stupent
nouitate cum in iudicia venerunt, & omnia suis exercitationi-
bus similia desiderant. At illic & iudex tacet, & aduersarius ob
strepit, & nihil temerè dictum perit, & si quid tibi ipse sumas,
probandum est, & laboratam congestámque dierum ac noctiũ
studio actionem aqua deficit, & omisso magna semper flandi

timore, in quibusdam causis loquendum, quod illi deserti minime sciunt. Itaque nonnullos reperies, qui sibi eloquentiores videantur, q̃ vt causas agant. Cæterùm illum quem iuuenem teneríſq; adhuc viribus nitentem in forum deduximus, & inci pere quammaximè facili ac fauorabili causa velim, vti catuli ferarum molliore præda sagiãntur, & non vtiq; ab hoc initio cõtinuare operam, ingenio adhuc alendo callum inducere, sed iam scientem quid sit pugna, & in quam rem studendum sit re fici atque reuocari. Sic & tyrocinij metum dum facilius est audere, transierit, nec audendi facilitatem vsq; ad contemptum operis adduxerit. Vsus est & hac ratione M. Tullius, & cũ iam clarum meruisset inter patronos qui tunc erant, nomen, in Asiam nauigauit, séque & alijs sine dubio eloquentiæ ac sapientiæ magistris, sed præcipue tamen Apollonio Moloni, quem Romæ quoq; audierat, Rhodi rursus formandum, ac velut recoquendum dedit. Tum dignum operæprecium venit, cum inter se congruunt præcepta & experimenta.

¶ Quæ in suscipiendis causis oratori obseruãda sint. Cap. VII.

Defendere quã facere reos præstat, accusare tamen interdũ decet.

CVm iam satis in omne certamẽ virium fecerit, prima ei cura in suscipiendis causis erit. In quibus defendere quidem reos profectò q̃ facere vir bonus malet: nõ tamen ita nomen ipsum accusatoris horrebit, vt nullo neque publico neque priuato duci possit officio, vt aliquem ad reddendam rationem vitæ vocet. Nam & leges ipsæ nihil valent, nisi actoris idonea voce munitæ: & si pœnas scelerum expetere fas non est, prope est vt scelera ipsa permissa sint, & licentiam malis dari certe contra bonos est. Quare neq; sociorum querelas, nec amici vel propinqui necem, nec erupturas in rẽpub. cõspirationes inultas patietur orator: nõ pœnæ nocentium cupidus, sed emendandi vitia, corrigẽdíq; mores. Nam qui ratione traduci ad meliora nõ possunt, solo metu continentur. Itaq; vt accusatoriam vitam viueret, & ad defendendos reos præmio duci, proximum latrocinio est: ita pestem intestinam propulsare, cum propugnatoribus patriæ comparandum. Ideóq; principes in repub. viri non detrectauerunt hanc officij partem; creditíq; sunt etiam clari iuuenes obsidem reipub. dare malorum ciuium accusationem, quia nec odisse improbos, nec simultates prouocare, nisi ex fiducia bonæ mentis videbantur. Idq; cum

ab Hortenſio, Lucullis, Sulpitio, Cicerone, Cæſare, plurimis alijs, tum ab vtroq; Catone factum eſt: quorum alter appellatus eſt ſapiẽs, alter niſi creditur fuiſſe, vix ſcio cui reliquerit huius nominis locum. Nãq; defendet omnis orator, idémq; portũ illũ eloquẽtię ſuæ ſalutarem, non etiã piratis patefaciet, deducetúrq; in aduocationem maxime cauſa. Quoniam tamen omnes qui non improbè litigabunt, quorũ certè bona pars eſt, ſuſtinere non poteſt vnus, aliquid etiã commẽdantium perſonis dabit, & ipſorum qui iudicio decernent, aut optimi cuiuſq; volũtate moueatur. nãq; hos & amiciſſimos habebit vir bon⁹. Summouendum verò eſt vtrumq; ambitus genus, vel potẽtibus cõtra humiles vẽditandi operam ſuam, vel illud etiam iactãtius, minores vtiq; contra dignitatem attollendi. Nõ enim fortuna cauſas vel iuſtas vel improbas facit. ¶ Neq; verò pudor obſtet, quo minus ſuſceptam, cum melior videretur, litẽ cognita inter diſceptandum iniquitate, dimittat, cum prius litigatori dixerit verum. Nam & in hoc maximum, ſi æqui iudices ſumus, beneficium eſt, vt non fallamus vana ſpe litigãtem. Neq; enim dignus opera patroni, qui non vtitur conſilio. Et certe non conuenit ei quem oratorem eſſe volumus, iniuſta tueri ſcientẽ. Nã ſi ex illis quas ſupra diximus cauſis falſum tuebitur, erit tamen honeſtũ quod ipſe faciet. ¶ Gratis ne ei ſemper agendũ ſit, tractari poteſt. Quod ex prima ſtatim fronte diiudicare imprudẽtiũ eſt. Nam quis ignorat, quin id longe ſit honeſtiſſimum, ac liberalibus diſciplinis, & illo quẽ exigimus animo digniſſimũ, nõ vendere operam, nec eleuare tanti beneficij authoritatẽ? Cum pleraque hoc ipſo poſſint videri vilia, q̃ pretium habent. Cęcis hoc (vt aiunt) ſatis clarum eſt, nec quiſquam qui ſufficientia ſibi (modica autem hæc ſunt) poſſidebit, hunc quæſtum ſine crimine ſordium fecerit. At ſi res familiaris amplius aliquid ad vſus neceſſarios exiget, ſecundum omniũ ſapientiũ leges: patietur ſibi gratiã referri, cum & Socrati collatum ſit ad victum, & Zeno, Cleantes, Chryſippus mercedes à diſcipulis acceptauerint. Neque enim video quæ iuſtior acquirendi ratio, quàm ex honeſtiſſimo labore, & ab ijs de quibus optime meruerint, quique ſi nihil inuicem præſtãt, indigni fuerint defenſione. Quod quidẽ non iuſtũ modo, ſed neceſſarium etiã eſt, cum hæc ipſa opera, tempúſve omne alienis negocijs datum, facultatẽ aliter

Cauſa iniqua etiã cũ ſuſceperis deſerẽda.

Merces quatenus accipiẽda.

acquirendi recidant. Sed tum quoque tenendus est modus: ac plurimum refert, & à quo accipiat, & quantū, & quousque. Paciscendi quidem ille piraticus mos, & imponentium periculis pretia, procul abominanda negociatio, etiā à mediocriter improbis aberit: cum præsertim bonos homines bonásque causas tuenti non sit metuendus ingratus: qui si futurus, malo tamen ille peccet. Nihil ergo acquirere volet orator vltra quàm satis erit, ac ne pauper quidē tanquam mercedem accipiet, sed mutua beneuolentia vtetur, cum sciat se tāto plus præstitisse: quia nec vænire hoc bēneficium oportet, nec perire. Deniq; vt gratus sit, ad eum magis pertinet qui debet.

¶ Quæ in discendis causis oratori obseruanda sint. Cap. VII.

PRoxima discendæ causæ ratio, quod est oratoris fundamentum. Neque enim quisquam tam ingenio tenui reperitur, qui cum omnia quæ sunt in causa diligenter cognouerit, ad docendū certe iudicem non sufficiat. Sed eius rei pauciſſimis cura est. Nam vt taceam de negligentibus, quorum nihil refert vbi litium cardo vertatur, dum sint quæ vel extra causam ex personis ac communi tractatu locorum occasionē clamandi largiantur. Aliquos & ambitio peruertit: qui partim tanquam occupati, sempérq; aliud habentes quod ante agendū sit, pridie ad se venire litigatorem, aut eodem matutino iubēt, nonnunquā etiam inter ipsa subsellia didicisse se gloriantur: partim iactantia ingenij, vt res cito accepisse videantur, tenere se & intelligere penè prius q̄ audiant mentiti, cum multa & diserte summísq; clamoribus, quæ neque ad iudicem, neq; ad litigatorem pertinēt, decantauerunt, bene sudantes benéq; comitati per forum reducuntur. [Ne illas quidē tulerim delicias eorum qui doceri amicos suos iubent: quanquam minus mali est, si illa saltem recte discant, rectéq; doceant. Sed quis discet tam bene q̄ patronus? Quomodo autē sequester ille, & media litium manus, & quidam interpres impendet æquo animo laborem in alienas actiones, cum dicturus ipse non sit? Pessimę vero cōsuetudinis, libellis esse contentum, quos componit aut litigator, qui confugit ad patronum, quia liti ipse non sufficit: aut aliquis ex eo genere aduocatorum, qui se nō posse agere cōfitentur. deinde faciunt id quod est in agendo difficillimū. Nā

qui iudicare quid dicendum, quid dissimulandum, quid declinandũ, imitandúmve, fingendũ etiam sit, potest, cur nõ sit orator, quando quod difficilius est facit? Hi porrò non tantũ nocerent, si omnia scriberẽt vti gesta sunt. Nunc consiliũ & colores adijciũt, & aliqua peiora veris, quæ pleriq; cũ acceperũt mutare nefas habẽt, & velut themata ĩ scholis posita custodiũt. Deinde deprehenduntur, & causam quã discere ex suis litigatoribus noluerunt, ab aduersarijs discunt. ¶ Liberum igitur demus ante omnia ijs, quorũ negociũ erit, tempus ac locum, exhortemũrq; vltro, vt omnia quãlibet verbosè & vnde volent repetita ex tempore exponant. Nõ enim tã obest audire superuacua, quàm ignorare necessaria. Frequẽter autem & vulnus, & remedium in ijs orator inueniet, quæ litigatori in neutram partem habere momentum videbantur. Nec tanta sit acturo memoriæ fiducia, vt subscribere audita pigeat. Nec semel audisse sit satis, cogendus eadem iterum ac sæpius dicere litigator: non solum quia effugere aliqua prima expositione potuerunt, præsertim hominem (quod sæpè euenit) imperitum, sed etiam vt sciamus an eadem dicat. Plurimi enim mentiuntur, & tanquã non doceant causam, sed agant: non vt cum patrono, sed vt cũ iudice loquuntur. Quapropter nunquam satis credendum est, sed agitandus omnibus modis, & turbandus, & euocandus. Nã vt medicis non apparentia modo vitia curanda sunt, sed etiam inuenienda quæ latent, sæpè ea ipsis qui sanandi sunt occulentibus, ita aduocatus plura q̃ ostenduntur aspiciat. Nam cum satis in audiendo patientiæ impenderit, in aliam rursus ei personam transeundum est, agendúsque aduersarius, proponẽdum quicquid omnino excogitari contra potest, quicquid recipit in eiusmodi disceptatione natura. Interrogandus quàm infestissime, ac premendus. Nam dum omnia quærimus, aliquando ad verũ, vbi minimè expectauimus, peruenimus. In summa, optimus est in discendo patronus incredulus. Promittit enim litigator omnia, testem populum, paratissimas consignationes, ipsum denique aduersarium quædam non negaturum. Ideoque opus est intueri omne litis instrumentum: quod videre non est satis, perlegendum erit. Nam frequentissime aut non sunt omnino quæ promittebantur, aut minus continent, aut cum alio aliquo nocituro permixta sunt, aut nimia sunt, & fidem hoc

Causa quomodo ex litigatore discẽda.

ipso detractura,quòd non habent modum. Denique linum ruptum,aut turbata cæra,aut sine agnitione signa frequenter inuenies:quę nisi domi excusseris in foro inopinata decipiẽt,plúsque nocebunt destituta, quàm non promissa nocuissent. Multa etiam quæ litigator nihil ad causam pertinere crediderit, patronus eruet,modo per omnes quos tradidimus argumentorũ locos eat:quos vt circũspectare in agendo, & attẽtare singulos minimè cõuenit, ꝓpter quas diximus causas,ita etiãin discendo rimari necessariũ est,quæ pſonę quæ tempora,quæ loca, instituta,instrumenta, cæteráque, ex quibus non tantum illud quod est artificiale probationis genus colligi possit, sed qui metuẽdi testes,quo modo sint refellendi. Nam plurimum refert, inuidia reus an odio,an contemptu laboret: quorum ferè pars prima superiores,proxima pares,tertia humiliores premit. Sic causam perscrutatus,propositis ante oculos omnibus quæ prosint noceántve,tertiam deinde personam induat iudicis, fingátq; apud se agi causam:& quod ipsum mouisset,de eadem re pronũciaturum, id potẽtissimum apud quemcunq; agetur existimet:& sic eum raro fallet euentus, aut culpa iudicis erit.

¶Quæ seruãda in agẽdis causis oratori sint. Cap. IX.

QVæ sint in agendo seruanda,toto ferè opere executi sumus,pauca tamen propria huius loci,quæ non tã dicẽdi arte,quàm officijs agendi continentur,attingam. Ante omnia ne(quod plerisq; accidit) ab vtilitate eum causæ præsentis cupido laudis abducat. Nam vt gerentibus bella non semper exercitus per plana & amœna ducendus est, sed adeũdi plerũq; asperi colles,expugnãdæ ciuitates,quãlibet præcisis positæ montibus,aut operũ mole difficiles, ita oratio gaudebit quidem occasione latius decurrẽdi,& æquo congressa cãpo,totas vires populariter explicabit:at si iuris anfractus,aut eruendæ veritatis latebras adire cogetur,non obequitabit,nec illis vibrantibus concitatísque sentẽtijs velut missilibus vtetur, sed operibus,& cuniculis,& insidijs,& occultis artibus rem geret. Quę omnia non dum fiunt laudantur,sed cũ facta sunt:vnde etiam minus cupidis opinionis,plus fructus venit. Nã cũ illa dicendi vitiosa iactatio inter plausores suos detonuit, resurgit veræ virtutis fortior fama,nec iudices à quo sint moti dissimu

lant,& doctis creditur,nec eſt orationis vera laus,niſi cum finita eſt.[Veteribus quidem etiam diſſimulare eloquentiam fuit moris:idque M.Antonius præcipit,quo plus dicẽtibus fidei,minúſq; ſuſpectæ aduocatorum inſidiæ forẽt. Sed illa diſſimulari quæ tum erat potuit:nondum enim tantum dicendi lumẽ acceſſerat,vt etiam per obſtãtia erumperet.Quare artes quidem, & conſilio lateant,& quicquid ſi deprehenditur perit,hactenus eloquentia ſecretum habet.Verborum quidem delectus,grauitas ſententiarum,figurarum elegantia,aut non ſunt,aut apparent.ſed vel propter hoc ipſum oſtendenda non ſunt, quòd apparent:aut ſi vnum ex duobus eligendum , cauſa laudetur potius quàm patronus.Finem tamen hunc præſtabit orator,vt videatur optimam cauſam optimè egiſſe.Illud certũ erit , neminem peius agere quàm qui diſplicente cauſa placet. neceſſe eſt enim extra cauſam ſit quod placet . Nec illo faſtidio laborabit orator,non agendi cauſas minores,tanquã infra eũ ſint,aut detractura ſit opinioni minus liberalis materia. Nã & ſuſcipiendi ratio iuſtiſſima eſt,officium:& optandum etiã vt amici q̃mini mas lites habeant,& abundè dixit bene, quiſquis rei ſatis fecit. At quidam etiã ſi forte ſuſceperint negocia paulum ad dicẽdũ tenuiora,extrinſecus adductis ea rebus circumliniunt:ac ſi defecerint alia,conuicijs implent vacua cauſarum: ſi cõtingerit, veris,ſi minus,fictis:modo ſi materia ingenij, mereatúrq; clamorem dum dicitur. Quod ego adeo lõge puto ab oratore perfecto,vt eum ne vera quidem obiecturum,niſi id cauſa exigat, credã.Ea eſt enim prorſus canina(vt ait Appius)eloquentia,cẽ ſurã male dicendi ſubire,quod facientibus etiam male audiendi præſumenda patientia eſt.Nã & in ipſos fit impetus frequenter qui egerunt, & certe patroni petulantiam litigator luit. Sed hæc minora ſunt ipſo illo vitio animi, quo maledicus à maleſico non diſtat,niſi occaſione. Turpis voluptas & inhumana ,& nulli audientiũ bona grata, à litigatoribus quidẽ frequẽter exigitur,qui vltionem malunt,quàm defenſionem. Sed neque alia multa ad arbitriũ eorum faciẽda ſunt.Hoc quidem quis hominũ liberi modo ſanguinis ſuſtineat, petulans eſſe ad alterius arbitriũ? Atqui etiam in aduocatos partis aduerſæ libenter nõnulli inuehuntur: quod niſi forte meruerint , & inhumanũ eſt, reſpectu communium officiorum,& cum ipſi qui dicit inutile

Eloquentia occultanda.

(nam idem iuris reſponſuris datur) tum cauſæ contrariũ, quia planè aduerſarij fiunt, & inimici, & quantulumcũque ijs viriũ eſt, contumelia augetur. Super omnia perit illa quæ plurimum oratori, & authoritatis & fidei affert, modeſtia, ſi à viro bono in rabulam latratorémque conuertitur, compoſitus non ad animum iudicis, ſed ad ſtomachum litigatoris. Frequenter etiam ſpecies libertatis deducere ad temeritatem ſolet, non cauſis modo, ſed ipſis quoque qui dixerunt periculoſam. Nec immerito Pericles ſolebat optare, ne quod ſibi verbum in mentẽ veniret, quo populus offenderetur. Sed quod ille de populo, id ego de omnibus ſentio, qui tantũdem poſſunt nocere. Nã quæ fortia dum dicuntur videbantur, ſtulta cum læſerunt vocantur. Nunc quia variũ ferè propoſitum agentiũ fuit, & quorũdã cura tarditatis, quorundam facilitas temeritatis crimine laborauit, quem credã fore in hoc oratoris modum, tradere non alienum videtur. Afferet ad dicendum curæ ſemper quantũ plurimum poterit. neque enim ſolum negligentis, ſed & mali, & in ſuſcepta cauſa perfidi ac proditoris eſt peius agere q̃ poſſit. Ideóque ne ſuſcipiẽdæ quidem ſunt cauſæ plures, q̃ quibus ſufficturum ſe ſciat. Dicet ſcripta quàm res patietur plurima, & vt Demoſthenes ait, ſi continget, & ſculpta. Sed hoc aut primæ actiones, aut quæ in publicis iudicijs poſt interiectos dies dantur, permiſerint: at cum protinus reſpondendum eſt omnia parari non poſſunt, adeo vt paulo minus promptis etiã noceat ſcripſiſſe, ſi alia ex diuerſo q̃ opinati fuerũt, occurrerint. Inuiti enim recedũt à præparatis, & tota actione reſpiciũt, requirúntq; nũ aliquid ex illis interuallis, atque ex tempore dicendis inſeri poſſit: quod ſi fiat nõ cohæret, nec commiſſuris modo vt in opere male iũcto hiãtibus, ſed ipſa coloris inęqualitate detegitur. Ita nec liber eſt impetus, nec cura contexta, & vtrũq; alteri obſtat. Illa enim quæ ſcripta ſunt, retinẽt animũ, nõ ſequũtur. Itaque in his actionibus omni (vt agricolæ dicunt) pede ſtandũ eſt. Nã cum in propoſitione ac refutatione cauſa conſiſtat, quę noſtrę partis ſunt ſcripta eſſe poſſent, quæ etiã reſpõſurum aduerſarium certũ eſt, (eſt enim aliquãdo certum) pari cura refellũtur. Ad alia vnum paratũ afferre poſſumus, vt cauſam bene nouerimus, alterũ ibi ſumere, vt dicẽtẽ aduerſariũ diligẽter audiamus. Licet tamẽ præcogitare plura, & animum ad omnes

Modeſtia oratori neceſſaria.

casus componere, idque est tutius stylo, quo facilius & omittitur cogitatio, & transfertur. Sed siue in respondendo fuerit subito dicẽdum, siue quæ alia ita exegerit ratio, nunquam oppressum se, ac deprehensum credet orator, cui disciplina & studiũ & exercitatio dederit vires etiam facilitatis, quémq; armatũ semper, ac velut in procinctu stantem, non magis vnquam in causis oratio, quàm in rebus quotidianis ac domesticis sermo deficiet, nec se vnquã propter hoc oneri subtrahet, modo sit causæ discendæ tempus, nam cætera semper sciet.

¶ De genere dicendi. Cap. X.

SVpereſt vt dicam de genere orationis. Hic erat propositꝰ à nobis in diuisione prima locus tertius, nã ita promiserã me de arte, de artifice, de opere dicturũ. ¶ Cũ sit aũt rhetorices atq; oratoris opus oratio, pluréſq; eius formæ, sicut ostẽdam, in omnibus ijs & ars est, & artifex, plurimum tamen inuicem differunt, nec solum specie, vt signum signo, & tabula tabulæ, & actione actio, sed genere ipso, vt à Græcis Tuscanicæ statuæ, & Asianus eloquens Attico. [Suos autẽ hęc operũ genera quæ dico, vt authores, sic etiam amatores habent, atq; ideo nondum est perfectus orator, ac nescio an ars vlla, non solum quia aliud in alio magis eminet, sed quòd nõ vna omnibus forma placuit, partim conditione vel temporum vel locorum, partim iudicio cuiusque atque proposito. [Primi, quorum quidẽ opera nõ vetustatis modo gratia visẽda sunt, clari pictores fuisse dicuntur Polygnotus atq; Aglaophon, quorũ simplex color tam sui studiosos adhuc habet, vt illa prope rudia, ac velut futuræ mox artis primordia, maximis, qui post eos extiterũt, authoribus præferantur, proprio quodam intelligendi (vt mea opinio fert) ambitu, Post Zeusis atq; Parrhasius, non multũ ætate distãtes (circa Peloponnesia ambo tempora. nam cum Parrhasio sermo Socratis apud Xenophõtem inuenitur) plurimũ arti addiderunt. Quorum prior luminum vmbrarúmq; inuenisse rationem, secundus examinasse subtilius lineas traditur. Nã Zeusis plus membris corporum dedit, id amplius atq; augustius ratus, atque (vt existimant) Homerum secutus, cui validissima quæque forma etiam in fœminis placet. Ille vero ita circũscripsit omnia, vt eum legumlatorem vocẽt, quia deorum atq; heroũ effigies, quales ab eo sunt traditæ, cæteri tãquã ita necesse

Variũ genus dicendi.

Cõfert oratores pictoribus ac statuarijs, quos plures & varios artificij ratione commemorat.

sit sequuntur. Floruit autẽ circa Philippũ, & vsque ad successores Alexãdri, pictura præcipuè, sed ex diuersis virtutibus: nam cura Protogenes, ratione Pamphilus ac Melanthius, facilitate Antiphilus, concipiendis visionibus (quas φαντασίας vocant) Theõ Samius, ingenio & gratia, quã ipse in se maximè iactat, Apelles est præstãtissimus. Euphranorẽ admirandũ facit, quòd & cæteris optimis studijs inter præcipuos, & pingẽdi fingendíq; idẽ mirus artifex fuit. Similis in statuis differentia, nã & duriora, & Tuscanicis proxima Calon atque Egesias, iam minus rigida Calamis, molliora adhuc supradictis Myrõ fecit. Diligẽtia ac decor in Polycleto supra cæteros, cui quanquam à plerisque tribuitur palma, tamen ne nihil detrahatur, deesse pondus putant. Nam vt humanæ formæ decorem addiderit supra verũ, ita non expleuisse deorum authoritatem videtur. Quin ætatem quoq; grauiorem dicitur refugisse, nihil ausus vltra leues genas. At quæ Polycleto defuerunt, Phidiæ atque Alcamini dãtur. Phidias tamen dijs quàm hominibus efficiendis melior artifex traditur, in ebore verò longe citra æmulum, vel si nihil nisi Mineruam Athenis, aut Olympium in Elide Iouẽ feciſſet, cuius pulchritudo adiecisse aliquid etiam receptæ religioni videtur, adeo maiestas operis deum æquauit. Ad veritatem Lysippũ & Praxitelem accessisse optimè affirmant. Nam Demetrius tanquã nimius in ea reprehenditur, & fuit similitudinis q̃ pulchritudinis amantior. [In oratione verò si species intueri velis, totidem penè reperies ingeniorum, quot corporum formas. Sed fuerunt quædam genera dicendi conditione temporũ horridiora, alioqui magnam iam vim ingenij præ se ferentia. Hinc sunt Lælij, Africani, Catones, Gracchíque, quos tu licet Polygnotos vel Calonas appelles. Mediam illam formã teneãt L. Crassus Q. Hortensius. Tum deinde effloreſcat non multũ inter se distantium tempore oratorũ ingens prouẽtus, hinc vim Cæsaris, indolẽ Cælij, subtilitatẽ Callidij, grauitatẽ Bruti, acumẽ Sulpitij, acerbitatẽ Cassij, diligentiã Pollionis, dignitatẽ Messalæ, sanctitatem Calui reperiemus. In his etiam quos ipsi vidimus, copiam Senecæ, vires Africani, maturitatem Afri, iucũditatem Crispi, sonum Trachali, elegantiam Secũdi. At M. Tullium non illum habemus Euphranorem circa plurimarũ artiũ species præstantem, sed in omnibus quæ in quoque laudã-

Redditio cõparationis.

Cicero.

tur,eminentissimũ.Quẽ tamen & suorũ homines temporum incessere audebant,vt tumidiorẽ,& Asianũ,& redundantem, & in repetitionibus nimium, & in salibus aliquando frigidũ, & in compositione fractum,exultantem,ac penè(quod procul absit)viro molliorem.Postea verò quàm Triumuirali proscriptione cõsumptus est,passim qui oderãt,q inuidebãt,qui æmulabantur, adulatores etiã præsentis potentiæ, non responsurũ inuaserunt.Ille tamen qui ieiunus à quibusdã atque aridus habebatur, non aliter ab ipsis inimicis male audire, quàm nimijs floribus & ingenij affluentia potuit. Falsum vtrũq;,sed tamen illa mentiendi propior occasio. Præcipuè verò presserunt eum,qui videri Atticorum imitatores concupiebant.Hæc manus quasi quibusdã sacris initiata,vt alienigenã, & virũ superstitiosum,deinctúmque illis legibus insequebãtur. Vnde nũc quoque aridi,& exucci, & exangues.Hi sunt enim qui suæ imbecillitati sanitatis appellationem,quæ est maximè contraria, obtendant: qui quia clariorẽ vim eloquentiæ velut solem ferre non possunt,vmbra magni nominis deliteſcũt,quibus quia multa,& pluribus locis Cicero ipse respõdit,tutior mihi de hoc differendi breuitas erit.[Et antiqua quidẽ illa diuisio inter Asianos & Atticos fuit, cũ hi pressi & integri, contra inflati illi & inanes haberentur:in his nihil superflueret, illis iudiciũ maximè ac modus deesset.Quod quidã, quorũ & Sãtra est, hoc putant accidisse,q paulatim sermone Græco in proximas Asię ciuitates influente, nondũ satis periti loquendi, facundiam concupierint,ideóque ea quæ propriè signari poterãt,circuitu cœperint enunciarè, ac deinde in eo perseuerarint. Mihi autem orationis differentiam fecisse, & dicentium, & audientium naturæ videntur, quòd Attici limati quidem & emuncti, nihil inane aut redundans ferebant. Asiana gens tumidior alioqui & iactantior, vaniore etiam dicendi gloria inflata est. Tertium mox qui hæc diuidebant, adiecerunt genus Rhodiũ,quod velut medium esse,atque vtroque mixtũ volunt.Neque enim Attice pressi,neque Asiane sunt abundantes: vt aliquid habere videantur gentis aliquid authoris. Aeschines enim qui hũc exilio delegerat locum, intulit eò studia Athenarum,quæ velut fata quædã cœlo terráque degenerant,saporem illũ Atticũ peregrino miscuerunt.Lenti ergo quidem ac remissi, non sine

Tria genera dicẽdi, Atticum, Asianũ, Rhodium.

pondere tamen, neque fontibus puris, neque torrentibus turbidis, sed lenibus stagnis similes habentur. ¶ Nemo igitur dubitauerit longe esse optimum genus Atticorũ, in quo vt est aliquid inter ipsos commune, id est, iudicium acre tersúmq;, ita ingeniorũ plurimæ formæ. Quapropter mihi falli multũ videntur, qui solũ esse Atticos credunt tenues, & lucidos, & significãtes, sed quadam eloquẽtiæ frugalitate contentos, ac semper manũ intra pallium cõtinentes. Nam quis erit hic Atticus? sit Lysias, hunc enim amplectuntur amatores istius nominis modũ. Non igitur iam vsque ad Coccum & Antocidem remittemur? Interrogare tamẽ velim an Isocrates Atticè dixerit. Nihil enim tam est Lysiæ diuersum. Negabunt? At eius schola principes oratorum dedit. Quęratur similius aliquid. Hyperides Atticus? certe. At plus indulsit voluptati. Transeo plurimos, Lycurgũ, Aristogitona, & ijs priores Isæum, Antiphõtem: quos vt homines inter se genere similes, differentes dixeris specie. Quid ille cuius modo fecim⁹ mẽtionẽ Aeschines? nónne ijs latior, & audẽtior, & excelsior? Quid deniq; Demosthenes? nõ cũctos illos tenues & circũspectos sublimitate, vi, ĩmpetu, cultu, cõpositione superauit? non insurgit locis? non figuris gaudet? nõ trãslationibus nitet? non oratione ficta dat tacentibus vocem? non illud iusiurandũ, per cæsos in Marathone ac Salamine propugnatores reipub. satis manifesto docet præceptorem eius Platonẽ fuisse? Quem ipsum nũ Asianum appellabimus, plerumque instinctis diuino spiritu vatibus cõparandum? Quid Periclea? similẽne credimus Lysiacæ gracilitati, quẽ fulminibus, & cælesti fragori cõparant Comici, dũ illi cõuiciãtur? Quid est igitur, cur in ijs demũ qui tenui venula per calculos fluunt, Atticũ saporem putẽt? ibi demum thymũ redolere dicant? Quos ego existimo, si quod in ijs finibus vberius inuenerint solũ, fertiliorémve segetem, negaturos Atticam esse, quòd plus quàm acceperit seminis reddat. Quia hanc eius terræ fidem Menander eludit. Itaq; nunc si quis ad eas Demosthenis virtutes, quas ille summus oratos habuit, tamen quæ defuisse ei, siue ipsius natura, siue lege ciuitatis videntur, adiecerit, vt affectus concitatius moueat, audiam dicentem, non fecit hoc Demosthenes? & si quid exierit numeris aptius, fortasse nõ possit, sed tamẽ si quid exierit, nõ erit Atticũ? Meli⁹ de hoc nomine sentiãt, credántq;

Atticum genus optimũ.

Atticè dicere, esse optime dicere. Atq; in hac tamen opinione perseuerãtes Græcos magis tulerim. ¶ Latina mihi facũdia, vt inuentione, dispositione, cõsilio, cæterisq; huius generis artib⁹ simílis Græcæ, ac prorsus discipula ei⁹ videtur, ita circa rationẽ eloquendi vix habere imitationis locũ. Nãq; ipsis est statim sonus dulcior, quando & iucundissimas ex Græcis literas υ & ξ non habemus. Vocalem alterã, alteram cõsonantẽ, quibus nullę apud eos dulcius spirãt, quas mutuari solemus, quoties illorũ nominibus vtimur. Quod cum contingit, nescio quo modo hilarior protinus renidet oratio, vt in Zephyris Zopyrisq;, quę si nostris literis scribantur, surdum quiddam, & barbarum efficient, & velut in locum earum succedent tristes, & horridæ, quibus Græcia caret. Nam & illa quæ sexta est nostrarum, penè nõ humana voce, vel omnino nõ voce potius inter discrimina dẽtium efflanda est, quæ etiam cum vocalem proximam accipit, quassa quodam modo, vtiq; quoties aliquam consonantiũ frangit, multo fit horridior. Aeolicæ quoq; literæ, qua ceruum ferũmq; dicimus, etiam si forma à nobis repudiata est, vis tamẽ nos ipsa persequitur. Duras & illa syllabas facit, quæ ad coniũgẽdas demum subiectas sibi vocales est vtilis, aliàs superuacua, vt equos ac æquũ scribimus, cum ipsæ etiam vocales duæ efficiãt sonum, qualis apud Græcos nullus est, ideóq; scribi illorum literis non potest. Quid ꝙ pleraq; nos illa quasi mugiente litera cudimus m, qua nullum Græcè verbum cadit? At illi ν iucũdam, & in fine præcipuè quasi tinnientem, illius loco ponunt, quæ est apud nos rarissima in clausulis. Quid quòd syllabæ nostræ in b literam, & d innituntur? adeo aspere, vt pleriq; non antiquissimorum quidem, sed tamen veterum mollire tentauerint, non solum asuersa pro aduersis dicendo, sed & in propositione b literæ absonam & ipsam s subijciendo. Sed accentus quoque cũ rigore quodam, tum similitudine ipsa minus suaues habemus, quia vltima syllaba nec acuta vnquam excitatur, nec flexa circumducitur, sed in grauem, vel duas graues cadit semper. Itaq; tanto est sermo Græcus Latino iucundior, vt nostri poëtæ quoties dulce carmen esse voluerunt, illorum id nominibus exornent. His illa potentiora, quòd res plurimæ carent appellationibus, vt eas necesse sit transferre aut circumire, etiam in his

Latina facũdia græcæ minime par, præsertim in eloquendo.

quæ denominata ſunt, ſumma paupertas in eadem nos frequentiſſimè reuoluit: at illis non verborum modo, ſed linguarũ etiã inter ſe differẽtium copia eſt. Quare qui à Latinis exigit illam gratiam ſermonis Attici, det mihi in loquendo eandem iucunditatem & parem copiam. Quod ſi negatum eſt, ſententias aptabimus ijs vocibus quas habemus, nec rerum nimiam tenuitatem, vt non dicam pinguioribus, fortioribus certe verbis miſcebimus, ne virtus vtraque pereat ipſa confuſione. Nam quo minus adiuuat ſermo, rerum inuentione pugnandũ eſt. Senſus ſublimes varijq; eruantur. Permouendi omnes affectus erunt. Oratio tranſlationum nitore illuminanda. Non poſſumus eſſe tam graciles, ſimus fortiores. Subtilitate vincimur, valeamus pondere. Proprietatis penes illos eſt certior copia, vincamus ingenio. Græcorum etiam minora ſuos portus habẽt, nos plerumque maioribus velis moueamur, validior ſpiritus ſinus noſtros tendat. Non tamen alto ſemper feremur, nam & littora interim ſequenda ſunt. Illis facilis per quælibet vada acceſſus, ego aliquid non multo tamen altius in quo mea cymba non conſidat inueniã. Neq; enim ſi tenuiora hæc ac preſſiora Græci melius, in eóque vincimur ſolo, & ideo in comœdijs non cõtendimus, prorſus tamen non omittenda pars hæc orationis, ſed exigenda vt optime poſſumus, poſſumus autem rerum & modo & iudicio eſſe ſimiles, verborum gratia quam in ipſis non habemus, extrinſecus condienda eſt. An nõ in priuatis, & acutus, & non aſper, & non indiſtinctus, & nõ ſupra modũ elatus M. Tullius? nõ in M. Callidio inſignis hæc virtus? nõ Scipio, Lælius, Cato in loquendo velut Attici Romanorũ fuerunt? Cui porrò non ſatis eſt quo eſſe melius nihil poteſt? ¶ Adhuc quidam nullam eſſe naturalẽ putant eloquentiã, niſi quæ ſit quotidiano ſermoni ſimillima, quo cũ amicis, cõiugibus, liberis, ſeruis loquimur, contenti promere animi volũtatem, nihílq; accerſiti, & elaborati requirẽtes: quicquid huc ſit adiectum, id eſſe affectationis, & ambitioſæ in loquendo iactantię, remotũ à veritate, fictúmque ipſorum gratia verborum, quibus ſolum à natura ſit officium attributum ſeruire ſenſibus, ſicut athletarũ corpora etiã ſi validiora fiant exercitatione, & lege quadam ciborum, non tamen eſſe naturalia, atque ab illa ſpecie quæ ſit cõceſſa homi-

Eloquẽtia naturalis.

nibus,abhorrere.Quid enim,inquiunt,attinet circuitu res oſtẽ dere,& tranſlationibus,id eſt,aut pluribus,aut alienis verbis,cũ ſua cuiq; ſint aſſignata nomina? Deniq; antiquiſſimum quẽq; maximè ſecundum naturã dixiſſe contendunt,mox poetis ſimiliores extitiſſe,etiã ſi parcius, ſimili tamen ratione falſa & impropria virtutes ducentes. [Qua in diſputatione nonnihil veri eſt,ideóque non tam procul, quàm fit à quibuſdam, recedendum à proprijs atque communibus.Si quis tamen (vt in loco dixi compoſitionis)ad neceſſaria, quibus nihil minus eſt,aliquid melius adiecerit,non erit hac calumnia reprehendendus. Nã mihi aliã quandã videtur habere naturã ſermo vulgaris,aliam viri eloquentis oratio:cui ſi res indicare modò ſatis eſſet, nihil vltra verborum proprietatem elaboraret: ſed cũ debeat delectare,mouere, in plurimas animum audientis ſpecies impellere, vtetur ijs quoque adiutorijs,quæ ab eadem ſunt nobis cõceſſa natura. Nã etiã lacertos, exercitatione conſtringere,& augere vires, & colorẽ trahere naturale eſt. Ideoq; in omnibus gẽtibus alius alio facundior habetur,& eloquẽdo dulcis magis. Quod ſi non eueniret,omnes pares eſſent,& idem omnes deceret. At loquuntur, & ſeruant perſonarum diſcrimen: ita quo quiſq; plus efficit dicẽdo,hoc magis ſecundum naturã eloquẽtiæ dicit. Quapropter ne illis quidem nimiũ repugno, qui dandum putant nonnihil eſſe temporibus atque auribus, nitidius aliquid atq; affectatius poſtulantibus.Itaque non ſolũ ad priores Catonem Gracchóſque,ſed ne ad hos quidem oratorem alligandum puto.Atque id feciſſe M.Tullium video,vt cum omnia vtilitati,tum partem quandam delectationi daret, cum & ipſam ſe rem agere diceret (agebat autẽ maximè) litigatoris. Nam hoc ipſo proderat quòd placebat. Ad cuius voluptates nihil equidẽ quod addi poſſit inuenio,ne ſi ſenſus nos quidẽ dicamus plures.Neq; enim fieri poteſt ſalua tractatione cauſæ,& dicendi authoritate, ſi crebra hæc lumina, & continua fuerint, vt non inuicem offecerint. Sed ne hactenus cedentem nemo inſequatur vltra,do tempori ne craſſa toga ſit, nõ ſerica:ne intonſum caput,non in gradus atque annulos comptum:cum in eo qui ſe non ad luxuriam ac libidinem referat, eadem ſpecioſiora quoque ſint,quæ honeſtiora.Cæterũ hoc quod vulgo ſententias vocamus(veteribus præcipuéque Græcis in vſu nõ fuit,

apud Ciceronem inuenio) dum rem contineant, & copia non redundent, & ad victoriam ſpectent, quis vtile neget? Feriunt animum, & vno ictu frequẽter impellunt, & ipſa breuitate magis hærẽt, & dictione perſuadẽt. At ſunt qui hæc excitatoria lumina etiam ſi dicere permittant, à cõponendis tamen orationibus excludenda arbitrentur. ¶ Quocirca mihi ne hic quidẽ locus intactus eſt omittendus, q̃ plures eruditorum aliam eſſe dicendi rationem aliam ſcribendi putauerunt: ideóq; in agendo clariſſimos quoſdam nihil poſteritati manſuríque mox literis reliquiſſe, vt Periclem, & Demadem: rurſus alios ad componendum optimos, actionibus idoneos non fuiſſe, vt Iſocratem: præterea in agendo plus impetus poſſe plerumque, & petitas vel paulo licentius voluptates. Commouẽdos enim eſſe, docendóſque animos imperitorum. At quod libris dedicatur, & in exemplum editur, terſum ac limatum, & ad legem ac regulam cõpoſitum eſſe oportere, quia veniat in manus doctorum, & iudices artis habeat artifices. Quin illi ſubtiles, vt ſimiles, ac multi perſuaſerunt magiſtri, παράδειγμα dicendo, ἀνάγνωμα ſcribendo eſſe altius tradiderũt. Mihi vnum atq; idẽ videtur bene dicere, ac benè ſcribere: neq; aliud eſſe oratio ſcripta, q̃ monimẽtũ actionis habitæ. Itaq; nullas non (vt opinor) debet habere virtutes, nõ dico nulla vitia. Nã imperitis placere aliquando quæ vitioſa ſunt, ſcio. Quò different igitur? q̃ ſi mihi des conſilium iudicum ſapientum, perq̃ multa recidã ex orationibus, non Ciceronis modo, ſed etiam eius qui eſt ſtrictior multo, Demoſthenis. Neque enim affectus omnino mouendi erunt, nec aures delectatione mulcendæ, cum etiam procœmia ſuperuacua eſſe apud tales, Ariſtoteles exiſtimet. Non enim trahẽtur ijs illi ſapiẽtes proprie & ſignificanter rem indicare, probatione colligere ſatis eſt. Cũ verò iudex detur aut populus aut ex populo, laturíq; ſententiam indocti ſæpius, atque interim ruſtici, omnia quæ ad obtinendum quod intendimus, prodeſſe credimus, adhibenda ſunt: eáq; etiam cum dicimus promenda, & cum ſcribimus, vt doceamus quomodo dici oporteat. An Demoſthenem mallẽ ſic egiſſe vt ſcripſit, aut Ciceronem? aut eos præſtantiſſimos oratores alio q̃ ſcriptis cognoſcim⁹? Melius egerũt igitur an peius? nam ſi peius, ſic potius oportuit dici vt ſcripſerunt: ſi melius, ſic oportuit ſcribi vt dixerunt. Quid ergo? ſemper ſic aget ora-

De dicendo & ſcribendo.

tor vt ſcribit? ſi licebit, ſemper: q̄ ſi impediāt breuitate tēpora à iudice data, multū ex eo quod potuit dici, recidetur: editio habebit omnia. Quæ autem ſecundū naturam iudicantiū dicta ſunt, nō ita poſteris tradentur, ne videantur propoſiti fuiſſe nō temporis. Nā id quoq; plurimū refert, quo modo iudex audire velit, atq; ei vultus ſæpè ipſe rectus eſt dicentis, vt Cicero prę cepit. Ideóq; inſtandum ijs quę placere intellexeris, reſiliendum ab ijs quæ non recipentur. Sermo ipſe qui facile iudicē doceat, optādus. Nec id mirū ſit, cū etiam teſtiū perſonis aliqua mutētur. Prudenter enim, qui cū interrogaſſet ruſticū teſtē, an Amphiona noſſet, negāte eo, detraxit aſpirationē breuiauítq; ſecūdam eius nominis ſyllabam, & ille eū ſic optimè norat. Huiuſmodi caſus efficiunt, vt aliquando dicatur aliter q̄ ſcribitur, cū dicere quomodo ſcribēdū eſt, nō licet. ¶ Altera eſt diuiſio, quæ in tres partes & ipſa diſcedit, qua diſcerni poſſe etiam recte dicendi genera inter ſe videntur. Namq; vnū ſubtile, quod ἰσχνόν vocant: alterum grande atq; robuſtū, quod conſtituunt ἀδρόν: tertium alij medium ex duobus, alij floridum, nāq; id ἀνθηρόν appellāt, addiderunt: quorū tamē ea ferè ratio eſt, vt primū docendi, ſecundum mouendi, tertium illud vtrocumq; nomine delectandi, ſiue aliud interconciliandi præſtare videtur officiū. In docendo autē acumen, interconciliando lenitas, in mouendo grauitas videatur. Itaque illo ſubtili præcipuè ratio narrādi probandíq; conſiſtet: ſed quod etiam detractis cæteris virtutibus ſuo genere plenū. Medius hic modus, & tranſlationibus crebrior, & figuris erit iucundior, egreſſionibus amœnus, compoſitione aptus ſententijs, dulcis, lenior tamen, vt amnis lucidus quidam, & virentibus vtrinq; ſyluis inumbratus. At ille qui ſaxa deuoluat, & pontē indignetur, & ripas ſibi faciat, multus & torrens iudicē vel nitentem contrà feret, cogétq; ire quà rapit. Hic orator & defunctos excitabit, vt Appium Cæcum apud hunc & patria ipſa exclamabit, aliquandóque Ciceronem in oratione contra Catilinam in Senatu alloquetur. Hic & amplificationibus extollet orationem, & vi ſuperlationum quoq; eriget. Quæ charybdis tam vorax? & oceanus mediuſſidius ipſe. Nota ſunt enim iam ſtudioſis hæc lumina. Hic deos ipſos in congreſſum propè ſuum ſermonémque deducet. Vos enim Albani tumuli atque luci. Vos, inquam, Albanorum obrutæ

Genera dicendi rurſū tria, Subtile, Grāde, Medium.

aræ ſacrorum populi Romani, ſociæ & æquales. Hic iram, hic miſericordiam inſpirabit. Hic dicet, Te vidit & fleuit, & appellauit, & per omnes affectus tractatur. Hic itaq; illuc ſequetur, nec doceri deſiderabit. Quare ſi ex tribus his generibus neceſſario ſit eligendum vnum, quis dubitet hoc præferre omnibus, & validiſſimum alioqui, & maximis quibuſq; cauſis accommodatiſſimum? Nam & Homerus breuem quidem cum animi iucunditate, & propriam (id enim eſt non errare verbis) & carentem ſuperuacuis eloquentiam Menelao dedit, quæ ſunt virtutes generis illius primi. Et ex ore Neſtoris dixit dulciorem melle profluere ſermonem, qua certe delectatione nihil fingi maius poteſt. Sed ſummam aggreſſus, vt in Vlyſſe, facundiã, magnitudinẽ illi iũxit, cui orationẽ niuibus hybernis, & copia verborũ, atq; impetu, parem tribuit. Cũ hoc igitur nemo mortaliũ contendet: hunc vt deũ homines intuebuntur. Hanc vim & celeritatem in Pericle miratur Eupolis, hanc fulminibus Ariſtophanes cõparat, hæc eſt vera dicendi facultas. [Sed neq; his tribus quaſi formis incluſa eloquentia eſt. Nam vt inter gracile validúmq;, tertium aliquid conſtitutũ eſt, ita horum interualla ſunt. Atq; inter hæc ipſa mixtum quiddam ex duobus medium eſt eorum. Nam & ſubtili plenius atq; ſubtilius, & vehementi remiſſius atq; vehementius inuenitur, & illud lene aut aſcẽdit ad fortiora, aut ad tenuiora ſummittitur: ac ſic ppè innumerabiles ſpecies reperiuntur, quæ vtiq; aliquo momento inter ſe differant: ſicut quatuor generaliter ventos à totidem mundi cardinibus accepimus flare, cum interim plurimi medij eorum, varietate regionum ac fluminum propriè deprehendantur. Eadémq; muſicis ratio eſt, qui cum in cithara quinque conſtituerunt ſonos, plurima deinde varietate complent ſpatia illa neruorum, atq; ijs quos interpoſuerunt, inſerunt alios, vt pauci illi tranſitus multos gradus habeant. ¶ Plures igitur etiam eloquentiæ facies, ſed ſtultiſſimum quærere ad quam recturus ſe ſit orator: cum omnis ſpecies, quæ modo recta eſt, habeat vſum, atque id ipſum omne ſit oratoris, quod vulgo gen⁹ dicendi vocant. Vtetur enim vt res exiget omnibus, nec pro cauſa modo, ſed & pro partibus cauſæ. Nam vt nõ eodem modo pro reo capitis, & in certamine hæreditatis, & de interdictis ac ſponſionibus, & de certa re credita dicet, ſentẽtiarum in Se-

Iliad. 1.
Iliad. 3.

Orator vnã eloquẽtiæ formã ne ſequatur, ſed omnibus etiã partibus cauſę ſe accommodet.

natu,& concionum,& priuatorum consiliorum seruabit discri mina,vitã ex differẽtia personarũ,locorũ,temporúmq; muta- bit: ita in eadem oratione aliter conciliabit, nõ ex ijsdẽ partib⁹ iram & misericordiam petet,alias ad docendum,alias ad mouẽ dum adhibebit artes. Non vnus color proœmij,narrationis,ar- gumentorum,egressionis,perorationis seruabitur. Dicet idem grauiter,seuerè,acriter,vehementer,cõcitatè,copiosè, amarè, comiter,remissè,subtiliter, blandè,leniter, dulciter, breuiter, vrbanè:nõ vbiq; similis,sed vbiq; par sibi fiet, tũ id propter qd⁹ maximè repertus est vsus orationis,vt dicat & vtiliter,& ad ef ficiendum quod intendit,potenter:tum laudem quoq; nec do ctorum modo,sed etiam vulgi cõsequetur. Falluntur enim plu rimum, qui vitiosum & corruptum dicendi genus, quod aut verborum licentia resultat,aut puerilibus sententiolis lasciuit, aut immodico tumore turgescit, aut inanib⁹ locis bacchatur, aut casuris,si leuiter excutiantur,flosculis nitet,aut præcipitia pro sublimibus habet,aut specie libertatis insanit,magis existi- mant populare,atque plausibile. Quod quidem placere multis, nec inficior,nec miror. Est enim iucundioris ac fauorabilis qua lıscumque eloquentiæ,& ducit animos naturali voluptate vox omnis,neque aliunde illi per fora atque aggerem circuli, quod minus mirum est,quòd nulli non agentium parata vulgi coro- na est. Vbi verò quid exquisitius dictum accidit auribus im- peritorum, qualecunque id, quod modo se ipsi posse despe- rent, habet admirationem: neque immerito, nam ne illud quidem facile est. Sed euanescunt hæc atque moriuntur com- paratione meliorum, vt lana tincta fuco citra purpuram pla- cet: at si contuleris etiam lacernæ, conspectu melioris obrua- tur,vt Ouidius ait. Si verò iudiciũ ijs corruptis acri⁹ adhibeas, vt buccinis purpurã, iam illud quod fefellerat exuat mẽtitum colorem,& quadã vix enarrabili fœditate pallescat. Luceat igi- tur hæc citra solem,& vt quædam exigua animalia igniculi vi- dentur in tenebris. Deniq; mala multi probãt,nemo improbat bona. Neq; verò omnia ista de quibus locuti sumus,orator opti mè tantũ sed etiam facilimè faciet. Neque enim vis summa di cendi est admiratione digna, si infelix vsq; ad vltimũ solicitu- do persequitur,ac oratorẽ macerat & coquit,ægre verba vertẽ- tem, & perpendendis coagmentandísque eis intabescentem.

Nitidus ille,& ſublimis,& locuples,circũfluentibus vndiq; eloquentiæ copijs imperat.Deſinit enim in aduerſa niti,qui peruenit in ſummum.Scandenti circa ima labor eſt, cæterũ quantũ proceſſeris,mollietur diuęs & lætius ſolum.Et ſi hęc quoq; iam leuius ſuprema perſeuerantibus ſtudijs euaſerit,inde fructus illaborati offerunt ſeſe,& omnia ſpontè proueniũt, quæ tamen quotidie niſi decerpantur areſcunt.Sed& copia habet modum, ſine quo nihil nec laudabile, nec ſalutare eſt, & nitor ille cultũ virilem,& inuentio iudicium.Sic erunt magna non nimia,ſublimia non abrupta,fortia non temeraria, ſeuera nõ triſtia,grauia nõ tarda,læta nõ luxurioſa,iucunda non diſſoluta,plena nõ tumida. Similis in cæteris ratio.Tutiſſima ferè per mediũ via, quia vtriuſq; vltimum vitium eſt.

¶Quæ poſt finem ſtudia. Cap. XI.

HIs dicendi virtutibus vſus orator in iudicijs,cõſilijs,cõcionib⁹,Senatu,in omni deniq; officio boni ciuis, finẽ quoq; dignũ & optimo viro,& opere ſãctiſſimo faciet: non quia prodeſſe vnquã ſatis ſit,& illa mente atq; illa facultate prædito non conueniat operis pulcherrimi quàm longiſſimũ tempus,ſed quia decet hoc quoq; proſpicere, ne quid peius q̃ fecerit,faciat.Neq; enim ſcientia modo conſtat orator,quæ augetur annis,ſed voce,latere,firmitate:quib⁹ fractis,aut imminutis ætate ſeu valetudine, cauendum eſt ne quid in oratore ſummo deſideretur.ne interſiſtat fatigatus,ne quę dicet,parũ audiri ſentiat,ne ſe queratur peiorẽ. Vidi ego lõge omniũ,quos mihi cognoſcere contigit,ſummum oratorem,Domitium Afrũ, valde ſenem,quotidie aliquid ex ea quam meruerat authoritate perdentem, cum agente illo, quem principem fuiſſe quondam fori non erat dubium, alij(quod indignum videbatur)riderent,alij erubeſcerent:quę occaſio illis fuit dicendi,malle eũ deficere quàm deſinere.Neq; erãt illa qualiacũq; mala, ſed minora.[Quare antequã in has ætatis veniat inſidias,receptui canet,& in portũ integra naue perueniet. neq; enim minores eũ cum id fecerit,ſtudiorum fructus ſequentur. Aut ille monimẽta rerum poſteris, vt L. Craſſus in libris Ciceronis deſtinabat, quærentibus tradet:aut eloquentiæ componet artem : aut pulcherrimis vitæ præceptis dignum os dabit. Frequentabunt verò eius domum optimi iuuenes more veterum,& verã dicẽdi

Oratoris ſeneſcentis officia.

viam velut ex oraculo petent. Hos illos formabit quasi eloquentiæ parens, & vt vetus gubernator, littora & portus, & quæ tempestatum signa, quid secundis flatibus, quid aduersis, ratis poscat, docebit: non humanitatis solũ cõmuni ductus officio, sed amore quodã operis. Nemo enim minui velit id, in quo maximus fuit. Quid porrò est honestius, quàm docere quod optime scias? Sic ad se Cælium deductum à patre Cicero profitetur, sic Pansam, Hircium, Dolabellam in morẽ præceptoris exercuit, quotidie dicẽs audiénsq;. Ac nescio an eũ tunc beatissimũ credi oporteat fore, cum iam secretus & cõsecratꝰ, liber inuidia, procul à cõtentionibus, famam in tuto collocarit, & sentiat viuus eam, quæ post fata præstari magis solet, venerationem, & quid apud posteros futurus sit videbit. Conscius sum mihi quãtum mediocritate valui, quæq; antea scierim, quæq; operis huius cegratia potuerim inquirere, candidè me atq; simpliciter in notitiam eorũ, si qui forte cognoscere voluissent, ptulisse. Atq; id viro bono satis est docuisse, quod scierit. ¶ Vereor tamen ne aut magna nimium videar exigere, qui eundẽ virũ bonũ esse, & dicendi peritum velim: aut multa, qui tot artibus in pueritia discendis, morum quoq; præcepta, & scientiã iuris ciuilis, præter ea quæ de eloquentia tradebantur, adiecerim: quæq; operi nostro necessaria esse crediderim, velut põdꝰ rei perhorrescãt, ac desperent ante experimentum. Sed hi primum renuncient sibi, quanta sit humani generis vis, q̃ potens efficiendi quæ velit. cum maria trãsire, siderum cursus numerósq; cognoscere, mundum ipsum penè dimetiri, minores sed difficiliores artes potuerint. Tum cogitent quantã rem petant, quámq; nullꝰ sit hoc proposito præmio labor recusandus. Quod si mente conceperint, huic quoq; partifacilius accedent, vt ipsum iter, neque imperuium, neq; saltem durũ putent. Nã id quod prius, quódque maius est, vt boni viri simus voluntate maximè constat: quam qui vera fide induerit, facilè easdẽ quæ virtutem docent artes accipiet. Neq; enim aut tam perplexa, aut tam numerosa sunt, quæ premunt, vt nõ paucorum admodum annorum intentione discantur. Longam enim facit operam quòd repugnamus. Breuis est institutio vitæ honestæ, beatæque, si credas. Natura enim nos ad mentem optimam genuit: adeóque discere meliora volentibus promptum est, vt verè intuenti mirum

Non sunt desperanda quæ de oratore præcepta sũt, si cui modo ingenium & voluntas nõ desit.

ſit illud magis, malos eſſe tam multos. Nã vt aqua piſcibus, vt ſicca terrenis, circunfuſus nobis ſpiritus volucribus conuenit: ita certè facilius eſſe oportebat ſecundũ naturam, quàm cõtra eam viuere. Cætera verò etiam ſi ætatem noſtram non ſpatio ſenectutis, ſed tempore adoleſcentiæ metiamur, abundè multos ad diſcendum annos habent. Omnia enim breuiora reddet ordo, & ratio, & modus. Sed culpa eſt in præceptoribus prima, libenter detinentibus puerum, partim cupiditate diutius exigẽdi mercedulas, partim ambitione, quo difficilis ſit quod pollicẽtur, partim etiam inſcitia tradẽdi vel negligentia. Proxima in nobis, qui morari in eo quod nouimꝰ, quàm diſcere quæ nõdum ſcimus, melius putamus. Nam vt de noſtris potiſſimum ſtudijs dicam, quid attinet tam multis annis quàm in more eſt plurimorum (vt de his à quibus magna in hoc pars ætatis abſumitur, taceam) declamitare in ſchola, & tãtum laboris in rebus falſis conſumere, cum ſatis ſit modico tempore imaginẽ veri diſcriminis, & dicendi leges comperiſſe? Quod non dico, quia ſit vnquam omittenda dicendi exercitatio, ſed quia non ſit vna eius ſpecie conſeneſcendum. Cognoſcere enim, & præcepta viuendi perdiſcere, & in foro nos experiri potuimus, dũ ſcholaſtici ſumus. Dicendi ratio talis, vt nõn multos annos poſcat: quælibet enim ex ijs artibus quarum prius habui mentionem, in paucos libros contrahi ſolet, adeo infinito ſpatio ac traditione opus non eſt. Reliqua eſt quæ vires cito facit conſuetudo, rerum cognitio quotidie creſcit, & tamẽ multorum ad eas librorum neceſſaria lectio eſt, quibus aut rerum exempla ab hiſtoricis, aut dicendi ab oratoribus petuntur: philoſophorũ quoque conſultorũmque opiniones, ſicuti alia, velimus legere neceſſarium eſt. Quæ quidem poſſumus omnia, ſed breue nobis tempus nos facimus. Quantulum enim ſtudijs impartimur? Alias horas vanus ſalutandi labor, alias datum fabulis ocium, alias ſpectacula, alias conuiuia trahunt. Adijce tot genera ludẽdi, & inſanã corporis curam. Trahit inde peregrinatio, rura, calculorum anxiæ ſolicitudines, multæ cauſæ libidinum, & vinum, & flagitioſus omni genere voluptatum animꝰ. Ne ea quidem tempora idonea, quæ ſuperſunt. Quæ ſi omnia ſtudijs impenderentur, iã nobis longa ætas, & abunde ſatis ad diſcendũ ſpatia viderẽtur, & diurna tantũ cõputãtibus tẽpora & noctes,

quarũ bona pars omni ſomno longior eſt, adiuuarẽt. Nunc cõputamus annos, non quibus ſtuduim⁹, ſed quibus viximus. Nec verò ſi geometræ, & grãmatici, cæterarúmq; artiũ profeſſores omnem ſuam vitam, quamlibet longa fuerit, in ſingulis artib⁹ conſumpſerunt, ſequitur vt plures quaſdam vitas ad plura diſcenda deſideremus. Neque illi didicerunt hæc vſque in ſenectutem, ſed ea ſola didiciſſe contenti fuerunt, ac tot annos in vtendo, non in percipiendo exhauſerunt. Cæterum vt de Homero taceam, in quo nullius non artis, aut perfecta, aut certè non dubia veſtigia reperiuntur: vt Eleum Hippiam tranſeam, qui non liberalium modo diſciplinarum prę ſe ſciẽtiam tulit, ſed veſtem & annulum, crepidáſq;, quæ omnia manu ſua fecerat, in vſu habuit, aq; ita ſe præparauit, ne cuius alterius ope egeret, néve vllius rei. Gorgias quoque ſummæ ſenectutis, id quærere audituros, de quo quiſq; vellet, iubebat. Quæ tandem ars digna literis Platoni defuit? Quot ſeculis Ariſtoteles didicit, vt nõ ſolũ quæ ad philoſophos atq; oratores pertinent ſcientiã complecteretur, ſed animalium ſatorúmq; naturas omnes perquireret? Illis enim hæc inuenienda fuerunt, nobis cognoſcẽda ſunt. Tot nos præceptorib⁹, tot exemplis inſtruxit antiquitas, vt poſſit videri nulla ſorte naſcẽdi ętas felicior q̃ noſtra, cui docendæ priores elaborauerunt. M. Cenſorius Cato idem orator, idem hiſtoriæ conditor, idem iuris, idem rerum ruſticarum peritiſſimus fuit: inter tot operas militiæ, tantas domi contentiones, rudi ſeculo, literas Græcas ætate iam declinata didicit, vt eſſet hominibus documento, ea quoque percipi poſſe quæ ſenes concupiſſent. Quàm multa, imò penè omnia tradidit Varro. Quod inſtrumentum dicendi M. Tullio defuit? Quid plura? cum etiam Corn. Celſus mediocri vir ingenio, non ſolum de ijs omnibus conſcripſerit artibus, ſed amplius rei militaris, & ruſticæ etiam, & medicinæ præcepta reliquerit: dignus vel ipſo propoſito, vt eũ ſciſſe omnia illa credamus. [At perficere tãtum op⁹ arduũ eſt, & nemo perfecit. Ante omnia ſufficit ad exhortationẽ ſtudiorũ, non cadere in rerum naturã, vt quicquid non eſt factum, ne fieri quidem poſſit, cum omnia quæ magna ſunt atq; admirabilia, tempus aliquod, quo primũ efficerẽtur, habuerint. Quantum enim Poëſis ab Homero & Virgilio, tantum faſtigium accepit eloquẽtia à Demoſthene atq; Cicerone.

Deniq; quicquid est optimum, antè non fuerat. Verùm etiã si quis summa desperet (quod cur faciat, cui ingenium, valetudo, facultas præceptorum non deerunt) tamen est (vt Cicero ait) pulchrum in secundis tertiisq; cõsistere. Neq; enim si quis Achillis gloriam in bellicis consequi nõ potest, Aiacis aut Diomedis laudem aspernabitur: neq; Hesiodi & Theocriti, qui Homeri non fuerint. Quinimò si hanc cogitationem homines habuissent, vt nemo se meliorem fore eo qui optimus fuisset, arbitraretur, ij ipsi qui sunt optimi, nõ fuissent. Neq; post Lucretiũ ac Macrũ Virgilius, neq; post Crassum & Hortensium Cicero: sed nec alij postea eos vicerunt. Verùm vt transeundi spes non sit magna, tamen est dignitas subsequendi. An Pollio & Messala, qui iam Cicerone arcem tenente eloquẽtiæ, agere cœperũt, parum in vita dignitatis habuerunt, parum ad posteros gloriæ tradiderunt? Alioqui pessimè de rebus humanis perductæ in summũ artes mererẽtur, si quod optimũ fuisset, defuisset. Adde quòd magnos modica quoq; eloquentia parit fructus: ac si quis hęc studia vtilitate sola metiatur, penè illi perfectę par est. Neq; erat difficile, vel veteribus, vel nouis exemplis palàm facere, nõ aliundè maiores honores, opes, amicitias, laudẽ pręsentem, futuram hominibus contigisse, si tamen dignum literis esset, ab opere pulcherrimo, cui⁹ tractatus atq; ipsa possessio plenissimam studijs gratiam refert, hãc minorẽ exigere mercedẽ, more eorũ, qui à se non virtutes, sed voluptatẽ quæ fit ex virtutibus, peti dicunt. Ipsam igitur orandi maiestatẽ, qua nihil dij immortales melius homini dederũt, & qua remota muta sunt omnia, & luce præsenti, & memoria posteritatis carẽt, toto animo petamus: nitamúrq; semper ad optima, quod faciẽtes aut euademus in summum, aut certè multos infra nos videbim⁹.

¶ Habes Marcelle Victori quibus præcepta dicendi pro virili parte adiuuari posse per nos videbantur, quorum cognitio studiosis iuuenibus si non magnam vtilitatem afferet, at certè, quod magis petimus, bonam voluntatem.

FINIS.